HISTORIA EPISCOPATUS WORMATIENSIS

Johann Friedrich Schannat



HISTORIA EPISCOPATUS WORMATIENSIS,

PONTIFICUM ROMANORUM BULLIS, REGUM, IMPERATORUM DIPLOMATIBUS, EPISCOPORUM AC PRINCIPUM CHARTIS, ALIISQUE PLURIBUS DOCUMENTIS AUTHENTICIS

ASSERTA AC ILLUSTRATA.

TOMUS PRIMUS.

CUM FIGURIS ÆRI INCISIS.

AUCTORE


JOANNE FRIDERICO SCHANNAT.



FRANCOFURTI AD MOENUM.

APUD FRANCISCUM VARRENTRAPP.

MDCCXXXIV.



REVERENDISSIMO, EMINENTISSIMO, AC CELSISSIMO PRINCIPI,

AC DOMINO

FRANCISCO - GEORGIO

SANCTÆ SEDIS TREVIRENSIS ARCHIEPISCOPO, S.R.I. PER GALLIAM, ET REGNUM ARELATENSE ARCHICANCELLARIO, ET PRINCIPI ELECTORI.

EPISCOPO WORMATIENSI,

PRÆPOSITO AC DOMINO ELVACENSI, ADMINISTRATORI PRUMIENSI PERPETUO &c. &c. EX S. R. I. COMITIBUS DE SCHÖNBORN, BUCHEIM, WOLFFSTHAL, ET REICHELSBERG &c.

QUOD

HISTORIAM WORMATIENSEM,

JUSSU,

SUMMISQUE SUB AUSPICIIS,

ÆTERNÆ MEMORIÆ,

REVERENDISSIMI, EMINENTISSIMI,

AC SERENISSIMI PRINCIPIS, AC DOMINI

FRANCISCI - LUDOVICI

ARCHIEPISCOPI MOGUNTINI, S.R.I. PER GERMANIAM ARCHICANCELLARII, PRINCIPIS ELECTORIS; GENERALIS MILITIÆ HIEROSOLIMITANÆ ORD. B. MARIÆ TEUTONICORUM, PRUSSIÆ ADMINISTRATORIS, AC EJUSDEM PER GERMANIAM, ITALIAM, PARTESQUE TRANSMARINOS SUPREMI MAGISTRI.

EPISCOPI WORMATIENSIS, ET VRATISLAVIENSIS,

PRÆPOSITI AC DOMINI ELVACENSIS, ET COMITIS PALATINI RHENI, BAVARIÆ, JULIÆ, CLIVIÆ, ET MONTIUM DUCIS PRINCIPIS MOERSIÆ, COMITIS VELDENTIÆ, SPONHEMII, MARCHIÆ, ET RAVENSPURGI, DOMINI IN RAVENSTEIN, FREUDENTHAL, ET EULENBERG, &c. &c.

SUI QUONDAM IN EPISCOPATU WORMATIENSI,

PRÆDECESSORIS BENEMERENTISSIMI,

FELICITER COEPTAM

PERFICI;

OMNI-

OMNIBUSQUE NUNC NUMERIS

ABSOLUTAM

TYPIS VULGARI

CLEMENTISSIME MANDAVERIT;

IMMORTALES,

TOTIUS REIPUBLICÆ LITTERARIÆ,

NOMINE,

GRATIAS REFERT,

VITAM, & FELICITATEM

APPRECATUR

AUCTOR

REVERENDISSIMIS, AC ILLUSTRISSIMIS DOMINIS,

DOMINIS.

D. WILHELMO UDALRICO de GUTTENBERG, Præposito; nec non Equestrium Ecclesiarum S. Burchardi Herbip. tum & Comburgensis, Decano.

D. JOSEPHO ANTONIO L. B. de ROLL in BERNAU, Decano; Ecclesiarum Monasteriensis, & Equestris Bruchsalensis, respective Canonico Capitulari, & Custodi: Reverendissimi & Eminentiss. Principis Electoris Trevirensis in Episcopatu Wormatiensi Locum tenenti, Inclyti Ordinis S. Michaelis Equiti.

D. WILDERICO MARSILIO L. B. ab HOHENECK, Custodi; Scholastico Moguntino, nec non Equestris Ecclesiæ S. Ferrutii in Bleidenstat Decano, Reverendiss. & Eminentiss. Principis Electoris Moguntini Consiliario Intimo, ejusque in Spiritualibus Vicario generali.

D. JOANNI PHILIPPO L. B. ab HOHENECK, Scholastico; nec non Equestrium Ecclesiarum S. Burchardi Herbip. tum & Comburgi, respective Scholastico, & Canonico Capitulari.

D. FRANCISCO RUDOLPHO L. B. de GROSSCHLAG in DIEPPURG, Cantori; nec non Metrop. Moguntinæ, ac Equestris S. Albani ibidem, Ecclesiarum Canonico Capitulari.

D. CHRISTOPHORO JODOCO de KETTELER, Canonico Seniori; nec non Equestris Ecclesiæ Wimpinensis Decano.

D. ANSELMO FRIDERICO L. B. de BETTENDORFF, Metrop. Moguntinæ, nec non Equestris S. Albani ibidem, Ecclesiarum, Canonico Capitulari.

D. JOSEPHO BENEDICTO zu RHEIN, Ecclesiæ Cathed. Spirensis Canonico & Custodi.

D. FRANCISCO CAROLO FRIDERICO L. B. de HOHENFELDT, Equestris Ecclesiæ Wimpinensis Canonico; Reverendiss. & Eminentiss. Principis Electoris Trevirensis, Episcopi Worm. Consiliario Intimo, nec non Regiminis, & Judicii Aulici Wormatiæ Præsidi.

D. FRANCISCO ADAMO COMITI de LEERODT, Reverendiss. ac Eminentiss. Principis Electoris Trevirensis in Episcopatu Wormatiensi Cameræ Præsidi.

D. FRAN-

D. FRANCISCO LOTHARIO L. B. KNEBEL de KATZENELN-BOGEN, Ecclesiæ Cathed. Spirensis, nec non Equestrium Bruchsalensis, & S. Albani Mogunt. respective Canonico Capitulari; Reverendissimi ac Eminentissimi Principis Electoris Trevirensis, quà Episcopi Worm. in Spiritualibus Vicario generali.

D. FRANCISCO JACOBO ANTONIO L. B. de HOHENECK, Metrop. Moguntinæ Cantori, nec non Equestris S. Ferrutii in Bleidenstat, Ecclesiarum Canonico Capitulari.

D. WILHELMO JACOBO zu RHEIN, Cathed. Herbipolensis, & Equestris Bruchsalensis, Ecclesiarum Canonico respective Capitulari.

CAPITULARIBUS WORMATIENSIBUS,

TOTIQUE VENERABILI CLERO SECUNDARIO;

OB

RESERATA ULTRO ARCHIVIA

SUMPTUSQUE LIBERALI MANU IMPENSOS

UT INDE

WORMATIENSIS HISTORIA.

COMPTIOR, ORNATIORQUE PRODIRET IN PUBLICUM.

HOC

GRATITUDINIS, SUÆQUE ERGA EOSDEM PERENNIS OBSERVANTIÆ.

MONUMENTUM, POSUIT.

AUTOR

PRÆFATIO.

QUantam barbaricæ Nordmannorum Incursiones Urbi Wormatiensi stragem olim inflixerint, quantumque ex subsecutis diversorum bellorum motibus, nec non illatis, aut etiam fortuitis Incendiis, damni sæpedentim eadem Civitas perpessa fuerit, sat constabit ex Historia, quæ præclaris suis tunc quoque destitui visa est ornamentis, quoties inter hostiles flammas, & direptiones, simul vetera Cæsarum, Regum, Principumque Rescripta, in publicis privatisque Thecis recondita, aliaque plura venerandæ antiquitatis monumenta, ex parte, aut in totum, perierunt: Nobis certè, unum illud, præ reliquis, maxime deplorandum obvenit, quod Anno MDCLXXXVIII. devastatore Gallo, tot præstantissimi manuscripti Codices, commentariis publicis, Historicorumque laboribus referti, ijsdem, quibus tunc ædes Wormatiensis primaria, Fatis involuti, in cineres & favillas abiére; quando è contra illorum ope adjuti, multo plura hoc in Opere præstare poteramus.

Ad Tabulariorum itaque reliquias, insignes tamen illas, & præter exspectationem copiosas, primùm manus admovimus, quæ vero ad propositum nostrum ulterius desiderabantur, ex rerum Germanicarum Scriptoribus, qui passim typis vulgati exstant, colligere necesse fuit; horum autem in multis seu incuriam, seu defectus, denuo supplere studuimus ex anonymorum quorundam, ut ut succinctis, Fastis, alijsque haud ita imperitis Annalium Wormatiensium compilatoribus, hactenus ineditis, quos inter præcipuum locum obtinent MICHAEL GASSEN; FRANCISCUS BERTHOLDUS de FLERSHEIM; & FRIDERICUS ZORNIUS; prior ex his vixit circa Annum MDXXX. alter, Vir Equestris dignitatis, opus suum perduxit usque in annum MDCIV. Tertius vero, Rector Scholarum Wormatiæ, obiisse fertur Anno MDCX. septuagenario major.

Accesserunt insuper ad Codicis nostri diplomatici non leve incrementum ea, quæ, tum ex serenissimi Principis Electoris Palatini proprio, nec non administrationis suæ Ecclesiasticæ, quæ Heidelbergæ residet Archivis, clementissime concessum fuit eruere; tum, quæ vetus Liber Actorum Civitatis Worm. in claræ memoriæ Corn. Zachariæ ab Uffenbach, Consulis Francofurtensis optime meriti, Bibliotheca quondam exstans, nobis suppeditavit.

Ad universum autem opus quod attinet, illud in tres partes visum est dividere; inprimis enim demonstrandum nobis fuit quomodo à Paganis ritibus ad Christiana sacra feliciter aliquando perducta fuerit

)(Wor-

Wormatia, quosque in iisdem progressus deinceps fecerit. Explanandæ præterea fuerunt deductæ ab antiquo Episcoporum Wormatiensium singulares prærogativæ, nec non simul Regalia Jura; hinc tota Parte Secunda ipsis locum fecimus, dum Tertiam occupant Eorundem Res gestæ. Quod si in cunctis assertis nostris, licet fide Documentorum ubique subnixis, repererint fortassis Adversarii quod carpant, id velim candide, ac animo placido exequantur, non vilis plebeculæ adinstar, quæ, ubi solida argumenta deficiunt, ad omne conviciorum genus solet recurrere; Viris integris ac sensatis, pro constanti regula esse debet prudentis illud: *Diligite Homines, interficite Errores.*

Reliquum est; ut, quæ in excutiendis Tabulariis, usui nostro pro tempore addictis, notatû digna occurrerunt, præter ea quæ suis locis indicavimus, hic cum erudito Lectore communicemus.

I. II. THEOPHANU Augustæ obitum Scriptores passim ad Annum DCCCCXCI. referunt: verum in diplomate Filii ejus OTTONIS Regis jam Anno DCCCCXC. *beatæ memoriæ* audit. Discimus præterea ex alio ejusdem Tertii Ottonis præcepto, eum Lucis hujus auras aspexisse Anno DCCCCLXXIX. siquidem hoc in Data innuunt litteræ numericæ Anni DCCCCXCIIII. quibus pro singulari Epocha adjectus est Annus ætatis suæ XV.

vid. Cod. Prob. Num. XXXIII. — *ibid. Num. XXXVII.*

III. Pro genuina ac indubitata CONRADI II. Regis Genealogia facit ut plurimùm ipsius diploma in gratiam Wormatiensis Ecclesiæ emanatum, quod, cum in fine esset mutilum, retulimus non incongrue ad Annum MXXXVI.

ibid. Num. LVI.

IV. Inter Sigilla Episcopalia merito suspiciendum venit illud BURCHARDI, hujus nominis I. quod ejusdem Notitiæ pro fundata a se Anno MXVI. S. Pauli Ecclesia, affixum est: huic proxime accedit AZZECHONIS, sui in sede Wormatiensi successoris immediati aliud; utrumque habes expressum in Tabella V. quo plenius constet, ejusmodi sigilla, quemadmodum de Abbatialibus id jam aliàs observavimus, longe ante sæc. XII. in usu fuisse, saltem in Germania.

ibid. Num. XLVIII. — *vid. TAB. V. fig. I. & II. Vindiciæ Fuld. advers. Eccard. pag. 106.*

V Obtinuerat quoque mos ab antiquo, ut Electi Wormatienses, ante impetratam à Sede Apostolica dignitatis suæ Episcopalis confirmationem, in obsignandis Chartis suis singulare quoddam adhiberent sigillum, qualia continet Tabella V. ex his prius ad Annum MCCLIX. EBERHARDI effigiem absque mitra & pedo exhibet; alterum S. Petri Ap. Wormatiensis Ecclesiæ Patroni effigie insignitum est, dependetque ex Litteris Anno MCCCLX. ab EMERICO datis, ubi & expressam de eodem

vid. TAB. V. Fig. III. & IV.

ad Præfationem

TAB. V.

Fig. I.



Fig. II.



Fig. III.



Fig. IV.



Fig. V.



Fig. VI.



Fig. VII.



dem mentionem faciens, his utitur verbis: *Sigillo nostræ Electionis* eas firmari jussimus.

VI. In seriem Regiorum Cancellariorum referendi sunt, GODEBERTUS & ARNOLFUS, quorum ille Anno DCCCLVIII. sub Ludovico Germanico, hic autem Anno DCCCXCVII. sub Arnolfo Rege, hoc munere functi sunt, ambo hactenus (quod sciam) incomperti: iis adjicere lubet CONRADUM, qui Anno MCCXL, in Landolfi Episcopi Worm. Litteris inter Testes relatus, *Notarius Reginæ* indigitatur, id quod ad illustrandam Archicancellariatûs Augustæ prærogativam, Abbatibus Fuldensibus annexam, de qua aliàs late disseruimus, haud parum confert. vid. Cod. Prob. Num. VII. & XII. vid. ibid. Num. CXXXIV. vid. Hist. Fuld. part. II.

VII. Cæterum: quod in subscribendis Regum, seu Imperatorum Præceptis, Cancellariorum olim fuerat officium, hoc Imperialis Aulæ Prothonotariis sæculo demum XII. commune esse coëpit, prout, inter plura diplomata, illud Friderici I. Imp. apud Petrum a Beéck, datum Aquisgrani, Anno MCLXVI. abunde testatur, dum in hæc verba desinit: *Ego* HENRICUS, *Sacri Palatii Prothonotarius, vice Christiani Archicancellarii & Mogunt. Sedis Electi, recognovi.* Huic autem in dignitate videtur successisse WORTWINUS, memoratus Anno MCLXXIV. in alio prædicti Cæsaris diplomate, quod inter Miræi Belgica exstat, pag. 544. nov. edit. Estque ille idem, qui tunc temporis simul Ecclesiæ Colleg. S. Andreæ Worm. Præpositum agebat, cujus proinde sigillum, ex Ecclesiæ hujus Archivo erutum, exprimi curavimus in Tabella V. Quod autem Wortvvini, in habitu Diaconali, effigiem totam præ se ferat, id Prothonotariis, ex ampliori prærogativa, concessum fuisse videtur: nam Regiæ, seu Imperialis Aulæ Notarii, qui in recognoscendis Diplomatibus vices suas quandoque præstabant, symbolico dumtaxat sigillo utebantur, quale apud Heineccium in Antiq. Goslariensibus exhibet fig. VI. Tabellæ IV. vid. TAB. V. fig. VI.

VIII. Attendi pariter meretur, quod ex Archivo S. Martini Worm. deprompsimus, sigillum magni Præceptoris Ord. Templariorum, caput Christi Spinis coronatum præferens, hac circum apposita, ac a nobis hic ex parte suppleta, Epigraphe: SIGILLUM MAGISTRI TEMPLARIORUM IN THEUTHONIA; pendet id ex Litteris tenoris sequentis: vid. TAB. V. fig. V.

„ Frater FRIDERICUS, dictus SILVESTER, Domorum „ Militiæ Templi per Alemanniam, & Slaviam, humilis Præceptor, nec „ non Frater HENRICUS de HOHENFELS, cæterique Fratres „ ejusdem ordinis, in Lacu, sive *de Sevve*, Wormatiensis Dioecesis; no- „ verint universi &c. quod nos considerata utilitate Curiæ nostræ de Lacu

„ prædictæ, vendidimus justo venditionis titulo honorabilibus Viris, Decano, & Capitulo S. Martini Worm. XXV. maldra siliginis annui census, super bonis nostris in terminis villæ Lumerscheim —— in Testimonium præmissorum præsentem Litteram sigillo nostro dedimus roboratam.

„ Actum & Datum Anno Dom. MCCLXXXVII.

De reliquo; notum est, Equestrem illum Ordinem, qui Hierosolymis originem suam sumserat, quique in tantum sese per Christianum Orbem diffuderat, ut ultra novem Domiciliorum millia numerasse perhibeatur, tandem Anno MCCCXI. in Concilio Viennensi fuisse extinctum.

vid. TAB. V. fig. VII.

IX. Non incuriosum quoque multis videbitur sigillum, quo EMICHO nobilis Wormatiensis Canonicus, aliquando usus est; dum enim alii passim in sigillis suis occurrunt genuflexi ante primarium Ecclesiæ suæ patronum, stolam, seu manipulam gestantes, ipse totus cataphractus generoso Equo insidens, haud aliud sacri ordinis sui indicium præ se fert, quam parmam cruce insignitam, quando tamen Comitibus Hirsutis, è quibus ortum suum trahebat, pro scuto gentilitio erat Leo aureus in campo nigro, aureis itidem lapillis respersо; id autem illorum temporum mores tulisse vel ex eo constat, quod sigillum illud ipsissimis FRIDERICI, patrui sui, tunc Wormatiensis Episcopi, Litteris super decimatione in Gundersheim, in Archivo S. Pauli Worm. asservatis, appensum cernitur, sequenti hac in iisdem adjecta clausula.


„ Nos HENRICUS, Irsutus Comes, & EMICHO, *Canonicus Wormatiensis*, Fratres; profitemur omnia præmissa sic esse acta —— & in testimonium & robur perpetuum præsentem Litteram sigillis nostris, unà cum sigillo Reverendi Domini nostri, & *Patrui*, Wormatiensis Episcopi, fecimus communiri.

„ Actum Anno Dom. MCCLXXXII.

X. Denique; quanta cura ac solicitudine invigilaverint antiquitus Ecclesiarum Wormatiensium Decani, & Capitula, ut bonarum artium studia, etiam inter ipsos, sedulo promoverentur, commonstrant salubres eorundem ordinationes, quas attentius legisse non pigebit, eas enim forsitan alibi frustra quæres.

vid. Cod. Prob. Num. CXLVII. & CLXXXVII.

HISTORIÆ



HISTORIÆ
EPISCOPATUS WORMATIENSIS
PARS PRIMA.

CAPUT I.

De Veterum Vangionum sub primis Romanorum Imperatoribus, statu.



ERMANIA primis suis comprehensa limitibus, in TRANS-RHENANAM, & CIS-RHENANAM, olim divisa fuit, eo quod Rhenus, a fonte suo in Oceanum decurrens, mediam interflueret, ac velut in partes secaret. Ex his priorem, quæ *magna* dicebatur, incolebant: *Hermanduri*, *Quadi*, *Marcomanni*, *Catti*, *Narissi*, *Semnones*, *Mattiaci*, *Heruli*, *Cherusci*, *Cimbri*, *Frisones*, *Saxones*, diversique alii Populi, in totidem corpora distincti: Alteram vero, Cis-Rhenanam, occupabant similiter: *Moguntiaci*, VANGIONES, *Nemetes*, *Triboci*, *Argentoratenses*, *Suevi*, *Caracates*, *Treviri*, *Mediomatrices*, *Ubii*, *Batavi* &c. Hos autem omnes, postquam Anno ante Natum Christum LVII. Julius Cæsar memorabili clade affecisset, ita ut eorum Rex Ariovistus, amisso exercitu, ad Rhenum delatus, conscensa navicula, per fugam vix salvus & incolumis in aliam fluminis ripam evaserit, visum est, belli lege subactos, pristinis quidem sedibus suis retinere, at universam late Regionem in Provinciæ formam redigere.

Jul. Cæsar. Comment. I. de bello Gall.

Rem itaque Augustus Cæsar, Druso, Tiberioque Ducibus aggressus, a citeriore Germania initium fecit, eamque a Rheni fontibus adusque Oceanum Britannicum protensam, in *Primam*, & *Secundam*, ceu *Superiorem*, & *Inferiorem* subdivisit, Mosellâ medium, inter utramque, terminum constituente; tum suus utrique Præses impositus, & Rhenus limes, castellis ac præsidiis Legionum firmatus est; donec tandem victis superatisque etiam Trans-Rhenanis Germanis, quod hos inter, & Romanos, de limite illo pertinax hactenus dissidium fuerat, in totum quievit, & Rhenus *utraque Ripa*, deinceps *Romanus* fluxit, ut in quodam suo Epigrammate observat Martialis.

Martial. lib. X. Epig. 7.

Huc quoque faciunt veteres Inscriptiones duæ, in Proculi cujusdam, nec non Titi Nigrii memoriam positæ, quorum ille: *a Rationibus Provinciarum Belgicæ*, & DUARUM GERMANIARUM fuerat, alter *Tribocus*, ex GERMANIA SUPERIORE oriundus dicitur. Nam Triboci territorium illud incolebant, quod est intra Nemetes, seu Spiram, & Argentoratum, eorumque sedes præcipua erat *Brocomagum*, hodie *Broumat*, quanquam exile tunc municipium; quandoquidem Antoninus pius, ac post ipsum Theodosius Impp. quisque in Itinerario suo, IV. dumtaxat Civitates PROVINCIÆ GERMANIÆ PRIMÆ recenset, in modum qui sequitur.

apud Gruter pap. 3 9. Spon. in miscell. antiq. pag. 18.

METROPOLIS CIVITAS MAGUNTIACENSIS.
CIVITAS ARGENTORATENSIUM.
CIVITAS NEMETUM.
CIVITAS VANGIONUM.

Ex ipsis autem postrema hæc, quam Nobis pro scopo unicè deinceps proponimus, ut rerum gestarum gloria circumvicinis reliquis non inferior, sic uno fere fato cum ipsis jactata fuit, cum & qui priscis Scriptoribus VANGIONES dicuntur, iidem sint, qui modo WORMATIENSES; atque adeo Julio Cæsari jam noti, ut supra ostendimus; meminit quoque eorum Lucanus sequenti hoc versu

Et qui Te laxis imitantur, SARMATA, braccis,
VANGIONES . .

Tacit. annal. lib. XII. ANN. C. 25. ANN. C. 70.

Tum & Tacitus, quando Cattos, in *Superiori Germania* prædas, & latrocinia actitantes, a Lucio Pomponio Romanorum Legato repressos fuisse commemorat, idque auxilio VANGIONUM, sed qui postmodum Julio Tutori Ripæ Rheni Præfecto similem adversus ipsos Romanos opem tulére, Bingiumque unà progressi, illic pontem Navæ abruperunt. Nec dubium, quin insequentibus temporibus, percusso cum Trans-Rhenanis populis, qui *Franci* dici cœperunt, fœdere, eadem quæ & ipsi fata subierint, victricesque Aquilas sub M. seu Alexandri, L. Domitii Aureliani, nec non M. Aurelii Probi Impp. ductu rursus adorare coacti fuerint.

ANN. Chr. 310.

Nazar. in paneg. Constant.

Verum ubi Constantinus Cæsar Maximinianum debellaturus, Romanorum copias secum abduxit, ac Rheni littus deseruit, submissa hactenus colla erexêre Germani, eâque occasione pristinam recuperare libertatem conati sunt; nam VANGIONES, ac unà cum ipsis Bructeros, Chamavos, Cheruscos, Alemannos, & Tubantes, in arma consedisse certum est; licet bellum hoc ipsis æque infeliciter cesserit quàm dum Anno CCCLVI. semotis iterum a Rheni limine




OCAR NICIM
[illegible]
HISPANORVM
STIPXXV SIGNIFERO
SACER'IVLIVS HELT



LICINVS·CIOSI·
F·HELVETIVS·AN
XLVIIEQVESALA
HISP·STIPXXVIHS
TIBIVL·CAPITO·H·



ARGIOTALVS
SMERTVLITANI
F·NAMNIS EQV
ALA·NDIANA
STIPX·ANNO
XXX·H·S·E
EREDESPOSVE
RVNT·



limine Romanis, totam lato Regionem illam, nempe *Germaniam primam*, atque adeo Civitates in eadem contentas, occuparunt; adfuit enim mox a Constantio Imp. missus Julianus, Galliæ tunc Præfectus, qui eorum ulteriores progressus non solum stitit, sed & ingenti strage profligatos, civitatibusque suis ejectos, Romano Imperio, a quo defecerant, denuò subjugavit. Ammian. Marcell. lib. XVI. cap. 4.

Cladem hanc exceperunt postmodum etiam Valentiniani Cæsaris relatæ de ipsis victoriæ. Ast ubi illuvies quædam barbararum nationum se se in has oras effudit, & primò quidem Vandali, & Alani, ducente eorum Rege Godegisilo, ex Septentrionis latebris Anno CCCCVII. egressi, transmisso Rheno, Imperii Limite, Germaniam primam invaserunt, direptisque ac incensis passim civitatibus, etiam Vangiones, *longâ obsidione deleverunt*; dein Anno CCCCLI. Attila, Hunnorum Dux, facta pariter irruptione, tristes prioris Exitii reliquias populatione continuâ, exitialibusque flammis absumpsit, ac in Italiam usque furendo progressus est, Res Romana, ubique afflicta, cœpit utplurimum inclinare. Hinc multi exsurrexêre in diversis partibus Reguli, quibus demum, seu Romanorum sociis, seu aliter, totum fere permansit Imperium; quanquam Rheni littus, sub Arcadio, & Honorio, Cæsaribus, eorum adhuc autoritate, tuebatur *Dux Moguntiacensis*, ut ex notitia Imperii circa Annum Christi CCCC. confecta, constat fusius: huic autem Duci parebant *Præfecti* XI. per totidem Loca distributi, quos inter tunc recensebatur *Præfectus Militum secundæ Flaviæ*, apud Vangiones constitutus: solebant enim Romani Provinciis sibi subjectis, loco Tributi, imperare *Militiam*, & *Viros*, dumque ipsi *Legionarii* audiebant, hi *Auxiliares* dicebantur; Unde, cum L. Pomponius, susceptæ aliquando adversus Cattos expeditioni, se se accingeret, *auxiliares* Vangiones præmisisse fertur, addito *Equite alario*, qui Legionem ab omni parte protegeret; nam ab *ala* fortiti nomen suum Alarii, ex peregrinis plerumque ac bellicosis gentibus conflati, circum Legiones, dextrâ sinistrâque collocabantur; quod autem in ala *Turmæ*, hoc erant in Legionibus *Cohortes*, & quod in Cohortibus *Manipuli*, id in Turmis *Decuriæ*. idem lib. XXVI. ANN. Chr. 364. Salvian. Item Oros. lib. VII. Hieron. Epist. XI. Tacit. annal. Lib. XII.

Cæterum; militasse in utrisque Vangiones, nec non unà cum Externis aliis, Romanorum promeruisse stipendia, testantur insignium aliquot, quæ ad Portam *Moguntinam* superstant, Monumentorum Ectypa, in Tabella I. expressa, quibus sequentes Inscriptiones adjicimus, veteris Palatii Episcopalis muro quondam insertas. vid. TAB. I.

C. RABVRIVS. FE	C. VIBIVS
STVS. POMAR.	C. F. VOLT.
RETIO. TRIB. LEG.	VIRILIO
VII. G. F. PRAEF.	EQ. LEG. XV.
ALAE. SCVBVLO	ANN. XLV.
RVM.	STIP. XXII.
IOVI.	H. S. E.



I. O. M.	
L. OCTAVI	LEGI. XX. PP.
VS. CELER	IVL. PRIMVS
PRAEF. COH.	
VII. BRIV. ET.	
COH. I. THRA.	

Supra Portam *Pavonum*, vulgò *Viehe-Thorr*, in altissima Turri, duæ hæ legebantur voces.

SPECVLA. VANGIONVM

Verum sequens hæc, quæ Portam *Spirensem* olim condecorabat Inscriptio, magis attendi meretur.

C. LVCIVS. VICTOR. SER. C. VANG.
OMNIBVS. HONERIBVS FVNCTVS.
FLORENT. ET. VICTORINVS. F.F.
OB. AMOREM. PATRIAE. ET. CIVIVM.
PORTAM. OMNI. SVMPTV. SVO.
EXSTRVCTAM.
D. D.

Ex monumentis votivis, duo hæc ad notitiam nostram pervenere.

I. O. M.
ET. IVNONI. REGINAE.
VICTORINA. PRIMITIVA
POSVIT

PISTILLIVS. ET. QVINTVS. ET. MAIANVS.
BELLICI. F.F.
V. S.S. L.L. M.

vid. TAB. II. Ex sepulchralibus monumentis, præter ea, quæ in Tabella II. exhibentur, unicum hoc posteris commendarunt scriptores.

C. CANDIDIO. MARTINO. IIIIII. VIRO
AVGVST. C. SINIC. SEVERIA
SEVERA. CONIVX. ET. CANDIDIA
MARTINIA. DIGNILLA. FILIA.
FAC. CVR.

Circa THERMAS, & AMPHITHEATRUM, cum in maximis, florentissimisque urbibus, qualis olim fuit Wormatia, illæ ad lavandi usum voluptatesque, istud ad oblectamenta spectaculorum haberentur, utrisque vero aquæ necessariæ essent; existimo, aquæductum illum, qui, magno Civium commodo, in urbem derivatus est, tacentibus licet annalibus domesticis, Romanorum Opus esse, Thermasque stetisse juxta Portam Spirensem, ubi nunc veteris Nosocomii rudera cernuntur; Amphitheatrum vero in proximam vineam, crescentis prope lunæ adinstar incurvuam, conversum fuisse; hìc enim complura veteris memoriæ numismata, inexhausto sinu terra fundit in Ligonum manus; quin & vineam ipsam hodiedum *Caterloch* indigitari, quasi *Catabuli locus*, ubi diversi generis bestiæ ad spectacula alebantur, conjectura est veritati non absimilis.

Cæ-

TAB. II.
ad pag. 3

Fig. I.



Fig. II.



Fig. III.



Cæterum; primorum Vangionum mores, Deos cultos, ritusque superstitiosos, amplo hic commentario describere, superfluum censemus; siquidem iis hauddubie commune fuerit, quod de reliquis Germaniæ populis antiqui scriptores nobis reliquerunt. Quonam autem tempore, aut per quos, repurgato illo Idololatriæ coëno, christiana fides his oris invecta fuerit? non adeo facile est diffinire; Quod si tamen cum Petro Cluniacensi, Honorio Augustodunensi, Ottone Frisingensi, aliisque gravibus autoribus, Harigeri Lobbiensis Abbatis, qui ante DC. annos floruit, opinionem amplectamur, id primis D. Petri Apostoli discipulis tribuendum esse, gratanter agnoscemus; Etenim directi ab ipso Trevirim Eucharius, Valerius, & Maternus, dum iter suum per Vangionum ditionem prosequuntur, accidit, ut ex iis Maternus febre correptus, obierit; hinc animo consternati superstites socii, ad B. Petrum recurrunt, qui proprio scipione ipsis porrecto, reverti, ac defuncti corpori eum superponi jubet; paruere illico mandatis, & exanime corpus vitam pristinam recepit. Tam insignis miraculi novitate obstupefacti Vangiones, Numinis sibi eatenus ignoti potentiam coëperunt agnoscere, jactaque sic inter eos prima fidei fundamenta, mox per Eucharium exculta ac ampliata fuêre, videlicet postquam is sedem suam fixerat Treviris; Nam primis Ecclesiarum conditoribus istud solemne erat, ut illos sacrarum Dioëcesium statuerent fines, quos populorum esse comperiebant: Fines autem Trevricæ Gentis, cum sese ad usque Bingiam oppidum protenderent, Euchario incumbere videbatur, ut curam suam pastoralem simul in finitimos Vangiones exerceret, donec ovile hoc speciali Episcopo demandaretur.

Certe; quam subitis, ac felicibus initiis, nec non in quantam messem excreverint jacta olim per regiones illas veræ Fidei semina, sat testari posset vel unica illa divi Hilarii Pictavensium antistitis epistola, quam sub annum Christi CCCLVIII. *Dominis, & Beatissimis Fratribus, & Coepiscopis Provinciæ* GERMANIÆ PRIMÆ, *&* GERMANIÆ SECUNDÆ inscripsisse reperitur; & quamvis innumeræ revolutiones, eæ potissimum, quæ Sæculi V. initium notarunt, florescenti jam religioni maximo fuerint detrimento, ut quando præter hæreseos Arrianæ pestem, Idolorum superstitio, fautore inprimis Juliano Apostata, liberius iterum grassari coëpit, nihilo tamen minus Chlodovæi Francorum Regis, aliorumque subsequentium Regum solertiâ, res christiana stetit immobilis, quin & novis in dies viribus aucta est, ut patebit in sequentibus.

CAPUT II.

De Vangionum sub Regibus Francorum conditione varia, deque Vangionensis seu Wormatiensis Dioëcesis initiis, & progressu.

Ejectis per Julianum, ex Germania prima, Alemannis (ut supra jam memoravimus) prosperæ fortunæ cursus, quo Romani eatenus usi fuerant, fere in totum immutatus est; continua enim tum civilia, tum extera bella, quibus deinceps fuêre impliciti, nec non frequentes Barbarorum incursiones, effecerunt tandem, ut, versis armis, Germani Trans-Rhenani, cum Alemannis conjuncti, quà virtute bellica, quà temporum oportunitate usi, sumpto *Francorum* generali nomine, ceu libertatis tessera, Gallias primùm, Pharamundo, Clodione, & Merovæo, Regibus, ac dein ipsam quoque Germaniam Cis-Rhenanam, qua qua late patebat, Francici juris, &

Imperii fecerint, teste Sidonio Apollinare, qui rem versibus suis ita exprimit:

FRANCUS *Germanum primum, Belgamque secundum,*
Sternebat, Rhenumque ferox ALEMANNE *bibebas,*
Romanis ripis, & utroque superbus in Agro,
Vel Civis, vel victor eras. ——

Represserat quidem hunc Francorum impetum constitutus a Maximo Imp. militiæ præfectus Avitus; at illi, pristinum abhorrentes jugum, viribus instauratis, partaque demum Anno Christi CCCCXCVI. insigni apud Tolpiacum, sub Clodovæo Rege, victoriâ, Romanos Finibus suis, atque adeo Germania tota excedere compulerunt. Hinc illa novam coëpit induere faciem, ac mortuo sub annum DXI. Chlodovæo, Regnum ejus quadrifariam divisum fuit, è quo AUSTRASIA, seu Regio illa, quæ in Orientem, usque Rhenum excurrebat, cujusque caput Mediomatricum, partem vero *Vangiones* constituebant, Theodorico obtigit; crescente dein in hujus Successoribus Regali potentia, nam ex ipsis Dagobertus, defuncto sub annum DCXXXIII. Lothario patre universas simul gallias tenebat, rursum Germaniæ primæ, ut & Franciæ veteris, habita est ratio, hancque demum in *Orientalem*, & *Occidentalem*, atque adeo in duo Regna, inter se distincta, dividere placuit, quo tempore Wormatia sub Orientali illo comprehensa, amplum ac separatum habebat Territorium, passim *Wormazgovve*, seu *Wormatzfelda* nuncupatum, & a Ducibus, aut Comitibus, administratorio nomine gubernari solitum, cujus Fines, paulo supra Wimpinam oppidum ordiendo, secundum Nicri, ac dein etiam Rheni fluenta excurrebant ad usque Navam; nec minor erat, quem ex alio latere describebat; Montium, & Nemorum, Solique culti minoribus rivis interstincti circuitus; quandoquidem præter ipsam etiam Urbem Moguntiam, duos alios insignes pagos intra se complectebatur, quorum unus a *Lupoduno*, seu *Lobedenburg*, hodie Ladeburg, oppido antiquissimo, ubi quondam prædicti Dagoberti Regium exstitit palatium, *Lobedengovve*, seu pagus Lobodunensis, dictus est; alter ab amne *Craich* nomen suum retinuit, continebatque *Chraichgovviæ* tractus ille loca & villas ultra LXXX. quæ veterum Comitum de Louffen, & Brettenheim, hæreditaria possessio, fere in totum censebantur, eo quod uterque originem suam duceret ab iis Comitibus qui pago huic Præfecti olim dati fuerant, quales sub Romanis Imperatoribus habebantur Legati Provinciarum, & Proconsules, qualesque medio ævo ipsi etiam audiere Duces Wormatiæ, videlicet, non dominio aliquo, aut proprietate loci, sed officio.

Ex supra recensitis autem Pagis illis, simul sumptis, si Moguntiam, ejusque Territorium inde excipias, instituta demum ac efformata fuit Dioëcesis illa longe vastissima, quam certis suis distinctam limitibus, Carolus M. Rex sub annum Christi DCCLXX. Erraberto commisit Episcopo, hujusque in sede Wormatiensi successoribus, quibus deinceps subdita mansit; quin &, prout hodie in spiritualibus, sic olim etiam in temporalibus paruit, saltem pro majori sui parte, ut vel unicam Curiam Feudalem inspicienti innotescet facile. Cæterum, quo propositam nobis ejusdem Dioëcesis descriptionem rectius exequamur, prævie observandum occurrit, eam olim in quatuor Archidiaconatus fuisse divisam, quorum perpetui administratores habebantur *Majoris*, S. *Pauli*, *Neuhausensis*, & *Wimpinensis*, Ecclesiarum Præpositi, his autem insequenti tempore abrogatis, remanserunt sub Vicarii generalis

ralis inspectione Decanatus Rurales X. quorum numerus hodie ad VIII. reductus est, ex quibus VI. dumtaxat sedem obtinent, nimirum: *Weibstat. Landsstuhl. Dirmstein. Dalsheim. Heidelberg.* & *Ladenburg*; reliqui duo, videlicet: *Manheim*, & *Franckenthal*, nudum titulum præ se ferunt.

Verum; cum hæc meri sint arbitrii: Nos, juxta vetus Synodale anni MCCCCXCVI. recensionem nostram instituimus, & siquidem præmemorati Decanatus Rurales X. hoc ordine in censum veniunt.

I. *Dirmstein*	continens Parochias	XXI.
II. *Guntersblum*	- - -	XVIII.
III. *Dalsheim*	- - - -	XXII.
IV. *Nevv-Leiningen*	- - -	XXVI.
V. *Freinsheim*	- - -	XII.
VI. *Landstul*	- - - -	XXI.
VII. *Weinheim*	- - -	XXII.
VIII. *Weibstat*	- - - -	LIII.
IX. *Schvvelgern*	- - -	XXXII.
X. *Heidelberg*	- - -	XV.

Parochias illas omnes, quæ universim CCXLIII. conficiebant, hic simul cum earum Filialibus Ecclesiis, nec non Oratoriis, ordine alphabetico recensere, ac pro nosse, & posse, hinc inde etiam illustrare, operæ pretium duximus.

ABENHEIM.

SEDES RURALIS DALSHEIM.

Locus hic cum attinentiis suis universis cesserat Anno DCCCCXXXII. Ecclesiæ Fuldensi, ex certo quodam concambio inter Henricum I. Regem, & Hadamarum Abbatem inito, ut constat ex Trad. Fuld. pag. 234. hinc Ecclesia Parochialis ibidem Sancto *Bonifacio* Archiep. & M. dicata fuit; quin & ipsius Jus Patronatus Anno MCCCXVI. Henricus Abbas Conventui sui Monasterii incorporavit, idque de consensu Emerici Episcopi Wormatiensis; postmodum tam locus, quam & Jus Patronatus, transierunt ad Nobb. *Camerarios* de *Wormatiâ*, Lib. BB. à *Dalberg*. Sub quibus Ecclesia sumptuoso opere a fundamentis instaurata est.

Visitur & in vicino monte, Oratorium S. *Michaeli* Archangelo sacrum.

ADENESBACH.

Hujus villæ mentio fit in Notitia Burchardi I. Episcopi Worm. pro fundatione Ecclesiæ Collegiatæ S. Pauli, ad annum MXVI. siquidem Custodi Eberhardo, ejusque successoribus confert idem Præsul *positionem Ecclesiæ de Adenesbach, cum omni decimatione.*

ADERSBACH.

SEDES RURALIS WEIBSTAT.

Ecclesia S. *Walpurgi* sacra est; die I^a. Maji ejus jus Patronatus spectavit olim ad Abbatem & Monasterium in Sunnesheim.

Filia-

Filiales erant HASELBACH, & ERSTATT, sed posterior hæc in parochialem erecta fuit.

AGELACH al. ANGELACH.

Locum hunc cum Ecclesia cujus mentio fit in quadam Charta Mazelini Præpositi S. Pauli Worm. ad annum MXX. ad Dioëcesin Worm. spectasse, testatur inter cætera amicabilis compositio Anno MCCLXXXIX inter Decanum, & Capitulum Ecclef. Colleg. S. Pauli Worm. ex unâ, & Henricum Span, ejusdem Collegiatæ Canonicum ex alterâ, partibus, inita, *super Ecclesia Parochiali in Angelache, VVormatiensis Dioëcesis*; quam Gerardus Præpositus S. Pauli, huic suæ Collegiatæ Ecclesiæ donaverat per chartam dat. Anno MCCLXX. in die Epiphaniæ.

AGLASTERSHAUSEN
SEDES RURALIS WEIBSTATT.

De Jure Patronatus hujus Ecclesiæ, quæ *S. Mattheo* Ap. dicata est, ad diem XXI. Sept. exstat Charta sequens:

„ WERNHERUS Dei gratia Præpositus Wimpinensis, & CUNRADUS, Vir „nobilis, Frater suus, de HORNECK &c.

„ Ob devotionem venerabilis Ecclesiæ Wimpinensis, & propter salutem „animarum nostrarum, nec non parentum antecessorum nostrorum, Jura Pa„tronatus, quæ habemus in villis, videlicet: AGLESTERNHUSEN, & HELM„STAT, de communi consensu & voluntate, cum omni jure quod habuimus „& habemus &c. Ecclesiæ Wimpinensi per præsentes conferimus & donamus. „Acta sunt hæc Anno Dom. MCCLIIII. VI. Kalend. Junii.

Confirmavit postmodum Decano, ac Capitulo Ecclesiæ Colleg. S. Petri Wimpinensis prædictæ, idem donum, Eberhardus Worm. Episcopus, per Litteras suas, datas Anno MCCLXVI. in vigilia S. Mathæi Apostoli.

AGERSHEIM *vulgo* OBERSHEIM
SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Ecclesiam parochialem habet S. *Kyliano* Episcopo & Martyri sacram, ad diem VIII. Julii. quanquam simul filialis sit respectu Ecclesiæ parochialis in Studernheim. Jus Patronatus ejusdem ad *Decanum*, & *Cap.* majus *Ecclesiæ Cathedralis VVorm. spectat.*

ALENMULE vid. SCHÖNBORN.

ALMSHEIM
SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Hujus Ecclesiæ, sub Invocatione S. *Stephani* Protomartyris, ad diem XXVI. Decembris, spectavit olim jus Patronatus ad Nobiles de Lautersheim, ut constat ex Visit. Diœcef. Anni MCCCCXCVI.

ALSHEIM
SEDES RURAL. GUNTERSBLUM.

Duas Locus hic continet Parochiales Ecclesias, quarum una B. *Mariæ* Virgini, altera S. *Bonifacio* dicata est; priorem conferunt Decanus, & Capitulum

lum Ecclesiæ Metrop. Moguntinæ; posteriorem vero Decanus, & Capitulum Ecclesi. Collegiatæ Neuhausensis juxta Worm.

ALZENBORN.

SEDES RURAL. LANDSTUL.

Ecclesiæ Parochialis S. *Vito* M. sacræ ad diem XV. Junii, Jus patronatus spectabat quondam ad Præpositum Asceterii Enckenbach Ord. Præmonstratensis, quod & ipsum S. *Norberto* dicatum, filia erat supradictæ Parochiæ.

Huc quoque pertinuit Oratorium in *Kurbisvveiler*; sed ob causas ad id moventes, ejus administratio Rectori filialis Ecclesiæ in Stauff, sub Eisenberg, demandata fuit.

ARMBACH.

SEDES RURAL. LANDSTUL.

Jus patronatus hujus Ecclesiæ, quæ S. *Joanni Bapt.* sacra est, olim ad Comites Nassoviæ spectabat.

ASBACH.

SEDES RURAL WEIBSTAT.

Ecclesia SS. *Sylvestro*, & *Cornelio* dicata Patronum olim agnovit Abbatem in Sunzheim.

ASCHBACH.

SEDES RURAL. LANDSTUL.

Ecclesia sub invocatione S. *Blasii* Episcopi & M. Patronos Laicos olim habuit, Nobiles ab Oberstein, & Flersheim.

Filiales ejus sunt: Driebstat; Sanctæ *Cruci* dicata. Dilsberg, alias Hilsberg, S. *Cruci*, & St. *Georgio* sacra. Item Oratorium S. *Georgio* sacrum in Castro Wilstein.

ASSELNHEIM.

SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Ecclesia in honorem S. *Stephani* Proto-M. constructa est. Jus patronatus ejusdem pertinuit olim ad Abbatissam Rosenthalensem.

ATSMANSWEILER. vide LUTTERSHAUSEN.



BABENHEIM vide BATTENBERG.

BOBENHEIM vid. ROXHEIM.

BALDSFELT.

SEDES RURAL. WEIBSTAT.

Ecclesia S. *Cruci* dicata. Ejus Jus patronatus ad Vicarium quendam Ecclesiæ

Colleg. Wimpinenſis ſpectaſſe docet Viſitatio Diœceſ. Worm. facta Anno MCCCCXCVI.

BAN vide HORBACH.

BAPSTATT vid. GUMPER.

BARGEN.

SEDES RURALIS WEIBSTAT.

Eccleſia S. *Petro* Ap. ſacra, cujus collatio ſpectabat olim ad Nobiles de Rhinberge.

BATTENBERG olim BETTEMBERG.

SEDES RURAL. FREINSHEIM.

Eccleſia S. *Martino* ſacra; cujus Jus Patronatus Abbas, & Conventus Monaſterii Glandavienſis, tranſtulerunt in Decanum maj. Eccleſiæ Worm. ut conſtat ex charta ſequente.

„ ALBERTUS Dei gratia Abbas, & Conventus Sancti Martini Glanda-„vienſis, omnibus Chriſti Fidelibus perpetuam in Domino Salutem ——

„Cupimus eſſe notum: quod Nos Eccleſiam in BETTEMBERG, ad noſtram „præſentationem ſpectantem, voto & conſenſu unanimi contulimus Eccleſiæ „Beati Petri Worm. ad Fratrum præbendas, accedente aſſenſu & auctoritate „venerabilis Patris & Domini HEINRICI Epiſcopi, nec non NIBELUNGI, „de domo Præpoſiti, & Archidiaconi dicti Loci —— Decano Wormatienſi, „quicumque fuerit pro tempore dictam Eccleſiam, nomine dicti Capituli, „recipiente, qui & curam geret animarum, inſtitutione Vicarii, ipſi Capi-„tulo reſervata &c.

„Actum Anno Dom. MCCXXXI. menſe Madio. Indict. III.

Filiales ejusdem Eccleſiæ ſunt: CARLEBACH, & BABENHEIM; prior ſub S. *Nicolai*, altera ſub B. *Mariæ* Virg. patrociniis conſtitutæ.

BECKLINGEN; alias BECKINGEN.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Eccleſia S. *Pancratio* M. dicata, cujus Jus Patronatus adhuc Anno MCCCCXCVI. erat penes Nobiles de Beckingen.

Exſtat haud procul inde Oratorium S. *Nicolao* ſacrum.

BECHTHEIM.

SEDES RURAL. GUNTERSBLUM.

Eccleſia S. *Lamberto* ſacra; cujus collatio ſpectabat olim ad Canon. Regulares S. Auguſtini, ſitos in monte S. Ægidii juxta Leodium; ut conſtat ex viſit. diœceſana Anni MCCCCXCVI.

Eſt & ibidem propè, Oratorium S. *Cruci* dicatum.

BELLINGEN vide NECKAR GARTACH.

BENTERSHEIM.

SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Eccleſia ſub invocatione S. Crucis nec non SS. *Petri* Ap. & *Nicolai* Epiſcopi conſtituta eſt;

Jus

Jus patronatus ejusdem unà cum Decimis, aliisque attinentiis, habebat olim in subfeudum a Comitibus de Leiningen, Dizo miles de Eselentheim, Hermanno de Rippur intermedio; sed ea omnia sibi acquisivêre Anno MCCLX. Decanus & Capitulum Ecclef. Colleg. S. Andreæ Worm. accessit Emichonis Comitis de Leiningen consensus, Anno MCCLXIIII. nec non simul Eberhardi Worm. Episcopi ratihabitio, qui ex duplici persona, nimirum quà Dominus Feudi directus, & quà Ordinarius, redditus omnes inde provenientes eidem Collegiatæ Ecclesiæ incorporavit Anno MCCLXVIII. factum probante Papa Clemente IV. per bullam suam datam Viterbii eodem anno, die vero Kalend. Junii.

BERMERSHEIM.

SEDES RURAL. DALSHEIM.

Antiquitatem Ecclesiæ, S. *Cyriaco* dicatæ, commendat *Henricus* plebanus in *Birmersheim* testis adhibitus in charta quadam Henrici Comitis Bipontini Anno MCCLXXXII.

Fuit & Sedis, seu Decanatûs ruralis quondam caput, ut constat ex diversis litteris Ann. MCCCLXXX. & MCCCXC.

Jus patronatus ad Principes Palatinos.

BERWANGEN.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Ecclesia S. *Cruci* sacra; cujus collatores censentur Nobiles de Gemmingen, ut ex Synodali Anni MCCCCXCVI.

BEVERTHAL, vide DIELNHEIM.

BIBERACH.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Ecclesia SS. *Cornelio*, & *Cypriano*, sacra. Ejus Jus patronatus obtinebat olim Præpositus Ecclef. Colleg. Wimpinensis.

BIRKENAU.

SEDES RURAL. WEINHEIM.

BISCHOFFSHEIM.

SEDES RURAL. WEIBSTAT.

Ecclesia S. *Joanni Bapt.* dicata est; Jus patronatus ejusdem, ad Decanum & Capitulum Ecclef. Colleg. Wimpinensis, ut litteræ sequentes fidem faciunt:

„ Ego RABANO de HELMSTAT, miles; commorans in Bischoffsheim reco-
„ gnosco —— quod animo deliberato feci permutationem cum Reverendis Viris
„ ac Dominis, PETRO Præposito, GERLACO Decano, totoque Capitulo Eccle-
„ siæ Wimpinensis, cum jure patronatus Ecclesiæ in BYSCHOFFSHEIM, ejusque
„ pertinentiis ad me pleno jure spectante, & cum una parte mea decimæ

„ majoris laicalis ibidem &c. pro Curiis in villa Grumbuch sitis —— nec „ non pro bonis universis in Buechelbuch —— Dat. Anno Dom. „ MCCCXXIX.

Hunc contractum Anno MCCCXXX. mox sequenti Gerlacus Electus & confirmatus Worm. Episcopus, a quo Jus Patronatus illud cum Decimis in feudum dependebant, ratum habuit; ac demum ejus successor Salmannus Episcopus, omnes redditus indè provenientes, jam dicto Wimpinensi Capitulo incorporavit per Litteras datas Anno MCCCXLVIII.

Exstat ibidem loci, Oratorium, quod Anno MCCCLXXXVI. Wipertus de Helmstadt, ejusque Uxor Anna de Niperg exstruxerunt, ac dotarunt, hac insuper conditione adjecta ut deficiente Hærede, Jus Patronatus cederet supradictæ Wimpinensi Ecclesiæ.

BISSERSHEIM vid. KIRCHEIM.

BISSESSHEIM.
SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Parochiæ hujus antiquitatem demonstrant Litteræ Conradi Episcopi Worm. pro Coenobio Schonaugiensi datæ, Anno MCLXVIII. siquidem iis inter testes subscribit *Bertholdus* parochianus in *Bissensheim.*

Ecclesiæ in honorem S. *Andreæ* Ap. constructæ Jus Patronatus spectavit olim ad Conventum Zellensem.

BLANCKSTAT.
SEDES RURAL. HEIDELBERG.

Ecclesia S. *Nicolao* Ep. dicata est; ejusque Jus Patronatus pertinuit olim ad Abbatem & Conventum Monasterii Schonaugiensis.

BLEDESHEIM.
SEDES RURAL. DALSHEIM.

Jus Patronatus hujus Ecclesiæ quæ S. *Laurentio* M. sacra est; ad Decanum & Capitulum Ecclesiæ Cathed. Wormatiensis.

BOCKENHEIM Majus.
SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Ecclesia hæc sub invocatione S. *Lamberti* Episcopi & M. Monasterio Otterbergensi olim incorporata fuit, ad quod etiam spectabat Jus Patronatus ejusdem.

BOCKENHEIM Minus.
SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Ecclesia S. *Martino* sacra est. Jus Patronatus ad Abbatem, & Conventum Monasterii Wadgassensis.

Filialem habet RUNDENHEIM, S. *Martino* pariter dicatam.

Exstat insuper in Coëmeterio jam dictæ Ecclesiæ in Bockenheim, Oratorium

torium *B. M. Virg.* cujus Jus Patronatus fibi olim vindicavit Petrus Abbas Otterburgenfis Anno MCCCXXX.

BONFELT.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Ecclefiæ hujus in honorem S. *Margarethæ* conftructæ Jus Patronatus ad Decanum & Capitulum Wimpinenfe. Ejus Filiales funt: FORFELT S.S. *Cruci*; & TRESCHLINGEN S. *Gallo*, facræ.

BRAMBACH vide HEDDESBACH.

BREIDENBORN vide DUDENZELLE.

BUBENHEIM.

SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Ecclefia S. *Petro* Ap. dicata, de qua fequens exftat Notitia.

„ In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Ego LUPOLDUS Dei gra-„tia Wormacienfis Ecclefiæ humilis Minifter ——

„ Precibus HERBORDI venerabilis Abbatis in Arenftein libenter annu-„entes, auctoritate, qua fungimur, pro remedio animæ noftræ, noftro-„rumque Succefforum, jam dictæ Ecclefiæ in Arenftein, una cum affenfu, „& per manum Archidiaconi ULRICI concedimus: ut ipfe Abbas, & fui „Succeffores, donum Altaris in Ecclefia fua BUBENHEIM ab Archidiacono, „& fuis Succefforibus recipiat, nec non illic inftituendi poteftatem de Fra-„tribus fuis, quem voluerit, Vicarium habeat —— Præterea ipfam Eccle-„fiam ab omni Jure Archipresbyteri, & Decani emancipamus —— Hujus „Facti teftes funt: SIGIFRIDUS S. Pauli Præpofitus in Wormatia. Laica-„les perfonæ: EMBECHO Comes de LYNINGEN, Wernh. & frater ejus „PHILIPPUS de BONLANT, CONRADUS de SMIDEVELT, SIGEFRIDUS „Frater WICNARDI, & alii quam plures.

„Facta funt hæc: Anno Dom. MCXCVIIII.

Aft vero FRIDERICUS Abbas in Arenftein Ord. Præm. alienavit Anno MCCCCLXXVIII. totum prædium Bubenheim fimul cum decimis, bonis, nec non cunctis Juribus, etiam Patronatus, idque in favorem Decani & Capituli S. Martini Worm. Factum probante REINHARDO Epifcopo Worm. per Litteras fub data eadem. Acceffit deinde Anno MCCCCXCI. Innocentii VIII. Pontificis defuper Apoftolica confirmatio.

BUCHELNBACH vid. GUMPER.

BUDENBACH vid. NEUKIRCHEN.



CARLEBACH vid. BATTENBERG & HASELBACH.

CELLA vid. STETTEN.

CRIESHEIM.

SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Ecclefia S. *Petro* facra eft; cujus Jus Patronatus ex liberali conceffione Ottonis Dynaftæ de Bollandia translatum eft cum omnibus provextibus fuis

ad Decanum & Cap. majoris Ecclesiæ Worm. prout discimus ex charta sequenti :

„ EMERICUS Dei gratia Electus, & confirmatus Ecclesiæ Worm. ad „notitiam universorum deducimus quod Nobilis armiger OTTO de Bo„LANDIA Imperialis Aulæ Dapifer, Jus Patronatus Ecclesiæ in CRIGES„HEIM, nostræ Dioëcesis, nec non universam decimam ipsius cum omnibus „suis juribus & pertinentiis a nobis, & nostra Ecclesia, derivantes, quod, „& quam, memoratus Otto principaliter a Nobis tenebat in feodum, in „manus nostras liberaliter resignavit, transferens ea pleno jure in honorabi„les Dominos Decanum & Capitulum nostræ Wormatiensis Ecclesiæ supra„dictæ, supplicans nobis, quatinus dictæ translationi nostrum benivolum „præstaremus assensum —

„ Nos igitur attendentes &c. dictæ translationi seu collationi nostrum „benivolum præstamus assensum —

„ Dat. WORMATIÆ Anno Dom. MCCCIX. in Vig. Nativitatis S. Jo„annis Bapt.

COLGENSTEIN.

SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Ecclesia hæc, quemadmodum præcedens, S. *Petro* Ap. dicata est; spectatque similiter Jus Patronatus ejusdem, ad Decanum & Cap. Ecclesiæ Cathedralis Worm. ut patet ex litteris sequentibus.

„ Venerabilibus Dominis; DECANO, totique CAPITULO Ecclesiæ „Wormatiensis; WERNHERUS de BOLANDIA Imperialis Aulæ Dapifer; „PHILIPPUS de FALKENSTEIN, Fratres; & PHILIPPUS de HOHENFELS, „salutem & sinceræ dilectionis affectum.

„ Ecclesiam in COLGENSTEIN, Worm. Dioëcesis, cujus Jus patrona„tus ad nos pertinere dinoscitur, vacantem ex resignatione WERNHERI „MILITELLI, Canonici S. Andreæ Worm. Vobis, & Ecclesiæ vestræ in „augmentum præbendarum vestrarum offerimus propter Deum in perpetuum „possidendam: Jus quoque patronatus sive præsentandi quod habemus, vel „habere videmur in dicta Ecclesia, Vobis & Ecclesiæ vestræ etiam donamus „simpliciter & in Vos transferimus pleno jure —

„ Dat. Anno Dom. MCCLVI mense Junio.

Accessit consensus EBERHARDI Worm. Electi Episcopi, qui universos illos redditus simul cum Jure patronatus univit Capitulo Majoris suæ Ecclesiæ Anno MCCLIX. Factum similiter probante Alexandro summo Pontifice.

Filiales hujus Ecclesiæ sunt: OBERKUM cum Oratorio S. *Ægidii*; & HEDDESHEIM cum Oratorio S. Stephani.



DACKENHEIM.

SEDES RURAL. FREINSHEIM.

Ecclesia B. *Mariæ* Virgini sacra; ejusque Jus patronatus spectabat quondam ad Monaster. Viror. in Heyna. Exstat ibidem loci Nosocomium, cui Anno

Anno MCCCCXCII. incorporata fuere bona quædam feudalia de quibus investiti eatenus fuerant Nobiles de Notthafft.

DAISTBACH vid. NEIDENSTEIN.

DALSHEIM.

SEDIS, SEU DECANATUS RURALIS CAPUT.

Ecclesiæ hujus sub Invocatione S. S. *Petri*, & *Pauli* Apostolorum constructæ Jus Patronatus ad Præpositum Ecclesf. Maj. Worm.

Visitur ibidem Oratorium B. *Mariæ* Virgini dicatum.

DARSBERG vide NECKER-STEINACH.
DIEFFENTHAL vid. EYSENBERG.

DIELNHEIM al. DUWELHEIM.

SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Jus Patronatus hujus Ecclesiæ sub Titulo S. *Cyriaci* Mart. spectabat quondam ad Nobiles de Dalheim: verum transactione cum ipsis facta Nobiles de Sickingen omne Jus Patronatus cum universis proventibus Anno MCCCCXCI. cupierunt incorporari Ecclesiæ in Ladenburg casu quo in Collegialem erigeretur.

DIENHEIM.

SEDES RURAL. GUNTERSBLUM.

Ecclesia S. *Bonifacio* Archiep. & Mart. sacra est, quod olim ad Fuldensem Ecclesiam spectasset, a qua etiam Jus Patronatus simul cum attinentiis suis translatum est in Abbatem & Conventum Monasterii Eberbacensis.

Exstabat alias ibidem Cella, seu Oratorium S. *Nicolai*, quod incolebant Religiosi Ord. S. Brigittæ, nunc prædicto Eberbacensi coënobio unitum, ut constat ex visit. dioecesf. Worm. Anno MCCCCXCVI.

DIENTESHEIM.

SEDES RURAL. DALSHEIM.

Ecclesia S. *Petro* Ap. dicata, cujus collatio ad Præpositum Ecclesiæ Cath. Worm.

DILSBERG vide ASCHBACH.
DILSBURG vide WESSENBACH.
DIRBACH vide MULHAUSEN.

DIRMSTEIN.

SEDIS RURALIS CAPUT.

Antiquitatem parochiæ hujus S. *Petro* dicatæ, commendat *Volzo* Pastor in *Dirmstein*, Testis adhibitus in Litteris Henrici Episcopi Worm. pro Schönaugiensibus Anno MCCXXV.

Præterea reperitur Landolfum ibidem Worm. Episcopum Anno MCCXL. mutuum iniisse contractum cum Canon. Reg. Frankenthalensibus ex ratione jam

jam dictæ parochiæ in Dirmſtein, inſuper Herbordus de Dirmſtein miles fundat Altare S. Catharinæ in Dirmſtein. Conſentiente in id ipſum Echardo Epiſc. Worm. An. 1382.

DOLGESHEIM.

SEDES RURAL. GUNTERSBLUM.

Eccleſia S. *Bonifacio* ſacra eandem quam Dienheimenſis ſortem obtinuit.

DORN.

SEDES RURALIS WEIBSTAT.

Eccleſia S. *Nicolao* dicata eſt.

DORN-TURCKHEIM aliàs DURREN-DURICKEM.

SEDES RURAL. GUNTERSBLUM.

Hujus Eccleſiæ S. *Cyriaco* M. ſacræ, Jus patronatus ſpectavit jam ab antiquo ad Abbatiſſam & Conventum Aſceterii in Nonnenmunſter, redditusque omnes inde provenientes Salmannus Worm. Epiſcopus eidem Conventui univit per litt. dat. Anno MCCCXLIII.

Exſtat & ibidem Oratorium in honorem divi *Georgii* erectum.

DOSSENHEIM.

SEDES RURAL. WEINHEIM.

Eccleſia S. *Pancratio* Martyri ſacra eſt. ejus Jus patronatus, quod nonnulli nobiles ab Eccleſia Worm. in Feudum tenebant, translatum eſt in Decanum & Capitulum ejusdem Eccleſiæ Cathed. ut conſtat ex litteris ſequentibus.

„ EBERHARDUS Dei gratia Worm. Electus & confirmatus recogno„ſcimus —— quod conſtituti in noſtra præſentia ERKENGERUS de MA„GENHEYM, & RUDOLFUS de NYFEN, Nobiles, confeſſi ſunt ſe vendi„diſſe Eccleſiæ Worm. decimam villæ in DOSSENHEIM, cum Jure patro„natus ejusdem villæ, & omnibus attinentibus, conſenſu SWIKERI ad„vocati, & WALTHERI fratrum de HENTSCHUESHEIM libero accedente. „Et quia a Nobis in feodo obtinebant —— Nos dictis bonis in manus no„ſtras reſignatis Decanum & Capitulum Eccleſiæ Wormatienſis prædictæ de „eisdem inveſtivimus ——

„ Dat. Anno Dom. MCCXCIII. die beati Bricii Epiſcopi.

DRIBSTAT. vide ASCHBACH.

DUDENZELL.

SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Eccleſia S. *Vito* M. ſacra, cujus Jus patronatus ſpectabat olim ad plebanum & capellanos parochialis Eccleſiæ oppidi ſuperioris Wimpinenſis.

Ejus Filialis Eccleſia eſt BREIDENBORN *B. Mariæ* Virg. dicata.



EBSTEIN.

SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Jus patronatus hujus Eccleſiæ quæ S. *Cyriaco* dicata eſt, contulit unà cum

eum omnibus proventibus Anno MCCXCIII. Ecclesiæ Colleg. Neuhausensi Eberhardus II. Episcopus Wormatiensis.

Dotarunt illic Altare quoddam in honorem *B. Mariæ* Virg. Nobiles Hundt a Sawelnheim.

EBBERSHEIM.

SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Ecclesia S. *Sebastiano* Mart. dicata est, ejusque Jus patronatus spectabat olim ad monasterium Viror. in Hegene.

EDINGEN al. ETTINGEN.

SEDES RURAL. HEIDELBERG.

Hæc Ecclesia Divo *Martino* sacra, donum est Caroli M. ut constat ex ejus diplomate Dat. Anno DCCXCVIII.

Eam cum Jure patronatus, ac cunctis redditibus transtulit Anno MCCLXVI. Eberhardus Worm. Episcopus in Decanum ac Capitulum Ecclesiæ suæ Cathedralis prout litteræ sequentes fidem faciunt.

„ EBERHARDUS Dei gratia Wormatiensis Episcopus &c.

„ Notum sit —— quod Nos decimam in EDINGEN nostræ Dioëce- „sis, a diversis Laicis per longa temporum interstitia detentam, & magnis „laboribus & expensis ad plenum Jus & dominium nostrum, & Ecclesiæ, „revocatam, dilectis Nobis Capitulo nostro cum Jure patronatus Ecclesiæ „ejusdem villæ ob honorem Dei & beati Petri, patroni nostri, & animæ „nostræ remedium liberaliter duximus conferendam, ita videlicet: ut ab „hinc inantea dictum Capitulum tam decimæ prædictæ, quam Juris patro- „natus, gaudeat pleno jure —— ita tamen, quod ibidem ordinetur per „ipsum Capitulum perpetuus Vicarius, qui curam habeat animarum de pro- „ventibus ipsius Ecclesiæ, sustentatione sibi congrua deputata ——

„ Actum Anno Dom. MCCLXVI. in die Vincentii Martiris.

Occupaverant autem prædictam Ecclesiam unà cum decimis, Albertus de Alefelt, ejusque asseclæ; id quod cum ex arbitrio Henrici Spirensis Episcopi, Emichonis Comitis de Leiningen, nec non Conradi de Stralenberg, & Joannis de Meti improbatum fuisset; Wernherus major Præpositus Ecclesiæ Spirensis, idemque ab ipsis *Rector Ecclesiæ de Edingen* jam designatus, cessit juri suo, hancque parochialem Ecclesiam simul cum proventibus ad manus Decani, & Capituli Wormatiensis ultro resignavit.

EISENBERG.

SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Ecclesia S. *Matthæo* Apostolo dicata est; Ejusdem Jus patronatus ad Episcopum Wormatiensem. Exstabat ibidem loci Oratorium S. Joannis, Ord. Melitensis.

Filiales Ecclesiæ sunt: DIEFFENTHAL. B. Virg. *Mariæ* sacra. STAUFF, S. *Nicolao*. HETTENHEIM, S. *Stephano*; ac denique, RAMSEE, sive RAMOSA, ubi & ejusdem nominis monasterium quondam exstitit.

EISSWEILER.

SEDES RURAL. LANDSTUL.

Ecclesia S. *Margaretæ* Virg. sacra, cujus Jus patronatus olim spectabat

ad plebanum Christianitatis in Gemino-ponte ut constat ex visitatione Dioecesana Anni MCCCCXCVI.

Ejus Filialis est: MEYSENBACH, S. *Cyriaco* Martiri dicata.

ENSHEIM; vide GUNDERSHEIM.

ENCKENBACH; vide ALZENBORN.

ELSENZ.

SEDES RURAL. SWEIGERN.

Ecclesiæ hujus S. *Mariæ* Virg. dicatæ; Jus collationis ad supremum Magistrum Ord. Teutonici.

EPFFENBACH.

SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Ecclesia S. *Joanni Baptistæ* sacra est; ejusque Jus patronatus erat quondam penes Abbatissam Monasterii in Lobenfelt.

EPPELNHEIM.

SEDES RURAL. HEIDELBERG.

Ecclesia S. *Bartholomæo* Ap. sacra est, Jus vero patronatus spectabat olim ad Decanum, & Capitulum Ecclesiæ Collegiatæ Neuhausensis.

EPPELSHEIM.

SEDES RURAL. DALSHEIM.

Ecclesia S. *Martino* dicata, habebat quondam sub se Filiales Ecclesias tres, nimirum: HANGENWEISSHEIM, BLEDESHEIM, & FLONBORN.

Cum bona, ac possessiones plurimas in dicta villa Eppelsheim, ejusque Territorio, haberent Decanus, & Capitulum Ecclesiæ Colleg. S. Salvatoris in Vrbe Mettensi, etiam Jus patronatus eisdem contulit Lupoldus Worm. Episcopus per litteras sequentes.

„ In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis.

„ LUPOLDUS Dei gratia Maguntinæ sedis Electus, Wormatiensis Epi„scopus, ULRICUS Præpositus, HEINRICUS Decanus, & totum Capitu„lum Ecclesiæ majoris — ad quos litteræ istæ pervenerint, subscriptam „veritatem audire, credere, & fovere.

„ Cum Ego Lupoldus Episcopus Ecclesiam Sancti Salvatoris Metensis „audissem in divinis officiis sollicitam & devotam, & tamen in reddituum „tenuitate angustam, interveniente pro ipsa apud Nos venerabili Fratre, & „consanguineo nostro, Domino Spirensi Episcopo facilem præbuimus assen„sum, ut Ecclesia in EPPELSHEIM cum omnibus ejus capellis, quas *Filias* „appellamus, de cætero Fratribus memoratæ Ecclesiæ S. Salvatoris in au„gmentum præbendarum ipsorum, nostra concessione & privilegii nostri „confirmatione, jure perpetuo cedere debeat; ita ut unus de illis Canoni„cis, quemcumque Fratres elegerint, & cum Fideli litterarum testimonio „ad Archidiaconum miserint, ab eodem donum Altaris, id est: curam re„cipiat animarum —

„ Acta sunt hæc Anno Dom. MCCIII.

His postmodum accesserunt & aliæ litteræ, tenoris sequentis:

GER-

„ GERNODUS Dei gratia Sancti Pauli in Wormatiâ Præpositus. Toti Ca-
„pitulo Ecclesiæ Sancti Salvatoris in Meti, cum oratione fraternam in Domi-
„no dilectionem —— Notum esse desideramus quod ad instantiam precum
„Domini nostri PHILIPPI inclyti Rom. Regis, & CONRADI venerabilis
„Episcopi Spirensis, Ecclesiæ vestræ concessum est, ut in parochia Eppels-
„heim, quæ in nostro Archidiaconatu sita est, Sacerdotem quemcumque
„volueritis, libere instituatis, qui illam in amministratione divinorum pro-
„curet, & in Capitulis nostris compareat, & Episcopo, & Nobis de jure
„Cathedratico tempore congruo respondeat ——
„ Dat. WORMATIÆ Anno MCCIIII. XVI. Kal. Martii.

Verum ob non modicam locorum inter se distantiam, aliaque incommoda, iidem Decanus, & Canonici S. Salvatoris universas possessiones suas, simul cum jure patronatus, quas hic loci habebant, transtulerunt titulo venditionis perpetuæ in Decanum, ac Capitulum Ecclesiæ Cathed. Worm. Anno MCCXXX. mense Martio.

ERENBERG vid. GEIMSHEIM.

ERFFENBACH.
SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Ecclesia S. *Joanni Bapt.* sacra est, spectabatque olim ejus jus patronatus ad Abbatissam Parthenonis Lobenfeldensis.

ERPELSHEIM.
SEDES RURAL. FREINSHEIM.

Ecclesia S. S. *Albano*, & *Sylvestri* dicata; Jus patronatus ad Electorem Palatinum.

ERSSHEIM.
SEDES RURAL WEIBSTATT.

Ecclesia S. *Nazario* dicata, cujus jus patronatus pertinuit olim ad Nobiles de Hirschhorn. Fuerat Filialis ejus HIRSCHHORN, usque in annum MDCCXXXII. quo in Parochialem erecta est.

ERSTATT.
SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Ecclesia S. *Dionisio* sacra est.

ESSELBACH.
SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Ecclesia S. *Burchardo* dicata.

ESSELBORN.
SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Jus patronatus hujus Ecclesiæ quæ S. *Margaretæ* dicata est, tenebant olim in feudum a Dynastis de Hohenloh Nobiles de Tzwingenberg, qui & illud

Anno MCCCLVIII. vendidisse reperiuntur Petro de Muren Præposito Wimpinensi; a quo postmodum transiit ad Nobiles de Landschadt, siquidem constat ipsos Anno MCCCCXCVI. jus illud idem possedisse.

EYCH.

SEDES RURAL. GUNTERSBLUM.

De hac Ecclesia S. *Lupo* sacra, ita loquitur Buggo Worm. Episcopus in Diplomate suo pro Ecclesia Collegiata S. Pauli Worm. Dat. Anno MCXXXIX.

„ Investituram Ecclesiæ, quæ est in Echena, Fratribus eisdem S. Pauli „concessimus, ut ipsi eidem Ecclesiæ Pastorem præficiant cum manso dotali „&c. de reliquo verò, defectui præbendarum suarum subveniant.



FEUDENHEIM.

SEDES RURAL. WEINHEIM.

Ecclesia SS. *Petro*, & *Paulo*, App. sacra est; jus patronatus ad Custodem maj. Ecclesiæ Wormatiensis.

Exstat & ibidem Oratorium SS. *Joanni* & *Paulo* M. M. dicatum, estque annexum Parochiæ.

FLAMERSCHEIM.

SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Ecclesiæ S. *Stephano* sacræ jus patronatus pertinuit olim ad Præpositum Montis S. Georgii extra Phedersheim, eique subditum erat Oratorium in Ormsheim juxta Frankenthal.

FLÖRSHEIM seu FLERSHEIM.

SEDES RURAL. DALSHEIM.

Est vetus illud *Flaridesheim*, de quo mentio recurrit in Dipl. Ludovici Germaniæ Regis pro Ecclesia Neuhausensi. Dat. Anno DCCCLXIX. dividiturque in *Herren-Flersheim*, & *Nider-Flersheim*.

In priori exstat Ecclesia SS. *Petro*, & *Paulo* dicata, cujus primarius Pastor est Commendator Domus Ord. Teuton. in Marpurg, habebatque illic loci tres ejusdem sui Ordinis Sacerdotes, qui animarum gerebant curam, ut constat ex Visit. Dioëcesana Anni MCCCCXCVI. in Inferiori vero Flersheim Ecclesia S. *Joanni Bapt.* sacra est.

Jus patronatus ad Decanum, & Capitulum Ecclesiæ Cathed. Worm. ex liberali ac spontanea cessione Nibelungi ejusdem Ecclesiæ Cathed. Præpositi, ut Litteræ desuper emanatæ Anno MCCXXXIV. fidem faciunt.

FLINSBACH.

SEDES RURAL. WEIBSTAT.

Ecclesiæ hujus S. *Agathæ* dicatæ, jus patronatus olim erat penes

nes Nobiles de Hirschhorn ; ut constat ex visit. dioëcesana Anni MCCCCXCVI.

FLONBORN.

SEDES RURAL. DALSHEIM.

Ecclesia S. *Udalrico* Ep. sacra est ; Ejusdem Jus patronatus ad Decanum & Cap. majus Ecclesiæ Worm.

FORELT vid. BONFELT.

FRANKENBACH vid. NECKER-GARTACH.

FREINSHEIM.

SEDIS RURALIS CAPUT.

Ecclesia S. *Petro* dicata est , habetque annexum Oratorium S. *Michaelis* , situm extra villam.

Jus patronatus una cum proventibus contulerant olim ad opus Parthenonis in Enckenbach Dynastæ de Bollandia, ut nos docent Litteræ sequentes.

„ RICHARDUS Dei gratia Worm. Episcopus WALRAMUS majoris Ecclesiæ „Præpositus , BURCHARDUS Decanus , & CAPITULUM ejusdem Ecclesiæ „ — Notum esse volumus quod Nos , salvo in omnibus in futurum , tam „ jure Episcopali , quam Archidiaconali , liberam donationem quam WERN-„HERUS de BOLANDIA , & PHILIPPUS de FALKENSTEIN Fratres super „ Parrochia S. Petri in FREINSHEIM cujus ad eos donatio pertinebat cum jure „ patronatus , & jure Decimarum &c. Ecclesiæ Sanctæ Dei Genitricis Ma-„riæ in Enkinbach fecerunt , ratam habemus — Dat. WORMATIÆ „ Anno Dom. MCCLVII. XVII. Kal. Februarii.

Verum Abbatissa , & Sanctimoniales ejusdem Asceterii , egestate pressæ cunctos redditus , quos ibidem loci habebant simul cum jure patronatus alienarunt Anno MCCLXXVIII. in favorem Capituli majoris Ecclesiæ Worm. consentiente in id ipsum Friderico Episcopo.

FRISENHEIM.

SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Ecclesia S. *Leodegario* sacra , cujus jus patronatus liberali manu transtulerunt sub annum MCCCLXXII. Decanus & Cap. majus Worm. in Decanum & Capitulum Ecclesf. Colleg. Neo-stadiensis Spirens. Dioëces.

FURNHEIM.

SEDES RURAL. WEINHEIM.

Ecclesia S. *Mariæ* Virg. dicata est ; jus patronatus ad Archiep. Moguntinum.

FURTH.

SEDES RURAL. WEINHEIM.

Filiales : LINDENFELS , & SCHLIRBACH.



GABSHEIM.

Jus patronatus ad Nobiles de Dalberg.

GARTACH.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Distinguitur locus hic in *Grossen-Gartach* sive Garlach maj. & *Gartach an der Limpurg*, olim, *sub Castro Luneburc*, ut habent litteræ veteres.

Ex his prior S. *Laurentio* sacra est, ejusque Jus patronatus cum attinentiis alienarunt Anno MCCLXV. Abbatissa & Sanctimoniales in Nonnenmunster juxta Wormatiam, in favorem Decani & Capituli Ecclesiæ Colleg. Wimpinensis, prout nos docent litteræ sequentes.

„ JUTTA Abbatissa, totusque Conventus monasterii in Nonnen-mun-„ster, Ordinis Cisterciensis —— constare volumus quod Nos, acceden-„te consensu Reverendi Patris nostri EBELINI, Abbatis Cisterciensis, qui „Nobis præest, possessiones nostras cum universis attinentiis, & jure patro-„natûs, quas in villa MAJORI-GARTACH hactenus pacificè tenuimus —— „in Capitulum & Ecclesiam S. Petri Wimpinensis, justo venditio-„nis titulo trausferimus ——

„ Dat. Anno Dom. MCCLXV. XV. Kal. Maji.

Nihilominus ex Visit. Dioëcesana Anni MCCCCXCVI. liquet jus patronatûs idem spectare ad Capellanos in Odenheim.

Constat insuper ex litteris Anni MDXX. Reinhardum Worm. Episcopum primissariam in jam dicta Ecclesia a novo confirmasse.

Alterius Ecclesiæ in GARTACH mentionem faciunt litteræ Theodorici Worm. Episcopi per quas, universos ejus proventus unit, ac incorporat Collegio Canonicorum S. Petri Wimpinensis.

Ejus Filialis fuerat NIDERHOFEN, verum hæc in Parochialem Ecclesiam erecta fuit Anno MCCCCLX.

GAVANGELBACH aliàs GAVANGELACH.

SEDES RURALIS WEIBSTATT.

Ecclesia S. *Petro* Ap. dicata est; Jus patronatus ad Sodalitatem B. M. Virg. Heidelbergæ, ut constat ex visit. Dioecesana Anni MCCCCXCVI.

GEIMBSHEIM.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Ecclesia S. *Hilario* sacra; Jus patronatus, penes Decanum & Capitulum

pitulum Eccles. Colleg. Wimpinensis exstat ibidem Castrum Erenberg cum Oratorio S. Albani.

Ejus Filialis est: Mulbach.

GEMMINGEN.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Ecclesia S. *Martino* sacra est; Jus patronatus ad Decanum & Capitulum majus Spirense.

GEROLTZHEIM.

SEDES RURAL. FREINSHEIM.

Ecclesia S. *Leodegario* dicata est, cujus Jus patronatus transiit à Nobb. de Hauben ad Nobb. Camerarios de Wormatia, Lib. B. B. de Dalberg.

GIMBSHEIM.

SEDES RURAL. GUNTERSBLUM.

Ecclesia S. *Mauritio* sacra . . . .

GOSSENHEIM.

SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Ecclesiæ S. *Dionisio* sacra est, ejusque Jus patronatus spectabat olim ad Abbatem in Ottersberg.

GROSSEN-SASSENHEIM. vide HOHEN-SASSENHEIM.

GRUNBUCH. al. GRUNBACH.

SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Hujus parochiæ quæ S. *Margaretæ* sacra est, mentio jam recurrit Anno MCCXIX. in Litteris Conradi Laurissensis Abbatis. Jus patronatus ejusdem ad Capitulum Colleg. Eccles. Wimpinensis, cui & redditus inde provenientes incorporavit Anno MCCCLXII. Theodoricus Worm. Episcopus; cæterum Benefactores indicat Charta sequens.

„ Universis Christi Fidelibus innotescat quod Joannes de Berlichin-„gen, armiger; & Adelheidis de Massenbach uxor sua legitima —— de „consensu honorabilium virorum D. D. Decani & Capituli Ecclesiæ S. Petri „Wimpinensis, patronorum Ecclesiæ parochialis in Grunbuch, quoddam „beneficium sacerdotale in Altari B. M. Virg. & S. Catharinæ in dicta Ec-„clesia parochiali —— cum certis redditibus instituerint & dotaverint——

„ Nos igitur Echardus Episcopus Wormatiensis, cupientes divinum „cultum augeri —— institutionem beneficii memorati ratificamus ——

„ Dat. Anno Dom. MCCCLXXXI. die III. mensis Octobris.

GRÜNSTAT.

SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Ecclesia S. *Petro* sacra; cujus Jus patronatus olim fuit penes Nob. de Reipoltzkirchen, ut constat ex visit. Dioëcesana Anni MCCCCXCVI.

Huc

Huc respicit parochialis Ecclesia MERTESHEIM.

GUMPER.

SEDES RURALIS WEIBSTAT.

Ecclesia S. *Cyriaco* Mart. dicata est; Jus patronatus ad Decanum, & Capitulum Maj. Ecclesiæ Worm.

Ejus Filiales sunt: GUMPER inferior.

Item, utraque villa BUCHELENBACH, tum & BAPSTAT, quæ Ecclesiam habet S. *Udalrico* sacram.

GUNDERSHEIM.

SEDES RURAL. DALSHEIM.

Locus hic, qui antiquitus Gunderamischeim dictus est, Ecclesiam habet S. *Remigio* sacram, cujus Jus collationis spectabat quondam ad Abbatissam de Sion, ut ex visit. Diœcesana Anni MCCCCXCVI. constat.

Ejus Filialis est ENSHEIM, cum Oratorio S. *Cyriaci*.

GUNTHEIM.

SEDES RURAL. DALSHEIM.

Ecclesia S. *Laurentio* dicata est; Jus patronatus ibidem ad universitatem studii Heidelbergensis.

GUNTHERS-BLUM.

SEDIS RURALIS CAPUT.

Ecclesia S. *Victori* dicata, cujus Jus patronatus una cum bonis ac redditibus eidem annexis sibi acquisivit Capitulum majus Ecclesiæ Wormatiensis, ut perhibent litteræ sequentes.

„ LANDOLFUS Dei gratia Wormatiensis Episcopus &c.

„ Cum Capitulum nostræ Ecclesiæ universa bona in GUNTERSBLUM, „unà cum Jure patronatus, quæ quondam fuerant Xanctensis Ecclesiæ, ab „ipsa Xanctensi Ecclesia legitimè comparaverit; Nos, inspecta tenuitate præ-„bendarum Fratrum Ecclesiæ nostræ —— Fructus ad parrochiam in Gun-„tersblum spectantes in decimis, & aliis, ad præbendarum suarum indulsi-„mus meliorationem ———

„ Dat. Anno MCCXXXVII. Indict. X.

Consensere in contractum illum præter Godefridum Colleg. Ecclesiæ Xanctensis Præpositum, etiam Coloniensis Archiepisc. quia Diœcesanus.

Orta postmodum Anno videlicet MCCLXXXVIII. controversia super persolutione minutæ decimæ in Guntersblum; in eandem condemnati fuêre Burgenses & communitas loci ejusdem erga Capitulum Maj. Worm. ex sententia Simonis Worm. Episcopi; sub data X. Kalend. Julii anno quo supra.

Similiter Anno MCCCXII. diffinitum fuit per sententiam adversus Fridericum Comitem de Leiningen, quod Decanus & Capitulum Maj. Eccles. Worm. ratione bonorum suorum in Guntersblum, nihil quidquam conferre debeant ad precariam seu Exactionem quæ *Herbist - bede* dicebatur.

Joannes Armiger de Odernheim fundavit Anno MCCCLXXXIII. primissariam in prædicta parochiali Ecclesia, idque de consensu Echardi Worm. Episcopi, ejusque Capituli majoris.

Exsta-

Exstabant olim juxta locum hunc Guntersblum Oratoria duo; unum S.S. *Michaeli*, & *Margaretæ* sacrum; alterum S. S. Cruci dicatum; quod postremum Anno MCCCXC. erectum fuit;

GUTTENBACH.

SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Ecclesia S. *Urbano* sacra est, atque annexa Ecclesiæ parochiali in Neunkirchen cujus quondam Filialis exstitit.



HAG.

SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Ecclesia S. *Lamberto* Ep. & M. dicata cujus collatio ad communitatem Incolarum loci, ut discimus ex Visit. Dioëcesana Anni MCCCCXCVI.

HAMMEN vid. EYCH.

HANDSCHUESHEIM.

SEDES RURAL. WEINHEIM.

Ecclesia S. S. *Vito*, & *Georgio* sacra est; Jus patronatûs ejusdem ad Decanum, & Capitulum Ecclesiæ Metrop. Moguntinæ.

Filialis ejus Ecclesia est NUENHEIM, cujus antiquitatem commendat sequens Inscriptio;

„ Anno Dominicæ Incarnationis MCXXXVII. Nonis Augusti, ab Epi-„ scopo Domino nostro BOGGONE Wormatiensis Ecclesiæ, dedicatum est „ hoc Templum in nomine Sanctæ Trinitatis. Et in honore Sancti JOHANNIS „ Bapt. & M. & quorum vel quarum Reliquiæ continentur in hoc sanctua-„ rio, scilicet: Blasii M. & Nicolai, Ægidii confessorum, Virginumque „ Margaretæ, Afræ, Luciæ, Susannæ.

Cæterum in parochiali Ecclesia Handschusheim fundavit olim insigne beneficium Joannes è Nobilibus de Handschuesheim in hæc verba.

„ Ego JOANNES miles de HANTSCUESHEIM ob honorem omnipoten-„ tis Dei &c.

„ Lego totam partem meam decimæ frumenti, & vini in terminis „ Kircheim & Rorbach, agros, census & omnia bona mea, ibidem — ad „ præbendam & sustentationem idonei & discreti sacerdotis, qui singulis „ diebus missam in Ecclesia HENTSCHUESHEIM in anteriori Altari in honore „ B. Mariæ Virg. constructo, ante quod tumulari eligo, celebrare debe-„ bit — Jus, donum, & collationem præbendæ seu beneficii Altaris a „ me instituti in Reverendiss. Dominum EMERICUM Worm. Episcopum, & „ suos in Episcopatu successores transtuli — sic tamen ut Dominus ille, „ qui in tempore vacationis beneficii memorati, Episcopali Cathedræ præ-„ sederit, ob honorem Generis mei, de septem primis consanguineis meis, „ scilicet: SWICKERI militis, MORHARDI militis, HERBORDI Fratris mei, „ & quatuor Fratrum; DIETHERI, SVVICKERI, HEINRICI, & WILHEL-„ MI, Filiorum quondam DIETHERI patruelis mei, unius semper Senioris

„inter prædictos, preces exaudiat & admittat a die vacationis infra quinde-„nam petentis pro idoneo sacerdote —

„ Datum Anno Dom. MCCCXVI. pridie Margaretæ Virg.

HANGEN-WALHEIM.

SEDES RURAL. GUNTERSBLUM.

Ecclesia S.S. *Mariæ Mag.* & *Jacobo* Ap. sacra est. Pertinuitque olim Jus patronatus ejusdem ad Nob. de Hirshorn, ut constat ex Visit Diœcesana Anni MCCCCXCVI.

HANGEN-WEISSHEIM.

SEDES RURAL. DALSHEIM.

Ecclesia S. *Walpurgi* sacra; Jus patronatus ad Decanum, & Capitulum Ecclesiæ Cathed. Wormatiensis.

Exstabat ibidem Oratorium, cujus cura ac dispositio erat penes Ord. Equestrem S. Joannis Jerosolym. Melitens.

HARBACH.

SEDES RURAL. LANDSTUL.

Ecclesia S. *Petro* sacra est, alternabatque in Jure patronatûs ejusdem, Elector Palatinus, cum Nobb. de Oberstein aliàs de Lapide-superiori, ut constat ex Visit. Diœcesana Anni MCCCCXCVI.

Ejus Filialis est Ban; in honorem S. *Valentini* Mart. constructa, tum & aliæ circumpositæ villæ Hermersberg, Weselberg, Linde, Quidersbach, Kynsbach, Crieckenbach, & Hochstein.

HARSHEIM vid. STETTEN.

HASELBACH, al. MONS-HASELBACH.

SEDES RURAL. FREINSHEIM.

Ecclesia S. *Cyriaco* dicata est; spectatque Jus collationis ad Abbatissam Parthenonis Nonnen-Munster juxta Worm.

Filiales habet: Carlebach, & Laumersheim, quarum prior S. *Jacobo*, altera, quæ modo matrix Ecclesia est, S. *Bartholomæo* App. sacra est.

Huc quoque facit Notitia Simonis Episcopi Worm. pro donatione quadam Coënobio Schonaugiensi Anno MCCLXXXVI. facta. Siquidem inter Testes occurrunt Bertholdus *Plebanus* Montis-Haselbach, & Jacobus *presbyter ejusdem Montis.*

HASSMERSHEIM.

SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Ecclesia S. *Dionisio* sacra; Jus patronatus ad supremum Magistrum Ord. Eq. Teutonici.

HEDESBACH.

SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Ecclesia S. *Petro* Ap. dicata, cujus Jus patronatus spectabat quondam ad Nobiles de Landtschad.

Ejus

Ejus Filiales sunt : BRAMBACH, & SCHNITTEWAG, quarum illa S. *Mariæ Magd.* hæc vero, B. *Mariæ* Virg. dicatæ sunt.

HEDESHEIM vid. COLGENSTEIN.

HEDDESHEIM.

SEDES RURAL. WEINHEIM.

Ecclesia in honorem S. *Remigii* constructa est ; Jus patronatus ejusdem ad Archiep. Moguntinum pro tempore existentem.

HEICHHAUSEN.

SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Ecclesia S. S. *Petro*, & *Paulo*, App. dicata.

HEIDELBERG.

SEDIS RURALIS CAPUT.

Ecclesia sub invocatione Spiritûs Sancti, quæ quondam etiam collegiata erat.

Parochiæ antiquitatem demonstrant, Conradus *plebanus* in HEIDELBERG; testis adhibitus in Litteris Henrici Com. Pal. pro Schonaugiensibus Anno MCXCVI. tum Swickerus *Archipresbyter* de HEIDELBERG, dictus in amicabili compositione inter Lobeveldenses & Schonaugienses Anno MCCXXIII. super prædio in Nuwenheim inita.

HEILIGEN CREUTZ - STEINACH.

SEDES RURAL. WEINHEIM.

Jus patronatus hujus Ecclesiæ S. *Cruci* dicatæ acquisivit sibi jam olim Capitulum majus Wormatiense, ut patet ex charta sequenti.

„ EBERHARDUS Dei gratia Worm. Electus & confirmatus. Recognosci„mus —— quod constitutus in nostra præsentia CONRADUS de STRALEN„BERG, confessus est se vendidisse decimam villæ in Berlesbach, cum jure „patronatus Ecclesiæ in HEILIC CRUCES-STEINA, cum omnibus attinen„tibus, Ecclesiæ Wormatiensi, & quia a Nobis in feodo obtinebat supra„dicta, supplicavit ut nostrum consensum prædictæ venditioni adhibere cu„raremus: Nos, dictis bonis in manus nostras per dictum Conradum resigna„tis, Decanum, & Capitulum Ecclesiæ Worm. prædictæ de eisdem inve„stivimus ——

Dat. Anno Dom. MCCXCIII.

HEINSHEIM.

SEDES RURALIS WEIBSTATT.

Spectat jus patronatus hujus Ecclesiæ ad Decanum, & Capitulum Ecclesiæ Colleg. Wimpinensis, ut patet ex litteris sequentibus.

„ Nos ULRICUS, & ERKENGERUS, Fratres, Milites de MAGEN„HEIM, constare volumus —— quod donationi Juris patronatus Ecclesiæ

„ in Heinsheim factæ propter Deum a discreto viro Henrico milite de Bret-„tach honorabilibus viris Præposito, Decano, & Capitulo Ecclesiæ Wimp. „cum universis attinentiis ad preces ejusdem militis, qui prædictum Jus pa-„tronatus cum attinentiis & bonis ibidem a Nobis in feodum obtinebat, no-„strum consensum adhibuimus & præsentibus adhibemus, præsertim cum „prædictus miles vineas suas in Rietenfurt, & in Phaphenhoven a Nobis in „feodum recepit in prædicti Feodi recompensam —

„ Dat. in Castro nostro Magenheim Anno Dom. MCCLXXXVIII.

Accessit postmodum consensus Eberwini Worm. Episcopi, ut fidem faciunt litteræ ipsius desuper emanatæ Anno MCCC. die crastino divis. Apostolorum.

Exstitêre & hic loci Oratoria duo, quorum unum Conradus de Winsperg Archiep. Moguntinus prope Castrum suum Gutenberg *infra limites parochialis Ecclesiæ villæ* Heinsheim, *Wormatiensis diœcesis* de consensu Capituli Wimp. instituisse ac dotasse reperitur, in honorem S. *Eucharii* Anno MCCCXCIII. Alterum fundavit in honorem S. *Nicolai* Conradus junior de Winsperg, pro remedio fratruelis sui Conradi senioris de Winsperg; Anno MCCCXCVI.

HELMSTATT.

SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Distinguitur Locus hic in *Superiorem* & *Inferiorem*. illius Ecclesiam S. *Laurentio* sacram conferunt Nob. de Helmstat, hujus verò S. *Mauritio* sacræ jus patronatus ad Capitulum Wimpinense, ut suprà sub *Aglasterhausen* ostendimus, ex litteris Wernheri, & Conradi de Horneck dat. Anno MCCLIIII.

HEPPENHEIM uff der Wiesen.

SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Ecclesia S. *Petro* Ap. dicata est; Ejus jus patronatus contulerat primitus majori suo Capitulo Lupoldus Wormatiensis Episcopus, ut nos docent litteræ sequentes.

„ Ego Lupoldus Dei gratia Moguntinæ sedis Electus, Wormatiensis „Episcopus. Paupertatem vestram gravem, Fratres Carissimi, Wormatien-„sis Ecclesiæ majoris Canonici, sæpius attendentes — Ecclesiæ in Hep-„penheim redditus considerantes, & ejusdem Ecclesiæ dotem cum obla-„tionibus atque donationibus Fidelium in sustentatione Sacerdotis ibi Divina „ministrantis sufficere cognoscentes, ex auctoritate nostræ dispensationis „per Scripta præsentia vobis indulgemus ut in eadem Ecclesia partem deci-„marum quæ hactenus ad Sacerdotem spectabat, ad supplementum stipen-„diorum vestrorum deinceps in perpetuum habeatis —

„ Dat. Anno Dom. MCCIIII. Indict. VII.

Verum Anno MCCXXXIV. idem jus patronatus acquisivit a Capitulo suo

ſuo Nibelungus Præpoſitus major, quod & ejus in hac dignitate Succeſſores ſibi hactenus retinuerunt.

HERNSHEIM al. HERELSHEIM.

SEDES RURAL. DALSHEIM.

Eccleſiæ hujus S. *Petro* Ap. ſacræ Jus patronatus ſpectabat olim ad Decanum & Capitulum Eccleſiæ Colleg. in Neuhauſen.

Exſtant in eâdem Altaria duo, unum S. *Nicolao*, alterum S. *Catharinæ* ſacra, quorum collatio pertinet ad Nob. Camerarios de Wormatia L. L. B. B. a Dalberg; prioris chartam fundationis hic referre juvat.

„ REINHARDUS Dei gratia Worm. Epiſcopus &c. ſignificamus per præ„ſentes, quod providus & Robuſtus Vir DITHERUS CAMERARIUS, armi„ger, noſter conſanguineus dilectus & fidelis, cupiens pro augmentatione „divini cultus juxta ſpeciale deſiderium, & voluntatem quondam Gudæ Ma„tris ſuæ, dum adhuc in humanis vigebat —— quoddam perpetuum ſacer„dotale beneficium in Altari S. Nicolai Confeſſoris ſiti in Eccleſia parochiali „in Herlesheim noſtræ Diœceſis, de conſenſu & voluntate Decani & Capi„tuli S. Cyriaci in Nuhuſen, collatorum dictæ parochialis Eccleſiæ in Her„lesheim, —— inſtituit, donavit, & deputavit ac dotavit ——

„ Datum Anno MCCCCXL. in die S. Ægidii Confeſſoris.

HERXHEIM.

SEDES RURAL. FREINSHEIM.

Eccleſia S. *Jacobo* maj. Apoſtolo dicata, cujus jus patronatus olim ſpectabat ad Cœnob. in Heina.

HESSHEIM.

SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Eccleſia S. *Martino* ſacra eſt, ejusque jus patronatus ad Decanum, & Capitulum maj. Eccleſiæ Worm.

Fuerat hæc parochia quondam ſedis ruralis caput, ut conſtat ex quodam inſtrumento Anni MCCCCI. ubi Archipresbiter, Camerarius, ac Diffinitores, nec non perſonæ Capitulares *Sedis Ruralis in Heſſheim* longo ordine memorantur.

HETTENHEIM vid. EYSENBERG.

HEUCHELNHEIM.

SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Circa hanc Eccleſiam ſequens exſtat notitia:

„ Nos EMERICUS Dei gratia Worm. Epiſcopus &c. Parochialem Ec„cleſiam in HUCHELNHEIM, cujus collatio, ſeu præſentatio ad Nos, ratione „Epiſcopatus noſtri ſpectare dinoſcitur, ob ſpeciale commodum & hono„rem Epiſcopatûs & Eccleſiæ noſtræ Worm. prædictæ, Altari Capellæ Aulæ „noſtræ Worm. in honorem Petri & Pauli Apoſtolorum conſecrato, incor- „poran-

„ porandum duximus tali modo, quod dum eandem Ecclesiam vacare con-„ tigerit, Vicarius perpetuus per Nos, aut Successores nostros, eidem præfi-„ ciatur Ecclesiæ, reservata ipsi de redditibus Ecclesiæ præbenda competenti „ — volentes quod residuum de redditibus ad eandem Ecclesiam pertinen-„ tibus, Capellano Altaris Capellæ nostræ Worm. prædictæ cedat. —

„ Dat. LAUDENBURG Anno Dom. MCCCXVIII. in vigilia beatæ Aga-„ thæ Virg.

Exstant & aliæ litteræ super fundatione beneficii cujusdam perpetui in eadem Ecclesia, quas pariter hic referimus.

„ CUNO Dei gratia Episcopus Wormatiensis recognoscimus — quod „ strenuus Vir JACOBUS dictus SCHRIMPH miles de HUCHELNHEIM — „ in Ecclesia parochiali villæ HUCHELNHEIM, in Altari beatæ Mariæ Virg. „ beneficium sacerdotale, sive missam perpetuam instituisse, & ad ipsum de-„ putasse annuos & perpetuos redditus XX. mald. silig. & redditus unius Car-„ ratæ vini — ita quod ipse Capellanus plebano Ecclesiæ in Huchelnheim, „ quando & quoties voluerit, in divinis officiis adesse tenebitur. —

„ Dat. Anno Dom. MCCCXXII.

Reservaverat sibi collationem hujus beneficii ipse fundator, cujus defectum supplet Episcopus Worm.

Reperio insuper Henricum Camerarium, dictum de Rodenstein, Anno MCCCCXX. fundasse ac dotasse in Ecclesia ibidem Altare B. Mariæ Virginis.

HILSBACH.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Ecclesia S. *Michaeli* Archangelo dicata; Jus patronatus penes supremum Magistrum Ord. Teutonici.

Ejus Filialis est WEYLER, S. Leonardo sacra.

HILSHEIM.

SEDES RURAL. GUNTERSBLUM.

Ecclesia S. *Martino* sacra, cujus jus patronatus olim habebat Abbatissa in Rosenthall.

HIRSCHORN.

SEDES RURALIS. WEIBSTAT.

Hæc Ecclesia, quæ quondam Filialis fuerat parochiæ Ersheim; demum Anno MDCCXXXII. & ipsa in parochialem Ecclesiam erecta fuit sub titulo *B. M. Virg. immaculatè conceptæ*; reservato jure patronatûs Archiepiscopo Moguntino.

HOGHEIM al. HOCHHEIM.

SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Ecclesia S. *Petro* Ap. sacra est. De ejus jure patronatus ita disserit in diplomate suo dat. Anno MCXLI. Buggo Worm. Episcopus.

„ Venit

„ Venit ad Nos dilectus Filius noster HEINRICUS Præpositus beati Andreæ „Apostoli, quem dilexit Dominus in odore suavitatis, petens suppliciter a „Nobis, qualiter nostra permissione & confirmatione pro remedio animæ suæ, „liceret ei offerre, & integraliter tradere fratribus suis, Deo & prædicto „Apostolo militantibus in supplementum Canoniæ suæ Ecclesiam illam paro- „chialem in HOCHEIM, quæ eo tempore vacabat, & cujus Investitura tunc „ad solum Præpositum respiciebat; assurgentes ergo tam laudabili voto, me- „diante GOTEFRIDO Archidiacono majoris domus, cæterisque Fidelibus „nostris, assensimus, ita tamen: ut Ecclesia prænominata proprium habeat „Pastorem qui de Ecclesiasticis provideat, & respondeat — & sint quæ „cedant in Specialitatem Pastoris, cætera universaliter, sive in Hocheim, „sive in Phephilincheim, deputentur in communes usus Fratrum.

Verum suborta difficultate quadam, res non nisi ad Annum MCCXXIII. exitum suum integre sortita est, ac nudum jus patronatus cessit tunc Cantori ejusdem Ecclesiæ in perpetuùm. Factum utrumque probante Gregorio IX. pont. per bullam suam. Dat. Anno MCCXXXIIII.

Ejus Filialis quondam fuerat *Pheffinkheim*; sed quæ postmodum in parochialem Ecclesiam erecta fuit, ob rationes quarum mentio fit in litteris sequentibus.

„ PHILIPPUS Decanus, totumque Capitulum Ecclesiæ S. Andreæ Worm. „constare volumus, — quod cum Ecclesia in Peffilnkem, utpote filia a „matrice Ecclesia in Hocheim dependet, & tribus tantum diebus presbyter „parochialis de Hocheim missam ibidem celebraverit, quæ tamen propter in- „undationem Aquarum, & asperitatem Hyemis, Sacerdos non valens ire Pef- „filkem, ibidem sæpius non fuerit celebrata, & ideo ex piæ devotionis studio „& affectu inventum: ut Ecclesia nostra Sacerdoti in Peffilnkem cottidie ce- „lebranti ad præbendam amministret — cujus etiam plebani institutio & „destitutio ad Nos Decanum, & Capitulum debet ante omnia pertinere — „si vero Dominus Episcopus Worm. aut loci Archidiaconus, qui pro tempore „fuerint, Jura Episcopalia, aut alia quæcumque recipere vellent, tanquam a „parochiali Ecclesia, cum filia sit matricis Ecclesiæ in Hocheim, ut supradi- „ctum est, vel villani in Peffelkem in solutione sibi competente negligentes — „Nos Decanus & Capitulum Ecclesiæ S. Andreæ ad nihil tenebimur —

„ Dat. Anno Dom. MCCCIIII. in die B. Urbani Papæ.

HOFFEN.

SEDES RURAL. WEIBSTAT.

Ecclesia S. S. *Vito*, & *Georgio* M. M. sacra . . .

HOHEN - SASSENHEIM.

SEDES RURAL. WEINHEIM.

Ecclesia S. *Jacobo* maj. Ap. dicata est; jus patronatus ejusdem ad Commendatorem Domus Teutonicæ Francofurti.

Ejus

Ejus Filialis Ecclesia est: GROSSEN-SASSENHEIM S. *Mariæ Magd.* sacra.

HOHE-SPEYER.

SEDES RURAL. LANDSTUL.

Ecclesia S. *Cyriaco* sacra est; cujus Jus patronatus olim fuerat penes Decanum, & Capitulum Ecclesiæ Colleg. S. Pauli Worm. verum inita Anno MCCXXII. cum Præposito, & Conventu Monasterii Hegenensis transactione, Jus illud simul cum annexis proventibus, ipsis cessit.

Huc spectabat Oratorium S. *Mariæ* in FISCHBACH, quod dein sub Annum MCCCCLXXI. in Monasterium excrevit.

HOHENSTAT vid. WIMPHEN.

HOHENSULZEN vid. SULZEN.

HORCHEIM.

SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Ecclesia S. *Cruci* sacra; cujus collatio ad Capitulum majus Ecclesiæ Worm.

Ejus Filialis est: WEISSHEIM, S. *Bonifacio* dicata.

HÜFFELHART.

SEDES RURAL. WEIBSTAT.

Ecclesiæ hujus S. *Vito* M. dicatæ Jus patronatus ab antiquo possedit Ecclesia Collegiata Wimpinensis, cui & universos redditus exinde provenientes univit THEODORICUS Worm. Episcopus per litteras datas Anno MCCCLXII.

Ejus Filiales sunt WOLLENBERG, S. *Valentino* sacra, & WAGENBACH.

HUSEN.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Ecclesia S. *Kiliano* sacra, cujus Jus patronatus pertinuit quondam ad Nobb. de Neuberg.



IBERSHEIM.

Pro Jure patronatus hujus Ecclesiæ faciunt litteræ sequentes.

„ GERHARDUS Dei gratia Præpositus S. Pauli Worm. præsentis pagi-„næ Inspectoribus salutem in omnium salutari —

„ Dilectorum Nobis in Christo Decani, & Capituli Ecclesiæ nostræ S. „Pauli in Wormatia, devotionem, qua se nobis semper exhibent, ac in-„digentiam, quam ex tenuitate præbendalis stipendii in ipsa Ecclesia susti-„nent, attendentes; de consensu venerabilis Domini & Patris nostri EBER-„HARDI Worm. Episcopi, Ecclesiam in IBERSHEIM, Ecclesiam in ANGE-„LACHEN, & Ecclesiam in OTTERSHEIM, ad collationem nostram, ratio-ne

„ne præpositurae nostræ, quam in prædicta Ecclesia S. Pauli obtinemus, „pertinentes, cum Juribus Patronatus, & aliis pertinentiis omnibus sæ„pe dicto Decano, & Capitulo, præbendarum suarum libere conferimus, „& contulisse nos recognoscimus in augmentum, in cujus collationis „testimonium & perpetuam firmitatem, præsentem litteram prædicti Do„mini & Patris nostri Episcopi Worm. & nostro sigillo eisdem dedimus „communitam.

„Dat. & Actum WORMATIÆ Anno Dom. MCCLXX.

His accesserunt postmodum & aliæ litteræ, quarum tenor talis est.

„JOANNES Decanus, totumque Capitulum Majoris Ecclesiæ Wor„matiensis, Decano & Capitulo S. Pauli, requirentibus nostrum consensum „necessarium de unione Ecclesiarum & translatione in YBERENSHEIM du„dum unitæ, & in ANGELACHEN a novo unitæ, in augmentum præben„darum suarum facta per consensum felicis recordationis Domini nostri „Eberhardi Worm. Episcopi, nec non honorandi Viri GERHARDI præ„positi Ecclesiæ prædictæ ratificata —— ipsam unionem de ipsis Ecclesiis „cum Juribus & pertinentiis patronatus factam Ecclesiæ S. Pauli præ„dictæ ratam habemus.

„Dat. Anno Domini MCCLXXXIX.

ILVESHEIM al. IVIESHEIM.
SEDES RURAL. HEIDELBERG.

Ecclesia S. *Petro* Ap. dicata est; Jus patronatus ejusdem ad Capitulum Majus Ecclesiæ Wormatiensis, prout discimus ex litteris sequentibus.

„EMERICUS Dei, & Apostolicæ sedis gratia Wormatiensis Ecclesiæ „electus & confirmatus, honorabilibus Viris sibi dilectis, Decano & Capi„tulo Ecclesiæ Wormatiensis salutem —— Cum Religiosi Viri J.. Abbas „Conventus Monasterii Horbacensis Ord. S. Benedicti, Metensis Diœcesis, „ob honorem Dei, & beati Petri Principis Apostolorum, Jus patronatus „parochialis Ecclesiæ in Iviesheim, nostræ Diœcesis, quod ad Eos perti„nebat, in vos Decanum, & Capitulum, nec non Ecclesiam nostram pu„re & simpliciter transtulerint, & donaverint pleno jure; Nos volentes ut „ex augmento temporalium rerum divino cultui propensius intendatur, præ„fatam Ecclesiam IVESHEIM, vobis, & Ecclesiæ nostræ Worm. prædictæ „præsentibus unimus & incorporamus ——

„Actum WORMATIÆ Anno MCCCVIII. VI. Kal. Augusti.

ISSESSHEIM.
SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Hujus Nominis duplex locus exstat, in *Majorem*, & *Minorem* distinctus; prior ex iis Ecclesiam habet S. *Mauritio* sacram, cujus Jus patronatus spectabat olim ad Abbatissam in Lichtenstein. Alter, Ecclesiâ S. *Cuniberti* insignitus est; obtinebantque olim in eadem Jus patronatus Nobiles de Lamersheim, ut constat ex visitatione Diœcesana Anni MCCCCXCVI.

KALSTAT vid. PFEFFINGEN.

KATZWEILER.
SEDES RURAL. LANDSTUL.

KEFFERTHAL.
SEDES RURAL. WEINHEIM.

Ecclesia S. *Mauritio* sacra est; Jus patronatus ad Decanum, & Capitulum Maj. Ecclesiæ Worm.

KETWARTSHAUSEN.
SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Ecclesia in honorem S. S. *Nicolai*, & *Udalrici* consecrata est...

KERTZENHEIM.
SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Ecclesiæ hujus quæ S. *Petro* Ap. dicata est: spectabant quondam Jus patronatus ad Abbatissam in Rosenthall.

KIBELBERG.
SEDES RURAL. LANDSTUL.

Ecclesia S. *Valentino* sacra.

Ejus Filialis est: MISAU.

KIRCHEIM.
SEDES RURAL. FREINSHEIM.

Ecclesia S. *Andreæ* Ap. dicata, cujus Jus patronatus olim erat penes Præpositum & Conventum monasterii de Heina.

Ejus Filialis est BISSERSHEIM S. S. *Blasio* & *Margaretæ* Virg. dicata, cum Oratorio B. *M. Virg.* meminerunt litteræ Anni MCCCLXXXIX. cujusdam Joannis Fidelini de Wachenheim, qui tunc Ecclesiæ hujus gerebat curam.

KIRCHEIM.
SEDES RURAL. HEIDELBERG.

Ecclesia S. *Petro* sacra, pertinuit olim simul cum Jure patronatus ad Capitulum Eccles. Colleg. Neuhausensis, cui Simon de Schoneck Worm. Episcopus etiam universos ejusdem redditus incorporaverat per litteras suas dat. Ann. MCCLXXXVI. die XIII. Kalend. Aprilis.

Filialis ejus Ecclesia est RORBACH, S. *Benedicto* dicata.

KIRCHHAUSEN.
SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Ecclesia S. *Albano* M. sacra est; circa cujus Jus patronatus sequens superest notitia:

„Nos

„ Nos EBERHARDUS Comes de WIRTEMBERG notum facimus —
„quod jus patronatus parochialis Ecclesiæ in HUNINGEN, Constantiensis
„dioecesis, ad Nos & progenitores nostros ex antiquo pertinens — tradi-
„mus & assignamus HENRICO Monasterii in Aldenberg Præposito, ejusque
„successoribus, & hoc pro jure patronatus Ecclesiæ parochialis in KIRCHUSEN
„Wormatiensis dioecesis, quæ dictus Henricus Præpositus assignavit, nostro
„nomine, strenuis Viris RABANO de HELMSTAT Militi, RABANO de
„THALHEIM, & CONRADO MUNCH, dicto ROSENBERG, armigeris—

„ Actum Anno MCCCXCIII. in die S. Bened. Abbatis.

Ab his autem militibus jus illud patronatus transiisse ad Ordinem Teutonicum sat credibile est, siquidem ex visit. dioecesana Anni MCCCCXCVI. constat supradictæ Parochiæ collationem spectare ad supremum Magistrum ordinis ejusdem.

KIRCHART.

Ecclesiæ hujus S. *Ægidio* dicatæ jus patronatus similiter ad supremum Magistrum Ord. Teutonici; exstant enim litteræ Anni MCCCXCV. quibus recognoscit se se, suumque ordinem teneri quotannis in III. ceræ Libras erga Capitulum majus Ecclesiæ Worm. eo quod liberaliter consensisset in incorporationem ejusdem Ecclesiæ suo ordini factam.

KIRSTETTEN vid. OBERKUM.

KLOPPEN vid. SECKENHEIM.

KOCHENDORFF.

In notitiam juris patronatus hujus Ecclesiæ nos inducunt litteræ sequentes.

„ Ego CUNRADUS Nobilis de ALENVELT, constare cupio, quod ho-
„norabiles Viri Præpositus, Decanus, totumque Capitulum Ecclesiæ Wim-
„pinensis, jus patronatus parochialis Ecclesiæ in KOCHENDORFF, quod
„ARNOLDUS de KOCHENDORFF, a me, jure feodi hactenus tenuit, erga
„eundem Arnoldum comparantes, petiverunt ad hoc meam adhiberi autori-
„tatem &c. Testes ALBERTUS de TALHEIM, & CONRADUS de NI-
„DECKE, Canonici Herbipolenses —

„ Actum Anno MCCXCIII. in die Ceciliæ Virg.

Postularunt deinde iidem Canonici Wimpinenses eandem Ecclesiam simul cum proventibus ejus, sibi incorporari, quod & ipsis gratiose concessit EBERWINUS Worm. Episcopus, qua loci dioecesanus; ut constat ex charta sequenti.

„ EBERWINUS Dei gratia Episcopus Worm. & Decanus, & Capitulum
„ejusdem Ecclesiæ, dilectis in Christo honorabilibus Viris, Præposito, De-
„cano, & Capitulo Ecclesiæ Wimpinensis — considerantes præbendarum
„vestrarum tenuitatem — communi consensu & de nostra auctoritate Eccle-
„siam in KOCHENDORFF, cujus jus patronatus ad Vos, & Ecclesiam vestram per-
„tinet, cum universis attinentiis &c. in augmentum Præbendarum vestrarum

„convertimus, volentes tamen & ſtatuentes ut vicario perpetuo ſtudeatis pro-„videre — Actum Anno MCCCI.



LADENBURG.

SEDES RURAL. WEINHEIM.

Eccleſia S. *Gallo* dicata eſt, facitque ad parochiæ antiquitatem Adilbertus plebanus, cujus mentio occurrit in litteris Anni MCCVI.

Ejus filiales ſunt: NECKERSHAUSEN, & STRASSHEIM; quanquam poſteriorem locum hunc MATHÆUS Worm. Epiſcopus aliquando in parochiam erigere decreviſſet, ut litteræ ejus fidem faciunt, quas proinde hic ſubjicere viſum eſt.

„ MATHÆUS, Dei, & Apoſtolicæ ſedis gratia, Epiſcopus Worm. Uni-„verſis innoteſcat: quod cum devota Domina MEZA, nata de NYPPERG, „quondam DIETHERI de HENTSCHUESHEIM, ſtrenui Militis relicta, vo-„lens beneficium Altaris S. Mariæ Magd. cum Capella conſecrata, ſita in vil-„la Straſſheim noſtræ dioëceſis, ut in Eccleſiam Parochialem erigeretur, ac „etiam illam dotaverit certis bonis penſionibus ac redditibus — Nos Ma-„thæus Epiſcopus ſupradictus, divinum cultum augeri cupientes, eandem „Inſtitutionem Eccleſiæ memoratæ autoriſamus, approbamus, & præſentis „ſcripti patrocinio eatenus confirmamus ut dictæ Eccleſiæ plebanus apud „ipſam reſidere perſonaliter teneatur — populum ſibi commiſſum guberna-„re, & in Sacramentis Eccleſiaſticis ſalubriter providere —

„ Dat. HEIDELBERG, ipſa die circumciſionis Anno Dom. MCCCCIX.

Inſtituerat autem id pia Mulier de conſenſu Henrici, & Hartmudi de Hantſchuesheim, filiorum ſuorum, juſſeratque ut jus patronatus novæ illius parochiæ eſſet penes Capitulum majus Eccleſiæ Worm.

LAMBSHEIM.

SEDES RURAL. FREINSHEIM.

Eccleſia S. *Stephano* proto-M. dicata, Patronum agnovit Abbatem Weiſſenburgenſ.

Exſtat & ibidem Oratorium *B. M. Virg.* cujus diſpoſitio penes Capitulum Eccleſiæ S. Pauli Worm.

LAMPERTHEIM.

SEDES RURAL. WEINHEIM.

Eccleſia S. *Andreæ* Apoſt. ſacra eſt. Ejus jus patronatus ſpectabat olim ad Præpoſitum Eccleſ. Colleg. S. Andreæ Worm. verum Conradus, eâ fungens dignitate, illud Anno MCCXXIII. tranſtulit in Decanum ac Capitulum ejusdem Eccleſiæ a quo demum ceſſit ad opus Cuſtodiæ Anno MCCXXVIII. factum probante, præter Worm. Epiſcopum, etiam Gregorio IX. pont. max. per bullam dat. Ann. MCCXXXIIII.

Confir-

Confirmaverat ſimiliter Altare in honorem B. Mariæ Virg. cum annexa primiſſaria in eadem Eccleſia erectum ac dotatum Anno MCCCXLIX. Salmannus Worm. Epiſcopus, quod ſerus ejus ſucceſſor Henricus poſtmodum Ann. MDXLVIII. parochiæ univit, ac incorporavit.

LANDSTUL. aliàs NANSTAL.

SEDIS RURALIS CAPUT.

Eccleſia S. *Andreæ* Ap. ſacra, hoc ſingulare habebat circa jus patronatus, quod anno pari ſpectaret ad Bavariæ Duces, impari vero ad Comites de Bitſch; ut conſtat ex Viſit. diœceſana Anni MCCCCXCVI.

Ejus Filiales Eccleſiæ ſunt MITTELBORN, & OBER-ARMBACH; prior ex his Sanctæ *Verenæ* dicata eſt.

LANGENZELL. vid. WESSENBACH.

LANGNADEN. vid. OBER-LAUBACH.

LAUMERSHEIM. vid. HASELBACH.

LAUTTER. vulgò KEYSERSLAUTER.

SEDES RURAL. LANDSTUL.

Eccleſia B. *Mariæ Virg.* ac S. *Martino* ſacra eſt. Oratorium ibidem dedicat in honorem S.S. Petri Ap. & Richardis Imp. SIMON Epiſcopus Worm. Ann. MCCXCI.

LAUTERSHEIM.

SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Eccleſia S. *Stephano* dicata eſt; ejus jus patronatus Comes de Weſterberg ſepties conſecutivè exercebat; octava verò vice Nob. de Lautersheim, ut conſtat ex Viſit. dioëceſana Anni MCCCCXCVI.

LEIMEN aliàs LEYMHEIM.

SEDES RURAL. HEIDELBERG.

Eccleſiæ hujus S. *Mauritio* ſacræ jus patronatus penes Decanum & Capitulum Eccleſiæ Colleg. S. Andreæ Worm. prout id innuunt litteræ ſequentes.

„ Nos RUDOLFUS, & LUDEWICUS, Fratres Dei gratia Comites Pala-„tini Rheni, Duces Bavariæ &c. conſtare volumus, quod OTTO de BRUH-„SELLA, noſter Vaſallus, duas partes decimæ &c. quas a Nobis in Villa „LEIMHEIM, nomine feodi, hactenus obtinebat, cum jure Patronatus &c. „in Capitulum, & Eccleſiam S. Andreæ Worm. tranſtulit —— nos ad pre-„ces & inſtantiam ejuſdem Ottonis, prænotatæ Tranſlationi noſtrum con-„ſenſum plenarium adhibemus ——

„ Dat. Anno MCCCIII. feria tertia ante S. Laurentii.

Sequuntur litteræ Investituræ.

„ Joannes a Randeck Præpositus novæ - Domus , extra muros „ Worm. discreto viro Archipresbytero in Kircheim. Ad Ecclesiam in Leim-„heim Hermannus Prebendarius Ecclesiæ S. Andreæ , Nobis ab honorab. „Viris Decano , & Capitulo S. Andreæ , veris Patronis præfatæ Ecclesiæ „in Leimheim , præsentatum investimus ——

„ Dat. Anno MCCCIII.

Institutionem Primissariæ hujus loci ratam habet Theodoricus Episc. Worm. per litt. dat. Anno MCCCLXIX.

Fundavit Anno MCCCCXLV. loci Communitas Altare cum beneficio in honorem SS. Trinitatis.

Anno MCCCCLIV. Reinhardus Worm. Episcopus consentit in fundationem ac dotationem Altaris B. Mariæ Virg. factam a Petro Nagelin de Ormgaw.

LEUSSELSHEIM.

SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Ecclesia S. *Laurentio* dicata est ; jus patronatus ejusdem ad Præpositum maj. Ecclesiæ Worm.

LIDRICHHEIM.

Hujus Parochiæ jam mentionem facit charta Adalberti Episcopi Worm. ad Annum MLXVIII.

Orta inter Capitulum Ecclef. S. Andreæ ex una , & ejusdem Præpositum , ex altera , partibus , gravi controversia , super *positione Ecclesiæ Lidrichesheim*, tandem Conradus in ea dignitate constitutus Anno MCCVIII. cessit juri suo, & Capitulum jus illud idem patronatus postmodum Decanatui adnexum voluit , sed nudum ; assentientibus tum Diœcesano loci Anno MCCXXVIII. tum Gregorio IX. pont. max. Anno MCCXXXIV.

LINDENFELS vid. FURTH.

LOCHEIM.

Hic loci , Ecclesia parochialis quondam exstitit , contuleratque jus patronatus ejusdem simul cum proventibus Anno MCXCVIII. ad opus Cœnobii Schonaugiæ Lupoldus Worm. Episcopus , cujus etiam autoritate postmodum diruta est Anno MCCVIII. ut discimus ex litteris sequentibus.

„Lupoldus, Dei gratia, Maguntinæ sedis Electus, Wormatiensis Episcopus. „Religiosarum idoneas petitiones personarum exaudire , commodisque earum „tenemur ex injuncto nobis officio efficaciter providere. Pervenire igitur ad „noticiam universorum præsens scriptum intuentium tam præsentis ætatis, „quam successuræ posteritatis cupimus , quod Nos propter honorem Dei , & „B. Mariæ Virg. Ecclesiæ Schonaugiensis Abbati , & Fratribus suis , licentiam „indulsimus disponendi de Ecclesia in villa Locheim sita , quidquid voluerint , „ diruen-

„diruendi eam videlicet, in eodemque loco Curiam, & quidquid eis placue-
„rit ædificandi — Teftes: ULRICUS, major Præpofitus in Wormatia.
„WIGRAMUS majoris Ecclefiæ Worm. Decanus, HENRICUS Scholafticus,
„BALDEMARUS Cantor &c.

„ Actum Anno Dom. MCCVIII. Indict. XI.

LUDELENHEIM vid. WALTENHEIM.

LUSSELSTAT.

SEDES RURAL. FREINSHEIM.

Ecclefiæ hujus S. *Leodegario* facræ Jus patronatus olim fuerat penes Præpofitum & Conventum Monafterii in Heine.

LUTTERSHAUSEN.

Ecclefia S. *Joanni Baptiftæ* dicata eft; jus patronatus ad Decanum & Capitulum maj. Ecclefiæ Worm.

Ejus Filialis eft ATZMANSWEILER, in honorem S. *Crucis* erecta ac conftructa.



MANHEIM.

SEDES RURAL. WEINHEIM.

Ecclefia S. *Sebaftiano* facra; Jus patronatus ad Capitulum S. Martini Worm.

MASSENBACH.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Ecclefia Divo *Georgio* facra eft, fpectabatque jus patronatus ejusdem, olim ad Nobb. de Neuberg. al Nypperg.

MECKLESHEIM al. MECKKESHEIM.

SEDES RURAL. WEIBSTAT.

Ecclefia S. *Martino* dicata eft; jus patronatus penes Capellanos Electoris Palatini.

Exftat ibidem Oratorium B. Virg. *Mariæ* facrum.

Filialis ejus eft SÜTZENHAUSEN, fub invocatione S. S. *Fabiani*, & *Sebaftiani*.

MEISENBACH. vid. EISSWEILER.

MEISENBORN. vid. SCHONBORN.

MERLEBACH.

SEDES RURAL. WEINHEIM.

MERTESSHEIM.

SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Ecclefia S. *Martino* facra, cujus collatio fpectabat olim ad Abbatem Glan-

Glandaviensem, quemadmodum & Oratorium S. S. *Trinitatis* ibidem ad ad ejusdem pertinuit provisionem.

MERTELSTEIN vid. OBERKUM.

METTENHEIM.

SEDES RURAL. GUNTBRSBLUM.

Ecclesia S. *Nazarino* dicata est.

In Visit. Dioëcesana Anni MCCCCXCVI. mentio fit Oratorii S. *Michaelis*, ibidem siti, cujus provisio erat penes Episcopum Worm. p. t. existentem.

MICHELBACH.

Ecclesia *B. M. Virgini* dicata est, cujus Jus patronatus exercuerunt alternis vicibus, Comites de Lewenstein, & Nobiles de Helmstat; ut habent acta visit. Dioëcesanæ Anni MCCCCXCVI.

MISAU vid. KIBELBERG.
MITTELBORN. vid. LANDSTUL.

MÖNCHZELL.

SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Ecclesiæ hujus in honorem S. *Petri* constructæ Jus patronatus erat penes Nobb. de Monchzell; seu Monchell, ut constat ex visit. Dioëcesana Anni MCCCCXCVI.

MONSHEIM.

SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Ecclesia S. *Georgio* sacra est; spectabatque Jus collationis ejusdem ad Præpos. & Conventum Cellensem.

MORGSTATT.

SEDES RURAL. DALSHEIM.

Ecclesia S. *Cyriaco* dicata, cujus Jus patronatus Anno MCCCLXXIX. Capitulum Maj. Eccles. Worm. in Capitulum Eccles. Colleg. Neuhausensis liberaliter transtulit.

MÖRSCH.

SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Ecclesia S. *Stephano* sacra est; obtinebatque Jus patronatus in eadem, quondam Abbas Cœnobii in Frankenthall.

MUCKENLOCH.

SEDES RURALIS WEINHEIM.

Ecclesia S. *Cyriaco* sacra, cujus Jus patronatus erat olim penes Nobiles de Hirschorn.

MÜER

SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Ecclesiæ S. S. *Lamberto*, & *Bartholomæo* dicata; cujus Jus patronatus pertinuit olim ad Nobb. de Niepeling. Ex-

Exſtant litteræ Helfrici de Rudickeim, magni Prioris *ſacræ Domus Hoſpitalis S. Johannis Hieroſolym. per Alemanniam*, de data Anni MCCCXII. per quas inſtituit ac fundat ibidem loci beneficium *pro ſacerdote qui* (inquit) *in domo noſtra dicti loci Muren divina celebret.*

MULBACH.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Eccleſia S.S. *Valerio*, *Euchario*, & *Materno* ſacra eſt. Jus patronatus ad Nobb. a Gemmingen.

MULEBACH vid. RUPPACH.

MULHAUSEN.

SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Eccleſiæ hujus in honorem S. *Margaretæ* conſtructæ Jus patronatus ad Ducem Wirtembergiæ. Ibidem Præmiſſaria, cujus collatio ad Epiſcopum Spirenſem.

Ejus Filialis eſt Dierbach.

MULHEIM.

SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Eccleſia S. *Mathæo* Ap. ſacra eſt, ſpectavitque jam ab antiquo Jus patronatus ad Abbatiſſam in Nonnen-Munſter, cui Aſceterio univerſos reditus inde provenientes etiam incorporavit Salmannus Worm. Epiſcopus per litteras ſuas datas Ladeburgi Anno MCCCXLIII.

MULSHEIM.

SEDES RURAL. DALSHEIM.

Eccleſia S. *Ægidio* dicata eſt, pertinuitque olim ejus Jus patronatus ſimul cum Oratorio S. Nicolai ibidem, ad Abbatem Hornbacenſem.

MUNDENHEIM.

SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Eccleſia SS. *Petro*, & *Sebaſtiano* dicata cujus Jus patronatus poſtquam aliquamdiu exercuiſſet Capitulum Eccleſiæ Colleg. Sancti Andreæ Worm. tandem Joannes Worm. Epiſcopus omnes, ac ſingulos redditus inde provenientes, eidem univit Anno MCCCCLXXXIII. factum probante Sixto IV. Pontifice.



NANSTAL vid. LANDSTUL.

NECKERAW.

SEDES RURAL. HEIDELBERG.

Eccleſia S. *Martino* ſacra eſt, ejusque Jus patronatus obtinuêre olim Abbas, & Conventus Cœnobii Schonaugienſis ex liberali donatione Rudolfi,

& Ludovici Com. Palatinorum, ut constat per litteras sequentes, quibus eidem Conventui parochiæ fructus incorporantur.

Emericus Dei gratia Worm. Episcopus Religiosis in Christo Abbati & Conventui monasterii Schonaugiensis —— supplicastis ut cum Jus patronatus Ecclesiæ parochialis in Neckeraw ab Illust. principibus Dominis Rudolfo, & Ludovico, fratribus, ducibus Bavvariæ, & Comitibus Palatinis Reni; illustris Matronæ Dom. Mechtildis, præfati Domini Rudolfi Collateralis legitimæ accedente consensu, vobis sit libere condonatum, ipsam parochialem Ecclesiam vobis & vestro Monasterio incorporare dignaremur —— Nos igitur attendentes &c. liberum desuper præbemus assensum ——

Dat. Anno MCCCXI.

NECKER - GARTACH.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Ecclesia S. *Petro* Apostolo dicata est; Jus patronatus ejusdem ad Commendatorem Domus Ord. Teut. in Hailbrunn.

Ejus Flialis est Franckenbach. S. *Albano* sacra.

NECKER - GEMUNDE.

SEDES RURALIS WEIBSTAT.

Ecclesiæ hujus, quæ S. *Udalrico* Ep. & Conf. sacra est, Jus patronatus olim fuit penes Abbatem Schonaugiensem.

Ejus Filialis est Wesenbach.

NECKER-HAUSEN vid. L'ADENBURG.

NECKER - STEINACH.

SEDES RURAL. WEIBSTAT.

Ecclesia S. *Cæciliæ* dicata; patroni Laici ex Lege feudali L. L. B. B. de Metternich Mulenarck.

Ejus Filialis est Darsberg. S. *Sebastiano* sacra.

NEUBERG aliàs NYPERG.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Ecclesia S. *Catharinæ* dicata est, spectabatque quondam Jus patronatus ad Nobiles loci hujus cognomines.

NEUKIRCHEN al. NIUNKIRCHEN.

SEDES RURAL. WEIBSTAT.

Richowoni Episcopo Wormatiensi Otto I. Rex donaverat Anno DCCCCXXXVII. *Ecclesiam in Niunkirchen*, simul cum dote, ut habet ejus Diploma; quod donum cessit postmodum præpositurae Ecclef. Colleg. S. Andreæ, ac dein Scholastici officio annexum fuit, ut discimus ex charta sequenti.

Eber-

„ EBERHARDUS de BEINEBURG, Præpositus Ecclesiæ S. Andreæ „Worm. dilecto sibi WERNHERO ejusdem Ecclesiæ Scholastico.

„ Cum Nos Ecclesiam in NUNKIRCHEN & BUDENBACH Worm. „Dioecesis univerimus Officio Scolastriæ in Ecclesia S. Andreæ noviter in- „stituto, & eandem Ecclesiam Tu possederis ante Institutionem ipsius Sco- „lasteriæ a bonæ memoriæ HEINRICO Præposito, nostro prædecessore, „Tibi collatam, qui post ejusdem Ecclesiæ collationem, & unionem ad „Officium Scolasteriæ Tibi contulerit etiam Officium Scolasteriæ, confir- „matione Reverendi in Christo Patris ac Domini EMICHONIS Episcopi „subsecuta, Capituli majoris Ecclesiæ accedente consensu, & nostræ, sicut „in litteris super hoc confectis plenius continetur. Nos de eadem Scolaste- „ria Te in his scriptis, in nomine Domini, investimus ——

„ Dat. Anno Dom. MCCXCIX.

NEU - LEININGEN.
SEDIS RURALIS CAPUT.

Ecclesia S. *Nicolao* sacra, quondam Filialis fuerat Ecclesiæ in Sauf- senheim.

NIDERFLÖRSHEIM vid. FLÖRSHEIM.

NIDERHOVEN.
SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Ecclesia hæc olim fuerat Filialis Majoris-Gartach, a qua deinde Anno videlicet MCCCCLX. separata exstitit.

NIEDENSTEIN.
SEDES RURALIS WEIBSTAT.

Ecclesia *B. M. Virg.* dicata est.

Filialis ejusdem est DAISTBACH *Beatæ Mariæ* pariter sacra.

NITTELSHEIM.
SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Ecclesiæ hujus S. *Petro* sacræ Jus patronatus spectare videtur ad Præpositum Maj. Eccles. Worm. ex contractu desuper Anno MCCXXXIIII. inito.

Distinguitur autem locus hic a minori NITTELSHEIM, qui & aliàs UTZELNHEIM dictus est, cujus Ecclesia S. *Severino* sacra, simul cum Jure patronatus ad Capitulum S. Andreæ Worm. ut constat ex Charta sequenti:

„ EBERHARDUS Dei gratia Worm. Episcopus. Tenore præsentium „constare volumus —— quod GERBODO & GODEFRIDUS de MORO, „fratres, milites Worm. qui decimas & Jus patronatus Ecclesiæ in UTZELN- „HEIM a nobis concessa perpetuo in feodum detinebant, in nostra præsen- „tia constituti prædictas decimas &c. in Capitulum & Ecclesiam S. Andræ con- „tulerunt —— Testes HENRICUS Camerarius, GERHARDUS frater ejus, „milites Wormatienses. —— Dat. Anno MCCLXX.

Accessit dein ratihabitio Bonifacii VIII. pont. Anno MCCXCVIII.

NORTHEN.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Ecclesia S. *Bartholomæo* Ap. dicata est, obtinebantque jus patronatus olim in eadem Nobiles de Neuhausen aliàs nova-casa.

NUSSLOCH seu NOSLOCH.

SEDES RURAL. HEIDELBERG.

Ecclesiæ hujus, in honorem S. *Laurentii* constructæ, jus patronatus translatum est a Nobilibus de Wilre, qui illud ab Ecclesia Spirensi in feudum obtinebant, ad Decanum, & Capitulum maj. Ecclesiæ Worm. ut constat ex litteris sequentibus.

„ Nos BERLEWINUS Dei gratia Præpositus Ecclesiæ Nuhusensis extra „muros Worm. notum facimus — quod constitutus in nostra præsentia „ALBERTUS Rector Ecclesiæ in NOZLOCH, nostri Archidiaconatus, filius „Nobilis Viri GODEFRIDI de WILRE, præsentibus nobilibus viris MAR„QUARDO seniore, & MARQUARDO juniore de WILRE, patruo, & fra„tre dicti ALBERTI, idem Albertus dictam Ecclesiam in Nosloch in ma„nus nostras, patruo, & fratre prædictis, consentientibus, resignavit, pe„tens, ut Dominum Decanum majoris Ecclesiæ Worm. nomine suo, & Ec„clesiæ suæ Wormatiensis, de eadem Ecclesia Nosloch investiremus; quam „Investituram fecimus secundum quod ad nostrum Officium pertinebat —

„ Dat. Anno MCCXCVI. in vigilia Ascensionis Domini.

Accessit Sibodonis Spirensis Episcopi consensus Anno MCCCII. tum & Joannes de Hohenart militis, qui & ipse jus quoddam in decimis obtinebat.

NUWENHEIM vid. HANTSCHUESHEIM.

❋ ❋ ❋

OBER ARMBACH vid. LANDSTUL.

OBERKUM.

SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Ecclesia S. *Lamberto* sacra.

Ejus Filiales sunt: MERTELSTEIN S. *Gregorio* sacra, & KIRSTETTEN.

OBERKEIM vid. COLGENSTEIN.

OBER-LAUBACH.

SEDES RURAL. LANDSTUL.

Ecclesiæ hujus S. *Petro* dicatæ jus patronatus penes Electorem Palatin.

Ejus Filiales sunt LANGNADEN & NIDERLAUBACH, quarum prior S. *Bartholomæo* sacra est.

OBERSCHEIM vid. AGRESHEIM.

OEDICKUM vid. OPPAW.

OFFTERSHEIM vid. SCHWETZINGEN.

ORMSHEIM vid. FLAMERSHEIM.

OPPAW. al. OPPHAW.

SEDES RURAL. WEINHEIM.

Ecclesia S. *Martino* dicata est; cujus jus patronatus olim exercebat Præpositus maj.

maj. Ecclesiæ Wormatiensis. Verum qui ea dignitate fruebatur Nibelungus Anno MCCXXXIV. transtulit idem Jus in Decanum & Capitulum jam dictæ majoris Ecclesiæ Worm.

Filialis ejus est OEDIKUM B. *Virg.* sacra.

OPPENHEIM.

SEDES RURAL. GUNTERSBLUM.

Hoc oppidum bifariè divisum, separat Moguntinam diœcesim a Wormatiensi, quanquam ejus pars potior, cui insedit Ecclesia parochialis S. *Sebastiano* sacra, ad Wormatiensem jurisdictionem spectaverit antiquitus, ut ex litteris sequentibus colligere est.

„ GERHARDUS Dei gratia Moguntinus Archiepiscopus —— cum ad „mandatum Serenissimi Domini nostri Romanorum Regis Illustris, per anti„quiores, & meliores incolas loci, revelatis antiquis limitibus, qui Mogun„tinam diœcesim a Wormatiensi distinxerunt (quanquam per ignaviam „fuissent in parte convulsi) exstiterit liquido declaratum: quod *nova Civitas*, „in OPPENHEIM, in nostra sit diœcesi constituta —— Nos, de consilio „Capituli nostri, & Præpositi S. Victoris, loci Archidiaconi, Ecclesiam S. „CATHARINÆ, in ipsa Civitate fundatam, in parochialem Ecclesiam eri„gimus ——

„ Dat. MOGUNTIÆ Anno MCCLVIII.

Jus patronatus parochialis Ecclesiæ S. *Sebastiani*, olim ad Imperatores pertinuit, ut constat ex Rudolfi I. litteris, datis Anno MCCLXXVI.

Erant quoque ibidem loci sita Oratoria duo, unum S. *Annæ*, alterum in Leprosorio S. *Nicolao*, dicata, ut constat ex visitatione diœcesana Anni MCCCCXCVI.

OSTHEIM.

Ex litteris Lupoldi Worm. Episcopi de dato Anni MCXI. discimus: jus patronatus hujus Ecclesiæ, quod ad Præposituram Neuhusensem spectabat, ab ipso fuisse incorporatum ac unitum Ecclesiæ Colleg. Neuhausensi, simul cum redditibus inde provenientibus.

OSTHOVEN.

SEDES RURAL. DALSHEIM.

Ecclesia S. *Remigio* dicata est. Ejus jus patronatus pertinuit primitus ad Abbatem, & Conventum monasterii in Hornbach, ut constat ex litteris Henrici Worm. Episcopi super ejusdem incorporatione emanatis Anno MCCXXX.

Verum illud unà cum proventibus a jam dicto monasterio acquisivit postmodum Capitulum majus Wormatiense.

Exstitisse ibidem loci Oratoria duo, quorum unum S. *Pirminio*, alterum

 S. *Joan-*

S. *Joanni Bapt.* ſacra erant, patet ex viſit. dioëceſana Anni MCCCCXCVI.

OTTERBACH.

SEDES RURAL. LANDSTUL.

Eccleſia B. M. Virg. in Coëlum aſſumptæ dicata.

OTTERPERG.

SEDES RURAL. LANDSTUL.

OTTERSCHEIM. vid. STETTEN.



PFEFFINGEN.

SEDES RURAL. FREINSHEIM.

Eccleſia S. *Petro* Ap. ſacra, cujus proviſio ad ſtipendiarios Univerſitatis ſtudii Heidelbergenſis ſpectare memoratur in charta viſitat. dioëceſanæ Anno MCCCCXCVI. Ubi pariter mentio fit Oratorii S. *Michaelis*, ibidem in monte conſtructi.

Filiales ejus Eccleſiæ ſunt: UNGSTEIN S. *Nicolao*, & KALSTAT S. *Albano*, dicatæ.

PFEFFILKHUM.

SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Eccleſia hæc, quæ in honorem S. *Stephani* conſecrata exſtitit, ſeparata eſt ſub Annum MCCCIIII. a Matre Eccleſia in Hocheim, ac ex filiali in parochialem pariter erecta; reſervato Eccleſiæ Colleg. S. Andreæ Worm. antiquo ſuo jure patronatus ibidem.

PHEDERSHEIM.

SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Eccleſia B. *Mariæ* Virgini dicata eſt, ſpectavitque olim jus patronatus ejusdem ad Præpoſitum montis S. Georgii ibidem, quemadmodum & proviſio Oratorii S. *Stephani* in Coëmiterio, tum & alterius cujusdam in Noſocomio conſtructi.



QUIRNHEIM.

SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Eccleſia B. *Mariæ* Virgini ſacra eſt, cujus jus patronatus exercebat quondam Præceptor Domus in Stephanfelt, ut habent acta viſit dioëceſanæ Anni MCCCCXCVI. quæ & ſimul mentionem faciunt Oratorii S. *Oswaldi* extra villam Quirnheim poſiti.

RAMO-



RAMOSA al. RAMSEE vid. EYSENBERG.

RAMSTEIN.

SEDES RURAL. LANDSTUL.

- - - -

RAPENAU.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Ecclesia S. *Joanni Bapt.* dicata est; Jus patronatus ejusdem ad Nobb. de Helmstat.

REYEN.

SEDES RURAL. WEIBSTAT.

Ecclesia B. *Mariæ* Virg. sacra est, cujus olim jus patronatus obtinebant Nobb. de Neyperg.

RHEIN - TURCKHEIM.

SEDES RURAL. DALSHEIM.

Ecclesiæ hujus, in honorem B. *Mariæ* Virg. constructæ, jus patronatus simul cum attinentiis sibi acquisivit Capitulum Eccles. Colleg. S. Andreæ Worm. Anno MCCLXXXI. ut discimus ex charta sequenti.

„ Fridericus Dei gratia Episcopus Worm. constare volumus universis; „quod Fridericus dictus de Meckinheim miles, qui duas partes decimæ &c. „in Reindurkeim nostræ diœcesis cum jure patronatus Ecclesiæ ibidem in „feodum sibi concessa, a dilectis consanguineis nostris, Friderico, & „Emichone de Leiningen, Comitibus, tanquam minor Vasallus habuit, „quas partes decimæ &c. prædicti consanguinei a nobis sibi concessa perpe„tuo in feodo hactenus tenuerunt — de eorum consensu, ex causa vendi„tionis in Capitulum & Ecclesiam Sancti Andreæ Worm. transtulit. Nos „vero prænotatæ venditioni, & translationi plenarium consensum adhi„bemus —

„ Dat. Anno Dom. MCCLXXXI. in crastino decollat. S. Joannis „ Baptistæ.

RICHARTS - HAUSEN.

SEDES RURAL. WEIBSTAT.

Ecclesia S. *Cæciliæ* Virg. & M. dicata est, ejusque jus patronatus ab Abbate de Sunnesheim translatum est Anno MCCCXXVII. in Decanum, ac Capitulum Ecclesiæ Colleg. Wimpinensis, prout litteræ sequentes fidem faciunt.

„ Conradus, dispositione Divina, Abbas, totusque Conventus in Sun„nesheim, Ord. Sancti Benedicti, diœcesis Spirensis — urgente debitorum „onere — Viris honorabilibus Præposito, Decano, totique Capitulo Ec„clesiæ Wimpinens. Worm. diœces. de consensu R. P. ac Domini Emicho„nis, Episcopi Spirensis nostri diœcesani, justo titulo vendidimus Curiam „ nostram

„ noſtram ſitam in villa RICHARTSHUSEN cum omnibus ſuis juribus &c. volumus „ etiam, ut jus patronatus Eccleſiæ parochialis villæ prædictæ, ad Nos, & noſtrum pertinens monaſterium, jure utili tranſeat in dictos Dominos, & Eccleſiam eorum —

„ Dat. Anno Dom. MCCCXXVII.

Acceſſit dein etiam Conſenſus CUNONIS Worm. Epiſcopi, qui ſimul parochiæ illius proventus Eccleſiæ Wimpinenſi incorporavit per chartam ſequentem.

„ CUNO, Dei gratia, Epiſcopus Wormatienſis, dilectis in Chriſto Decano & Capitulo Eccleſiæ Wimpinenſis ſalutem — Cum jus patronatus Eccleſiæ in RICHARTSHUSEN noſtræ dioëceſis, per Religioſos Viros Abbatem, & Conventum monaſterii in Sunsheim Ord. S. Bened. Spirenſis dioëceſis, ad quos olim pertinebat, in Vos, & veſtram Eccleſiam de novo ſit translatum, Nos — præſatam Eccleſiam in Richartshuſen Vobis & Eccleſiæ veſtræ Wimpinenſi, in Dei nomine, præſentis Scripti patrocinio, unimus & incorporamus — ita tamen quod cum ipſam vacare contigerit, vos perpetuo Vicario, qui loco veſtri Eccleſiæ prædictæ deſerviet, in eadem competentem præbendam aſſignetis —

„ Dat. Wormatiæ Anno Dom. MCCCXXVIII. feria tertia infra octavam B. Martini Epiſcopi.

RICHEN.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Eccleſia B. *Mariæ* Virgini dicata eſt; jus patronatus ejusdem ad Nobb. de Gemmingen.

RIESELSHEIM.

SEDES RURAL. WEIBSTATT.

Eccleſia S. *Dyoniſio* Mart. ſacra eſt, cujus jus patronatus olim pertinuit ad Nobiles de Hirſchorn.

ROCKENDORFF.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Eccleſiæ hujus, S. *Sebaſtiano* ſacræ, proviſio ſeu jus patronatus penes Decanum & Capitulum Eccleſiæ Wimpinenſis.

ROCHENHAUSEN.

SEDES RURAL. LANDSTUL.

- - - -

RODENBACH.

SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Eccleſia S. *Brigittæ* dicata eſt; Jus Patronatûs ejusdem ad præpoſitum maj. Eccleſiæ Wormatienſis.

RODENBERG.

SEDES RURAL. WEIBSTAT.

Eccleſiæ hujus S. *Nicolao* dicatæ, jus patronatus penes Electores palatinos.

RORBACH vid. KIRCHEIM.

ROXHEIM.

SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Eccleſia S. *Mariæ Magd.* ſacra eſt; jus patronatus ad Decanum & Capitulum Maj. Eccleſiæ Wormatienſis.

Filialis

Filialis ejus Ecclesia est Bobenheim, cum Oratorio S. *Mauritio* sacro.

RUCHEIM.
SEDES RURALIS DIRMSTEIN.

Ecclesia S. *Cyriaco* sacra, cujus provisio olim spectabat ad Capitulum Ecclesiæ Colleg. Neuhausensis juxta Wormatiam.

RUDELSHEIM.
SEDES RURAL. GUNTERSBLUM.

Ecclesia S. *Vito* Martyri sacra est, pertinuitque olim ejus Jus patronatus ad Capitulum Eccles. Colleg. S. Catharinæ in Oppenheim.

RUMPACH.
SEDES RURALIS WEINHEIM.

RUNDENHEIM. vid. BOECKENHEIM.

RUPPACH.
SEDES RURAL. LANDSTUL.

Ecclesia S. *Ægidio* dicata; Jus patronatus penes Bavariæ Duces.

Ejus Filialis est Mulnbach; quæ S. *Mariæ Magdalenæ* sacra est.



SANDHAUSEN.
SEDES RURAL. HEIDELBERG.

Ecclesia Sancto *Petro* Ap. sacra; cujus provisio olim spectabat ad Capellanos Castri principalis Heidelberg. ut constat ex visit. Dioëcesana Anni MCCCCXCVI.

SANDHOVEN vid. SCHAR.

SAUSSENHEIM al. SUSENHEIM.
SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Duæ hic loci recensentur parochiales Ecclesiæ; una, S. *Petro* dicata, cujus Jus patronatus habet Decanus major Ecclesiæ Worm. alteri S. *Stephano* sacræ providebant Abbatissa, & Conventus sanctimonialium in Nonnen-Munster, juxta Worm. quæ juri hoc suo cesserunt in favorem Richardi Wormatiensis Episcopi Anno MCCLIII. a quo idem Jus eodem anno translatum est in Decanum, & Capitulum Maj. Ecclesiæ Worm. factum probante postmodum anno videlicet MCCLIX. etiam Eberhardo Wormatiensi Electo.

Cæterum ejus Filialis est Leiningen, licet hic loci celebrari consueverit synodalis conventus.

SCHALODEBACH.
SEDES RURAL. LANDSTUL.

Ecclesiam ruinis suis consepultam instauravit Anno MDCCXXVI.

loci tunc præfectus D. Jacobus Hardy, eandemque a novo dotavit, reservato sibi Jure patronatus.

SCHAR. al. SCHARREN.
SEDES RURAL. WEINHEIM.

Ecclesia Divo *Bartholomæo* sacra est, spectabatque olim Jus patronatus ejusdem ad Abbatem Schonaugiensem, ex pia dispositione Ottonis Palatini Comitis, ut testantur litteræ sequentes:

„ OTTO Dei gratia Comes Palatinus Reni, Dux Bavariæ. AGNES „ uxor ejus, & LUDOVICUS Filius eorum —— universis scire volumus, „ quod Nos in remissionem peccaminum nostrorum, Ecclesiam Scharren, „ cujus præsentatio ad Nos pertinere dinoscebatur, cum omni quod in ea „ habuimus, Ecclesiæ Schonaugiensi, quam præ cæteris nostri dominii Ec- „ clesiis sinceriore favore complectimur ac promovere studemus, absolute de- „ dimus, perpetuo deserviendam; volentes ut per ejusdem proventus, Fra- „ tres ibidem Deo famulantes honestius ac abundantius possint & debeant su- „ stentari —— Dat. NIWENBURG Anno Dom. MCCLII.

Hanc donationem ratam habuit Richardus Worm. Episc. per litt. dat. An. MCCLIIII.

Ejus Filialis est SANDHOVEN, B. V. *Mariæ* dicata.

SCHARTHAUSEN olim SCHAFFHAUSEN.
SEDES RURAL. WEIBSTAT.

Ecclesia S. *Nazario* sacra est, cujus Jus patronatus quondam habebant Nobb. ab Hirschhorn.

Ejus Filialis est GAUBERG, S. *Petro* dicata, quam perpetuo beneficio ornarunt, dotaruntque Henricus de Gauberg miles, & Cunigundis ejus uxor sub. Ann. MCCCXII.

SCHLIRBACH vid. FURTH.

SCHLUCHTERN.
SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Ecclesiæ hujus S. *Pancratio* dicatæ Jus patronatus pertinuit olim ad Nobb. de Neuperg.

SCHÖNBORN.
SEDES RURAL. WEIBSTAT.

Ecclesia S. *Ægidio* sacra est, eamque Anno MCCCCXCVI. ad Ottonem Bavariæ Ducem spectasse testatur visitatio diœces. illo tempore facta.

Ejus Filiales sunt: MEISENBORN, & ALENMULE.

SCHRIESHEIM.
SEDES RURAL. WEINHEIM.

Ecclesia hæc S. *Vito* sacra, simul cum omnibus suis proventibus cessit Anno

Anno MCXCIX. Abbati, & Conventui Monasterii Schonaugiensis, idque ex contractu quod hi desuper iniverant cum Lupoldo Worm. Episcopo.

SCHWEIGERN.

SEDIS RURALIS CAPUT.

Hujus Ecclesiæ S. *Joan Bapt.* sacræ Jus patronatus olim erat penes Nobb. a Neyperg. Exstabatque ibidem Oratorium S. S. *Severo*, *Mauritio* & *Vito*, sacrum.

SECKENHEIM.

SEDES RURAL. HEIDELBERG.

Ecclesia S. *Ægidio* dicata est. Jus patronatus ad Capitulum Ecclesf. Colleg. Neostad. ex donatione Ruperti Senioris Palatin Elect. ipsi facta Anno 1359. factum probante Theodorico Episc. Worm.

Ejus Filialis est KLOPPEN, S. *Albano* sacra.

SIEGELSBACH.

SEDES RURALIS WEIBSTAT.

Ecclesiæ hujus S. *Georgio* sacræ, olim patroni erant Nobiles ab Hirschhorn.

SRITTEWAG vid. HEDDESBACH.

SPESBACH.

SEDES RURAL. LANDSTUL.

. . . .

SPECHTBACH.

SEDES RURAL. WEIBSTAT.

Ecclesia S. *Martino* sacra, cujus Jus patronatus erat penes provisorem Oratorii B. *Mariæ* Virg. in Neckergemunde, ut habent acta Visit. Dioecesanæ Anni MCCCCXCVI.

STAUFF vid. EISENBERG.

STEINACH.

Hujus Ecclesiæ mentio jam fit in litteris fundationis Cœnobii Schonaugiensis Anno MCXLII.

STEINFURT.

SEDES RURAL. WEIBSTAT.

Ecclesia S. *Petro* dicata est, cujus provisio spectabat quondam ad Abbatem in Sunsheim.

STEINWEILER.

SEDES RURAL. LANDSTUL.

. . . .

STETTBACH.

Ecclesia S. *Georgio* sacra est, pertinetque ejus Jus patronatus ad Decanum & Capitulum Maj. Ecclesiæ Spirensis.

STETTEN.

SEDES RURAL. DALSHEIM.

Ecclesia *corpori Christi* dicata, inter possessiones Cœnobii Munster-Dreysa recensebatur, ex liberali donatione sibi a Majori Capitulo Worm. facta ad annum MCCXXXI. verum per sequiora tempora factum est, ut anno demum MCCCCXLVII. eandem Ecclesiam simul cum Jure patronatus aliisque emolumentis, transtulerit Abbas prædicti Coënobii in Decanum ac Capitulum Ecclesf. Colleg. S. Pauli Worm. rem probante pontifice max. per bullam dat. Ann. MCCCCXCIX.

Ejus Filialis est *Otterschheim.*

STETTEN,

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

. . . .

STRAZHEIM vid. LADENBURG.

STUDERNHEIM.

SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Ecclesiæ hujus S. *Georgio* dicatæ Jus patronatus penes Capitulum Maj. Ecclesiæ Worm.

Habet annexam sibi Ecclesiam in AGRESHEIM.

SULZEN.

SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Duæ sunt hujus nominis villæ; in harum una, exstat Ecclesia S. *Joanni Bapt.* sacra, cujus provisio olim spectabat ad Decanum, & Capitulum Ecclesiæ Neuhausensis, prope Wormatiam; altera villa, quæ ad prioris distinctionem *Hohen-Sulzen*, sive *Ober-Sultzen*, nuncupatur, Ecclesiam habet S. *Mauritio* sacram, cujus jam Anno MCXLI. mentio fit in quadam charta Buggonis Worm. Episcopi.

Hujus autem posterioris Ecclesiæ Jus patronatus, cum annexum esset olim præposituræ jam dictæ Ecclesiæ S. Andreæ, cessit Canonicorum usibus Conradus, qui Anno MCCVIII. ea dignitate fruebatur; ut litteræ ejus fidem faciunt.

„ CONRADUS Dei gratia Præpositus Sancti Anrdeæ in Wormatia.

„ Necessitatem Ecclesiæ S. Andreæ considerans, cui non meis meritis, „sed miseratione Divina, nomine præpositi præesse teneor ac prodesse, qua„liter per incendia, per bellicam cladem, per violentam deprædationem, per

„per aeris intemperantiam, sub nostri temporis scismate, in bonis suis est ex-
„tenuata; dignum duxi & necessarium ei succurrere — proinde dilectis in
„Christo Fratribus meis, ejusdem Ecclesiæ Canonicis in hoc assensum præ-
„bui; ut Ecclesiam in *Sulzen*, cujus patronatus ad me pertinebat, cum pri-
„mùm vacaret, inposterum ad supplementum præbendæ suæ conferrent.
„Præmemoratam igitur Ecclesiam in Sulzen jam dictis Fratribus meis in sub-
„sidium præbendæ suæ semper habendam confero, & positioni illius renun-
„tio. Actum Anno MCCVIII.

Verum ob causas ad id moventes, re aliquamdiu dilata, ursit eam de-
nuo idem supradictus Conradus, in hæc verba sequentia.

„Reverendo Domino suo LUPOLDO, Moguntino Electo, Episcopo
„suo CONRADUS, Dei gratia, & sua Præpositus S. Andreæ in Worma-
„tia, & Camerarius Spiræ, debitam Reverentiam &c.

„Nuper cum essem apud dilectos Fratres meos, Canonicos Ecclesiæ
„S. Andreæ in Wormatia; quam vestra Clementia speciali favore amplecti
„consuevit, statum illorum percunctatus sum, & plene intellexi, quod tem-
„pus, & hominum malitia, fere totum triticum, & ex magna parte siligi-
„nem eis ademit — recordatusque quod vestræ sanctitatis Dignatio ali-
„quando eis Ecclesiam in Sulzen ad supplementum præbendæ suæ volebat
„confirmare, humilitatis meæ consensu; licet tunc distulimus, nunc liben-
„annuo, pro vestræ petitionis affectu — & jus fundationis in manu ve-
„stra per præsens scriptum resigno, suppliciter exorans, ut auctoritate ve-
„stra prædictis fratribus meis ipsam Ecclesiam in subsidium præbendæ suæ,
„cum primùm vacaverit, conferatis.

Itaque; fecit Præsul, quod rogatus fuerat, & Ecclesiam sæpedictam
Capitulo S. Andreæ univit ac confirmavit per chartam suam datam Anno
MCCXIII. Testibus adhibitis Udalrico Maj. Præposito, & Henrico Maj.
Decano Worm. Ecclesiæ. Accessit insuper bulla confirmatoria Honorii
Pont. data Anno MCCXXI.

Huc insuper referre juvat institutionem præmissariæ ibidem loci factam,
quam suo quoque calculo probavit idem Capitulum S. Andreæ, ut constat
ex sequenti Notitia.

„HENRICUS Præpositus, PHILIPPUS Decanus, totumque Capitu-
„lum Ecclesiæ S. Andreæ Wormatiensis — attendentes pium propositum
„ac devotionem laudabilem honesti viri, David, militis de Sulzen, —
„quo nobis exposuit, ut sibi quoddam altare consecratum in honore B. Ma-
„riæ Virg. suis expensis in Ecclesia nostra parochiali in Sultzen constructum,
„cum præbenda competenti dotare liceret —

„Dat. Anno Dom. MCCXC.

SUTZENHEIM vid. MECKLESHEIM.

SWETZINGEN.

SEDES RURAL. HEIDELBERG.

Ecclesia S. *Pancratio* sacra est; spectabatque Jus patronatus ejusdem

 ad

ad Bavariæ Duces, qui illud postmodum contulerunt: ad opus ascēterii Neuburgensis siti ad Nicrum. Litteras donationis hic subjicimus.

Ejus Filialis: Offtersheim. S. *Kiliano* dicata.

„ Nos Rudolfus & Ludovicus, Dei gratia Comites Palatini Re-„ni, Duces Bavariæ &c.

„ Notum facimus —— quod Abbatissa & Conventus sanctimoniali-„um in Nuwenburg, Curiam earum in Sickenheim sitam &c. cum omni-„bus Juribus & pertinentiis in Nos, & nostros hæredes transtulerunt —— „Nos vero in compensam Curiæ prædictæ præfatæ Abbatissæ, & Conven-„tui in Nuwenburg, Jus patronatus Ecclesiæ in Swetzingen, quod nos re-„spicit, cum omni jure donavimus ——

„ Dat. in Ulma Anno MCCCV. in octava pentecostes.

Accessit consensus Decani, & Capituli Maj. Ecclesiæ Wormatiensis, *sede vacante*. Anno 1305. quo supra, in vigilia BB. Apostolorum Petri & Pauli. Tum ipsa subsequentis Episcopi confirmatio seu ratihabitio, in hæc verba.

„ Emericus, Dei & apostolicæ sedis gratia Episcopus Worm. &c.

„ Jus patronatus Ecclesiæ parochialis in Succingen, nostræ Diœcesis „petivistis a nobis pro augmento sustentationis vestræ, vestro monasterio in-„corporari —— Nos vestris justis petitionibus inclinati dictam Ecclesiam in „Succingen, vobis & monasterio vestro, præsentibus incorporamus —— „volentes ut memorata Ecclesia, cum vacaverit, ad vos, & monasterium „vestrum cum omnibus proventibus, & universis aliis juribus pertineat ple-„no jure, ita tamen quod sacerdoti, seu Vicario ibidem celebraturo, com-„petentes redditus deputentur ——

Dat. Anno MCCCIX. feria VI. post Exaltationem S. Crucis.



TRESCHLINGEN vid. BONFELT.



UBERSCHEIM vid. IBERSCHEIM.

UCKLINGEN.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Ecclesia S. *Georgio* sacra . . . .

UDALSHOVEN.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Ecclesia S. *Nazario* dicata, cujus Jus patronatus pertinuit quondam ad Nobb. de Neyperg.

UFFSTEIN al. OFFSTEIN.

SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Ecclesiæ hujus S. *Martino* dicatæ provisio spectabat olim ad Decanum & Capitulum Neuhausensis Ecclesiæ prope Wormatiam.

UL-

ÜLVERSHEIM.
SEDES RURAL. GUNTERSBLUM.

In actis Visit. Dioëcesanæ Anni MCCCCXCVI. duæ hic loci exstare dicuntur Ecclesiæ parochiales, quarum una S. *Martino* dicata, spectabat ad Capitulum Ecclesiæ Colleg. Neuhausensis juxta Wormatiam; altera S. *Nazario* sacra, ad Collegium S. Gangulfi Moguntiæ.

UMBSHEIM.
SEDES RURAL. GUNTERSBLUM.

Ecclesia S. *Pirminio* sacra est; Jus patronatus ejusdem ad Decanum & Capitulum Maj. Ecclesiæ Worm.

UNGSTEIN. vid. PFEFFINGEN.

UTZELNHEIM. vid. NITTESHEIM.



WACHENHEIM ad Prumiam.
SEDES RURAL. DALSHEIM.

Ecclesia S. *Remigio* dicata est, cujus provisio alternis vicibus spectabat ad Abbatem Hornbacensem, & Nobb. de Wachenheim.

WAGENBACH. vid. HUFFELHART.

WALDMICHELBACH.
SEDES RURAL. WEINHEIM.

- - - -

WAHLALBEN.
SEDES RURAL. LANDSTUL.

Ecclesia in honorem *omnium sanctorum* constructa, patronum olim habuit Præpositum monasterii Lutrensis Ord. Præm. ut constat ex sequentibus Gregorii X. Pont. litteris datis Anno MCCLXXI.

„ Gregorius Episcopus servus servorum Dei; dilectis Filiis Præposito, Priori, & Conventui monasterii S. *Mariæ* in *Lutrea* Præm. Ord. salutem „& Apost. benedictionem.

„Cum a nobis petitur quod justum est &c. exhibita nobis vestra petitio „continebat, quod Reinhardus de Hohinecke miles, Jus patronatus, „quod in Ecclesia Walhalbim Diocef. Worm. obtinebat vobis, & mo„nasterio vestro — de consensu Episcopi Dioecesani contulit — Nos „igitur vestris supplicationibus inclinati, quod super hoc pie ac provide factum „est, ratum & gratum habentes, id auctoritate apostolica confirmamus —

„Dat. apud Urbem-veterem IIII. Non Octob. Pontif. nostri Anno primo.

WALLSTATT.
SEDES RURAL. WEINHEIM.

Ecclesia S. *Petro* dicata, cujus Jus patronatus erat primitùs penes Capitu-

pitulum Maj. Ecclesiæ Worm. a quo transiit Anno MCCCLXXXVI. ad Altaristam S. Crucis in Ladenburg.

WALTDORFF.

SEDES RURAL. HEIDELBERG.

Ecclesiæ hujus S. *Petro* dicatæ mentio jam recurrit in litteris dat. Anno MCXCVII. spectavitque Jus patronatus ejusdem ad Episcopos Wormatienses, quos inter Emicho illud transtulit in Capitulum suum majus, ut constat ex charta sequenti.

„ EMICHO Dei gratia Wormatiensis Episcopus. Dilectis in Christo „Decano, & Capitulo Ecclesiæ Worm. salutem.

„ Ecclesiam in WALTDORFF nostræ Dioëcesis, cujus Jus patronatus „ad Nos pertinere dinoscitur, cum primum vacare contigerit, vobis, & „Ecclesiæ vestræ Wormatiensi, in augmentationem præbendarum vestra„rum conferimus propter Deum in perpetuum possidendam, Jus quoque pa„tronatus quod habere dinoscimur in prædicta Ecclesia Waltdorff, vobis „& Ecclesiæ vestræ donamus ——

„ Dat. Anno Dom. MCCXCIIII. in crastino B. Andreæ.

Idem per litteras suas confirmavit postmodum Emichonis præsulis Successor Eberwinus Anno MCCCII. quo Joannes ab Hoënart, & Henricus de Hirtzberg milites, renuntiarunt in favorem prædicti Capituli majoris, Juri suo quod in decimis villæ Waltdorff habere videbantur.

Præmissariæ fundator in supradicta Waltorffensi Ecclesia exstitit Henricus de Phirt, miles Anno MCCCXL. qui & ejusdem provisionem penes sæpedictum Capitulum Maj. Wormatiense perpetuo remanere voluit.

WATTENHEIM.

SEDES RURAL. NEO-LEININGEN.

Ecclesiæ hujus S. *Albano* dicatæ Jus patronatus exercebat olim Præpositus monasterii Hegensis.

Ejus Filialis est LUDELNHEIM, S. *Petro* sacra.

WEIBSTAT.

SEDIS RURALIS CAPUT.

Ecclesia *B. Mariæ* Virg. nec non S. *Joanni Bapt.* dicata est. Eam Ado quidam Ecclesiæ Neuhausensi obtulit Anno DCCCLXXVII. a qua per concambium ad Ecclesiam Spirensem transiit, ac tandem cum Jure patronatus cessit suffraganeo Episcopi Spirensis, ut constat ex actis visit. Diœcesanæ Anni MCCCCXCVI.

WEILERBACH.

SEDES RURAL. LANDSTUL.

. . . .

WEINHEIM.

SEDIS RURAL. CAPUT.

Ecclesiæ hujus S. *Petro* dicatæ antiquitatem commendat *Trutvvinus*, pa-

Parochianus de Winnehcim, testis adhibitus in litteris Conradi Episcopi Wormatiensis pro Schonaugiensibus. Anno MCLXVIII.

Ejus Jus patronatus, quod primitus ad Lauressensem Abbatiam spectabat, translatum fuit Anno 1224. ad asceterium Neuburgense, eique plene incorporatum per litteras sequentes.

„ Cunradus Dei gratia Abbas Laurissensis Ecclesiæ &c.

„ Notum volumus, quod ex intimo karitatis affectu dudum ad hoc ani„mus noster anhelavit, ut Ecclesiæ in Nuwenburg intra nostræ jurisdictio„nis terminos constitutæ, in qua coëtus sanctimonialium jugibus Deo famu„latur obsequiis, aliqua possemus impendere opera pietatis. Quo circa „plenissime cognoscentes jam dictarum sanctimonialium invictam in præce„ptis dominicis perseverantiam, Ecclesiæ quoque illius nimiam in necessa„riis paupertatem, quoquo modo ipsarum inopiæ, paternitatis affectu, „duximus consulendum & succurrendum, Ecclesiam in Winheim, cujus „patronatus, ratione Abbatiæ Laurensis, ad nos pertinebat, ex Capituli „nostri beneplacito & consensu, præfatæ contulimus Ecclesiæ, hoc modo: „ut quidquid in ea Juris habuimus, eo integraliter in perpetuum gaudeat „Ecclesia memorata —

„ Acta sunt hæc Anno Dom. MCCXXIIII.

Pium facinus approbarunt per litteras suas Conradus Portuensis Episcopus, apostolicæ sedis Legatus, Anno quo supra, Spiræ, die V. idus augusti. Tum & Henricus Worm. Episcopus in hæc verba: „ attendentes hujusmo„di Domini Abbatis Factum Deo placere debere & populo, assensum no„strum, qui requirendus erat, insuper favorabiliter adhibuimus &c. me„moratum siquidem Cœnobium ad Ecclesiam ipsam, personam idoneam „nomine Pastoris habebit præsentare, de proventibus ipsis portionem sibi „competentem assignando — Dat. Anno quo supra 1224.

Accessit denique & Honorii III. Pontificis confirmatio, concessa Laterani, die septimo idus Aprilis anno pontificatus sui nono, qui in annum 1224. superius expressum incidit.

WEINOLSHEIM.

SEDES RURAL. GUNTERSBLUM.

Ecclesia S. *Petro* Ap. sacra est; Jus patronatus ejusdem ad Capitulum majoris Ecclesiæ Worm. ex liberali donatione Wernheri de Bolandia, ut fidem facit charta sequens:

„ WERNHERUS de BOLANDIA Imperialis Aulæ Dapifer &c. — „Jus patronatus Ecclesiæ in WINOLDESHEIM Wormatiensis Diœcesis cum „omni jure quo ipsum Jus possedimus, accedente consensu Filiorum, & „omnium hæredum nostrorum, Canonicis, & Fratribus majoris Ecclesiæ „Wormatiensis, Deo & Sancto Petro in eadem Ecclesia famulantibus, li„beraliter contulimus, perpetualiter possidendum, ita quod ipsi Canonici „in eadem Ecclesia videlicet Winoldesheim certum locent Vicarium, & „quidquid super præbendam ejusdem Vicarii residuum fuerit, ipsi sibi reti„neant in suarum subsidium præbendarum —

„Hujus rei Testes sunt: GERLACUS Præpositus S. Pauli, HENRICUS „Decanus ejusdem Ecclesiæ, LUDOVICUS de FALKENSTEIN &c. Dat. „Anno MCCLVII.

Accessit postmodum Anno MCCLIX. Eberhardi Electi Worm. ratihabitio, qui & redditus inde provenientes majori suo Wormatiensi Capitulo univit ac incorporavit.

WEISHEIM vid. HORCHEIM.

WEISSHEIM.

SEDES RURAL. FREINSHEIM.

Ecclesia S. *Cruci*, ac simul S. *Cyriaco* dicata est. Spectabatque quondam Jus patronatus ejusdem ad Decanum, & Capitulum Ecclesiæ Maj. Worm. a quibus translatum est Anno MCCCLXXIX. simul cum proventibus in Ecclesiam Colleg. S. Cyriaci in Neuhausen, prope Worm.

WEISSENHEIM.

SEDES RURAL. FREINSHEIM.

Ecclesia S. S. *Joanni*, & *Paulo* M. M. sacra est. Jus patronatus ejusdem simul cum attinentiis sibi acquisivit Anno MCCLXXXIII. Capitulum majoris Ecclesiæ Wormatiensis a Conrado milite de Richenbach, ejusque ex Wernhero fratre relictis Nepotibus Joanne, Wirico, Jacobo & Conrado, assentiente in idipsum Abbate Elwangensi a quo prædictum Jus descendebat in feudum.

Emptionem illam ratam quoque habuit Simon Worm. Episcopus, qui & emolumenta inde provenientia majori suo Capitulo Worm. univit per litteras sequentes.

„ SIMON Dei gratia Worm. Episcopus ac WALRAMUS Præpositus „ Wormatiensis, omnibus Christi Fidelibus salutem.

„ Considerantes præbendarum Ecclesiæ nostræ tenuitatem: attendentes „ etiam quod Ecclesia in Wizenheim Diœcesis & Archidiaconatus Worm. „ cujus Jus patronatus cum universitate in ipsam translata est, in temporalibus & spiritualibus melius promoveri possit per Capitulum Ecclesiæ nostræ „ Worm. prædictæ, Nos in nomine Domini in his scriptis de nostra auctoritate, & potestate prædictam Ecclesiam in Wissenheim præbendis Wormatiensibus unimus, & adunamus, statuentes: ut deinceps proventus dictæ Ecclesiæ in redditus & usus cedant prædictarum præbendarum —— Dat. Anno MCCLXXXIIII. in die Dyonisii Mart.

WESSENBACH.

SEDES RURAL. WEIBSTAT.

Ecclesia S. *Ægidio* dicata est, pertinuitque olim ejus Jus patronatus ad Capitulum Maj. Ecclesiæ Worm. a quo sub annum MCCCLXX. transiit ad Albertum Abbatem & Conventum monasterii Elwangensis, abinde vero, titulo permutationis, ad Abbatem & Conventum Cœnobii Schönaugiensis.

Ejus Filiales sunt: DILSBURG S. *Osvvaldo*, & LANGENZELL S. *Barbaræ*, dicatæ.

WESTHOVEN.

SEDES RURAL. DALSHEIM.

Ecclesia S. S. *Petro*, & *Paulo* sacra, cujus Jus patronatus ex liberali con-

concessione Ruperti, & Henrici, Comitum Hirsutorum obtinet Capitulum majoris Ecclesiæ Worm. prout discimus ex sequenti notitia.

„ Nos EBERHARDUS Abbas, totusque Conventus monasterii Wis- „senbergensis, Ord. S. Benedicti, recognoscimus —— quod dudum nobi- „les Viri, quondam RUPERTUS & HEINRICUS Fratres, Hirsuti Comi- „tes, recolentes provide se, & eorum prædecessores ab honorabilibus viris, „Dominis Decano, & Capitulo Ecclesiæ Wormatiensis, & ab eadem Ec- „clesia multa beneficia gratuite percepisse —— Jus patronatus parochialis „Ecclesiæ in Westhoven, Diœcesis Worm. quod iidem Comites, & eo- „rum prædecessores a nobis & dicto nostro monasterio in feodum obtine- „bant, eisdem Dominis Decano, ac Capitulo cum universis bonis, vide- „licet dotalitiis, decimis, cæterisque Juribus &c. donaverunt, tradiderunt, „& in ipsos pie transtulerunt, Nobilibus viris & dominis, videlicet: RU- „PERTO, quondam Domini HEINRICI Comitis prædicti Nato, Domino „WILHELMO nato quondam GEORGII Comitis ab antiquo Castro BEIN- „BURG, ac Domino PHILIPPO, novi Castri BEINBURG, Comitum Hir- „sutorum, nec non CONRADO, & HENRICO, fratribus, dictis de RIPOL- „TESKIRCHEN, donationem hujusmodi laudantibus & approbantibus —— „Nos vero, tanquam Domini principales ipsius Feudi, pietatis opus per „Dominos Comites, & Nobiles supradictos ceptum, nolentes deserere im- „perfectum, ad laudem omnipotentis Dei, B. Mariæ Virg. & Beati Petri, „nostri & dictæ Ecclesiæ Worm. Patroni, donationi, Traditioni, & trans- „lationi supratactis libere consensimus &c. & in nomine Domini præsenti- „bus approbamus totale Dominium, proprietatem, & omne Jus quod, & „quam in sæpedicto Jure patronatus habuisse dinoscimur in dictos Dominos „Decanum, & Capitulum, eorumque Ecclesiam Worm. vera & perfecta „donatione penitus transferendo ——

„ Dat. Anno Dom. MCCCL. in vigilia beati Jacobi Apostoli.

WEYLER. vid. HILSBACH.

WIESSOPPENHEIM.

SEDES RURAL. DIRMSTEIN.

Ecclesia S. *Martino* dicata est; Jus patronatus ejusdem ad Præpositum Maj. Ecclesiæ Worm. p. t. existentem.

WIBLINGEN al. WEIBLINGEN.

SEDES RURAL. HEIDELBERG.

Ecclesiæ hujus, quæ S. S. *Bartholomæo*, & *Valentino*, sacra est, mentio jam recurrit in litteris Lupoldi Worm. Episcopi ad annum MCC. occasione decimæ in Grensheim, quæ olim ad eandem spectabat. Quemadmodum Jus patronatus ejusdem ad Decanum & Capitulum Ecclesiæ Colleg. S. Spiritus Heidelbergæ.

Ejus Filialis est GREUSSE.

WILSTEIN vid. ASCHBACH.

WIMPHEN.

SEDES RURAL. SCHWEIGERN.

Duplex hujus nominis oppidum Exstat, unum in monte, alterum in valle positum.

In horum priori, Ecclesia *B. Mariæ Virg.* dicata ad collationem Capituli majoris Ecclesiæ Wormatiensis, postquam ipsi Jus illud suum ultrò cesserat, Anno MCCXXXIIII. Nibelungus major Præpositus. In posteriori, seu potius in Inferiori Wimpina, Ecclesia Sancto *Georgio* sacra, dependet a Capitulo S. Petri ibidem loci fundato;

Filiales Ecclesiæ memorantur HOHENSTAT, & JAGSTFELT.

Visitur insuper Oratorium *B. Mariæ* Virginis Anno MCCCCLXXIII. in Valle juxta Wimpinam erectum.

WINTERSHEIM.

SEDES RURAL. GUNTERSBLUM.

Ecclesiæ hujus B. *Mariæ* Virgini consecratæ, Jus patronatus spectabat olim ad Nobiles de Stetten.

WINWEYLER.

. . . .

WISSLOCH.

SEDES RURAL. HEIDELBERG.

Ecclesia S. *Laurentio* sacra est, spectabatque quondam ejus provisio ad Præpositum monasterii Laurisheimensis; hinc in litteris Conradi Abbatis Laurisheimensis ad annum MCCXIX. mentio fit cujusdam Swickeri Archipresbyteri in Wizzenloch.

Exstitere etiam ibidem loci duo Oratoria, quorum provisio erat penes Comites Palatinos; ex iis unum cessit in usus monasterii Schonaugiensis, ut patet ex charta sequenti.

„ LUDOVICUS Dei gratia Comes Pal. Rheni, Dux Bavariæ &c.

„ Ad notitiam præsentium & futurorum cupimus pervenire, quod Ca„pellam in WIZZENLOCH, cujus præsentatio ad Nos dinoscitur pertinere, „Abbati & Conventui Schönaugiensi Ord. Cister. quos favore & affectione „prosequimur speciali, cum omni jure & decimis ad eandem Capellam per„tinentibus, Karissimæ uxoris nostræ MECHTILDIS, Serenissimi Domini „nostri RUDOLFI Inclyti Rom. Regis Filiæ, ac LUDOVICI, RUDOLFI, „& LUDOVICI, Filiorum nostrorum Illustrium accedente consensu dona„mus, & donavimus perpetuo possidendam —

Dat. in Lengevelt Anno Dom. MCCLXXXVI.

Alterum Oratorium sub invocatione S S. *Bartholomæi* & *Andreæ* exstructum erat in arce ibidem; fitque ejus adhuc mentio in actis visit. Dioecesanæ Anni MCCCCXCVI.

WOLLENBACH vid. HUFFELHART.

CAPUT III.

CAPUT III.

De Urbis Wormatiensis antiquitate, præstantia, Fatis, ac denique universa ejusdem Hierarchia etiam ab extra, quaqua late patet, protensa.

WORMATIA, olim CAPUT, seu CIVITAS VANGIONUM, juxta Rhenum sita, Ptolomæo BORBETOMAGUS; Antonino BORMITOMAGUS; Marcellino autem, quemadmodum reliquis illius ætatis scriptoribus, VANGIO dicta est. Hinc Imperatorum Valentiniani, & Valentis, Rescriptum quoddam legimus ad Musophilum Vicarium Africæ, *datum* VANGIONIBUS. Exstant quoque inter Traditiones Fuldenses duæ, una Eggiolti ad annum DCCLXVII. altera Folcrati ad annum DCCLXXI. utraque, VANGIONA, *Civitate publica*, peracta; quod postremum nomen diu etiam videtur retinuisse; siquidem in vetustis Francorum annalibus, sequens hæc ad annum DCCXC. occurrit Notitia: *Hic annus absque hoste fuit; nisi tantum ad* VANGIONEM, *quod derivatum vocabulum dicitur* VURMACIA. Idem observat Autor vitæ Ludovici Pii, dum Imperatorem hunc Anno DCCCXXXV. post pascha, *Civitatem* VANGIONEM, *quæ nunc* WORMATIA *vocatur*, abiisse dicit. Eam autem nominis immutationem haud aliunde quàm a veteri Borbetomago desumendam esse mihi facile persuadeo, sic, ut per solam syncopen, ex Borbetomago illo BORMAGUM, ex Bormago VORMACUM, ac denique ex VORMACO factum fuerit VORMACIA, seu etiam GUARMACIA, & GORMETIA, ut, præter Geographum Ravennatem, habent Chartæ nonnullæ, ac diplomata. Nec dubium, quin primi Germanorum urbem eandem ab hoc ipso Borbetomago, VORMIT-MAGEN dixerint; posteriores vero Germani, omissa particula illa adjectitia: *Magen*, VORMIT, seu VORMIZ, & VORMATZ, effecerint, ex quibus tandem productum sit hodiernum WORMS.

Libell. provinc. Galliæ. It. Anton. in Itiner. & Ammian. Marcell. lib. XV. & XVI. Item. Sulpic. Sever. in vita S. Martin. Corp. Trad. Fuld. Annal. Francor. apud Quercet. Tom. II. pag. 9. Ibid. anonym. in vita Lud. Pii. Anonym. Ravennas lib. IV. cap. 26.

De Urbis conditore multi multa comminiscuntur, quæ nostra Ætas, ut plane delira, explodit; dum enim Gybiconem quendam finxêre Regem splendidissimum in his partibus imperantem, dum filiæ ejus Crimhildis manu insitum in proxima Insula immarcescibile Rosetum, ceu coëlo delapsum opus, extulerunt; dum Sigifridi gigantis, qui totus corneus, in Ludis Olympicis a Crimhilde illa indictis, adversus Theodoricum Veronensem strenuè decertasse fertur, cecinerunt præconia, vix aliud per hæc intendisse videntur, quam Regionem deliciis omnibus affluentem, hominesque in ea degentes velut Semi-Deos venditare. Id certe constat, felicem ac per-oportunum Wormatiæ situm effecisse, ut nulla in Imperio Civitas frequentiores Regum, seu Cæsarum; nec non simul Ordinis utriusque procerum Conventus, tam ad sacra, quam Civilia negotia tractanda, habitos numerarit; nulla tot Regales nuptias, tot ludos, spectacula, aliasque publicas solemnitates, intra, aut circum moënia sua spectaverit. Unde & de Friderico I. Imperatore, natales suos hìc loci inter festivos plausus aliquando celebrante, Guntherus.

Hunc celebrare diem digno meditatus honore
Cæsar, ubi illustrem legerat sibi Curia sedem,
Quo posset pleno tot millia pascere cornu,
WORMATIAM *petiit, medio quæ gurgite Rheni*

Gunther. Ligur. lib. V.

Gar-

Gallica Germanis opponit Rura Colonis,
Utraque frugiferis Tellus uberrima campis,
Utraque vinetis exuberat, utraque pomis,
Piscibus, atque feris, & cunctis rebus edendis.

Quid mirum igitur? si vel sola hæc, quæ ad nostra tempora feliciter perdurat, fertilis soli ubertas, clades omnes sensim absterserit, quibus primaria illa in eo posita Civitas, hactenus afflicta fuit: (nam urbibus ac ædificiis, non secus ac hominibus, suum senium, sua quoque incumbit mortalitas) ut enim de Terræ motibus, incendiis, aliisque fortuitis casibus, quibus Wormatia sæpius obnoxia fuit, sileam; quantas non vel ex solis Barbarorum irruptionibus sustinuit vastitates! quam fœde a Vandalis Anno CCCCVII. ab Hunnis Anno CCCCLI. a Nordmannis Anno DCCCXCI. iterumque ab Hunnis Anno DCCCCXXXVIII. denique & nostra memoria, Anno videlicet MDCLXXXVIIII. a Gallis direpta, incensa, ac eversa! attamen ex ruinis & cineribus nunquam non emersit; quanquam spatium, quod hinc inde porrecta in longum suburbia occupabant, possessione pulsa veteri, contraxit, dum & quæ reliqua ejus olim ornamenta fuerant, pariter amisit. Hodie, novum eidem splendorem conciliant Ecclesia Cathedralis sumptuose instaurata, nec non Episcopale palatium, quod Reverendissimi ac Serenissimi Principis Francisci Ludovici, Electoris Moguntini, itemque Wormatiensis quondam Episcopi munifica manus, haud ita pridem, opere perquam eleganti, ac visendo a fundamentis erexit.

Relligio loci, cultu triplici distinguitur, habetque Romano-Catholica hoc amplius ac excellentius, quod præter sedem primariam, complectatur Ecclesias collegiatas IV. ac parochiales totidem. Collegium Soc. Jesu, cum annexo Gymnasio. Ord. S. Dominici Cœnobium I. Carmelum I. nec non F.F. Capucinorum Conventum I. sacrarum Virginum Asceteria III.

Ex his Templum majus, seu Basilica sancti Petri, ut habet Dagoberti Regis Diploma Anno DCXXXVIII. editum; Ecclesiam sancti Petri, & sancti Pauli, vocat in suo præcepto Ludovicus pius Imp. ad annum DCCCXIIII. vel exinde antiquitatem suam sufficienter prodit.

Eam, postquam Anno DCCCLXXII. fulmine tacta, conflagrasset, instaurare quidem pro viribus conati sunt Episcopi, at labor omnis ob subsequentes Barbarorum incursiones in vanum cessit, donec tandem ex ipsis Burchardus ineunte sæculo XI. interruptum toties opus strenue resumens, ut sua illi firmitas nunquam deesset, è sectis durissimi saxi quadris, quemadmodum & juxta positam octogonalis formæ Basilicam, fonte Baptismali instructam, per totum absolvit, ac utriusque dedicationem Anno MXVI. ipso præsente Henrico II. Rege celebravit; quanquam ad ornatum, ædificiique elegantiam multa tunc viderentur adhuc deesse; Hinc Burchardi successor Eppo, rem maximis expensis aggressus, ei Anno MCX. ultimam manum feliciter imposuit. Tum consecrationis munus alteri, honoris causa, deferens, illud die VIII. idus Junii coram Henrico V. Imp. Bruno Trevirensis Archipræsul, magno Cæremoniarum apparatu, peregit, assistentibus sibi Brunone Spirensi, Eberhardo Eistetensi, Albewino Merseburgensi, & Hartwico Misnensi, Episcopis; aræ maximæ Deo Tri-uno, nec non B. Mariæ, ac Petro Apostolorum Principi, dicatæ, sequentes hæ inclusæ fuerunt insigniores Relliquiæ, videlicet: integra corpora S.S. Stactæi, Theoduli, & Justini M.M. femur S. Andreæ Apostoli Brachium S. Felicis M. Capita S.S. Cyriaci, Nico-

Nicomedis, Cypriani, & Hermetis M. M. de ſanguine S. S. Cornelii & Cypriani M. M. ampulla vitrea.

Demum Anno MCLXXXI. poſtquam Conradus Epiſcopus collapſum, magna ſui parte, Templi ejusdem ædificium, plene iterum inſtauraſſet, etiam ritu, quo aliàs, conſecrari curavit; Arnoldo Trevirenſi Archiepiſcopo, cum Ulrico Spirenſi, & Hermanno Monaſterienſi, Epiſcopis, ad diem VI. Non. Maji ſacrum myſterium perficiente. Ac tunc quidem integra S. S. M.M. Juſtini & Stachæi corpora, quæ eatenus in ſummo altari recondita latuerant, in mediam Baſilicæ navem transferre placuit, ubi etiamnum quieſcere perhibentur. Cæterum; ſtat eminetque locus ſacer, (habens in longum pedes geometricos 470. in latum vero 110.) adſpectu, atque operis magnitudine, non inter poſtremos habendus; Quà porro ſe ſe facies illius ex ſiniſtro latere aperit, ſpectabile frontiſpicium quinque olim ſtatuas Hieroglyphicas continebat, quarum una, eaque primaria, etiamnum ſupereſt, reliquas aliunde deſumptas infimul viſum eſt reproducere, quod eas diverſi diverſimode interpretati fuerint. Nos priore Beatam Virginem; alterâ Religionem Chriſtianam, tertiâ Gentilitatem, quarta Judaismum, ac denique quintâ falſam Religionem deſignari exiſtimamus. Quantùm ad Baſilicæ partem Orientalem, hæc S. Petro Ap. quemadmodum pars occidua S. Laurentio M. dicata eſt; utraque in hemicyclum efformata, ac duabus prædaltis Turribus ex ſolido ſaxo deforis inſtructa, quæ totidem campanilia quondam conficiebant. Ex horum uno æs campanum pependiſſe fertur, ponderis ſexies centum millium Librarum, donum Emerici Præſulis, opus vero cujusdam Volmari, qui & verſus ſequentes eidem indiderat.

vid. Wolfii Lect. memorab. Tom. II. pag. 869.

Anno Milleno Tricenteno Duodeno;
Hoc per Volmarum ſit opus tinnibile clarum.

Inter ædes ſacras eidem Baſilicæ annexas, ſeu in proximo poſitas, memorantur.

I. Oratorium S. Laurentii, quod occiduam Templi partem occupat, ut ſupra monuimus; nam, præterquam quod oblationes fidelium hìc loci fieri ſolebant, Vir quidam illuſtris Gerlacus nomine, majoris Collegii Canonicus, IV. ſacerdotum beneficia ibidem circa Annum MCCXXXIIII. inſtituiſſe reperitur.

II. Oratorium S. Nicolai Anno MLVIII. conditum, ubi quondam ſanctiſſimi hujus Epiſcopi digitus, ſalutare oleum deſtillans, religioſe aſſervabatur, quem proinde etiam Fridericus Imp. una cum Beatrice Conjuge Anno MCLXIII. præſens veneratus eſt.

III. Oratorium S. Stephani. Loci hujus fundationem ac ſimul dotationem, ſat loquitur vetus inſcriptio lapidaris, quæ ante ejusdem devaſtationem talis erat.

„ Anno Dom. Incar. MLV. Indict. VIII. III. idus Junii. Dedicata „ eſt iſta Capella ab Arnoldo hujus loci Epiſcopo cooperante ſibi Arnoldo Spirenſi Epiſcopo in honorem Domini noſtri Jesu Christi & S. „ Mariæ Virg. & S. Crucis, & eorum quorum Relliquiæ hic continentur. „ S. Stephani Prothomartyris, Clementis Papæ Marcelli Papæ & aliorum

„pluri-

„plurimorum Martyrum & Sanctorum, ad quorum veniam Arnoldus Præsul „ante limen januæ istius Templi, coram Clero, & Populo tradidit VI. man-„sos in Mojen.

Videtur de cætero Capella fuisse palatii, quandoquidem ea quæ illic recenter exstructa est, Titulum Sancti illius Prothomart. etiamnum præfert.

IV. Oratorium S. Mauritii. Hoc Azzecho Episcopus *in Cimi-*
Prob. 54. *therio Fratrum*, seu Canonicorum Ecclesiæ suæ majoris, erexit ac fundavit circa Annum MXXXIII. ut charta ejus desuper confecta nos docet.

Aliud insuper pietatis insigne monumentum idem Præsul noster in Cathedrali sua Ecclesia exstare voluit; Cum enim aliquando Conradus Imp. ad
Prob. 53. Altare S. Crucis, in memoriam Parentum ac Majorum suorum, qui ibidem prope commune obtinebant conditorium, bona quædam obtulisset, ipse
Prob. 55. Anno MXXXIIII. in honorem S. S. Hyppoliti, ac Nicomedis novam erexit aram, in qua pro ejusdem Imperatoris, nec non Conjugis ejus Gislæ, salute, statis anni temporibus, preces & sacrificia Deo offerrentur.

V. Oratorium S. Mariæ in Peristylio a Joanne Dalbergio Episcopo erectum Anno MCCCCXCVI.

Sacrarium Basilicæ, toties ornamentis suis spoliatum, hodie præter Evangeliorum Codices aliquot, seu Plenaria, ebore, varioque encaustico opere, artificiosè elaborata, vix quidquam prætiosi continet. Asservatur nihilominus in eo *Baculus S. Petri*, argentea lamina obductus, quo Episcopi, loco ferulæ pastoralis, seu cambucæ, olim usi fuisse videntur. Est insuper quod Antiquarii ibidem attendant; videlicet: Annulus ex Onyche, intrinsecus aurea lamella inductus, effigiem Neronis, coelatorio opere, ad vivum expressam, præ se ferens.

§. I.

Nunc ad Parochiales Ecclesias, quæ intra Urbem continentur, progredimur.

I. Parochia S. Joannis Baptistæ; utpote Ecclesiæ Cathedrali annexa, inter reliquas, principem locum obtinet. Ejus jus patronatus, quod ad majorem Custodem spectabat, Wilhelmus quidam, qui eâ dignitate fruebatur, Anno MCCLXIIII. transtulit in Decanum, ac Capitulum jam dictæ majoris Ecclesiæ.

II. Parochia S. Ruperti; hanc Ecclesiæ Collegiatæ S. Pauli subditam, certis suis, iisque vastis, limitibus jam olim circumscripserat Adal-
Prob. 66. bertus Worm. Episcopus ut ex charta ejus Anno MLXXXIIII. desuper edita, constat fusius. Ejus jus patronatus, quod ad Custodiam ejusdem Ecclesiæ Collegiatæ pertinuit, postmodum, Anno videlicet MCCXXXIX. Decano, & Capitulo unitum ac incorporatum fuit.

III. Parochia S. Magni; Ecclesiæ hujus sub invocatione Sancti illius Suevorum Apostoli, meminit Buggo Worm. Episcopus in recensione, quam de bonis ac possessionibus, ad Ecclesiam Colleg. S. Andreæ spectantibus Anno

Anno MCXLI. instituit. Ejus jus patronatus, quod penes Præpositos jam dictæ Ecclesiæ olim fuerat, cessit Decano ac Capitulo Gerhardus Anno MCCXXXVIII.

IV. Parochia S. Lamperti; subest in omnibus Ecclesiæ Collegiatæ S. Martini. Ejus jus patronatus olim ad Præpositos spectans, Siffridus Archiep. Moguntinus qui simul Anno MCCX. eam dignitatem obtinebat, supradictæ Ecclesiæ S. Martini annexum voluit, ea lege (quod & deinceps Anno MCCXIII. constitutum fuit) ut *quicumque Decanus fuerit S. Martini, is simul pastor sit Ecclesiæ S. Lamberti.*

§. II.

Superest, ut, quæ in suburbiis hinc inde exstabant, quondam parochiales Ecclesias, hic pariter recenseamus.

I. Parochia S. Andreæ, *in Monte.* Postquam ineunte sæculo XI. Collegium Canonicorum ex hac Basilica in aliam intra urbis mœnia conditam translatum fuit, remansit parochiæ eidem annexæ administratio penes Præpositum Capituli; donec tandem qui ea dignitate fruebatur Gerardus, jus omne suum simul cum proventibus Anno MCCXLIII. cessit Asceterio sororum de pœnitentia, illic loci erigendo.

II. Parochia S. Amandi. Hujus Parochiæ mentio jam recurrit in litteris Anni MCCLXX. spectabatque jus patronatus ejusdem ad Præpositos majoris Ecclesiæ Worm. donec ex iis Henricus quidam, illud Anno MCCCXVIII. contulit ad Opus Ecclesiæ Collegiatæ S. Mariæ.

III. Parochia S. Michaelis. Hanc Edelwinus quidam, majoris Ecclesiæ Worm. Canonicus de bonis seu proventibus suis in Rhein-Turkheim, fertur instituisse. Ejus jus patronatus, quod Abbatissa, & Conventus Sanctimonialium in Nonnen-Munster Anno MCCLIII. in Richardum Episcopum Worm. transtulerant, majori Capitulo mox incorporatum fuit.

IV. Parochia S. Ceciliæ in vicinia Parthenonis Nonnen-munster sita, cujus jus patronatus penes loci hujus Abbatissam & Conventum erat. Ejus mentionem adhuc faciunt litteræ Anni MCCCCVIII.

Exstat ex adverso Oratorium S. Meinardi Eremitæ & Mart. ubi in Crypta subterranea visebantur saxa catenis ferreis instructa; his autem dæmoniacos alligari mos erat, qui pro salute, per Sancti illius intercessionem recuperanda, illùc deducebantur. Cæterum, inter duo hæc loca sacra, sepultum fuisse volunt immanem illum Gigantem Syffridum, de quo superius egimus; excitus hoc rumore Cæsar Maximilianus, Anno MCCCCXCV. in tumulum XLIIII. pedum longitudine spectabilem inquiri fecit, quemadmodum in Rolandi illius apud Aquitanos Franciscus Galliarum Rex; at uterque casso labore, cum præter aquam & limum, occurrerit nihil.

§. III.

A Parochiis ad ORATORIA, quæ hinc inde per urbem diſpoſita erant, convertimur; eaque, prout amplæ, ſeu breves nobis ſuppetebant notitiæ, hic viſum eſt recenſere.

I. DOMUS, ſeu COMMENDA Equitum Melitenſium, Ord. S. JOANNIS HYEROSOL. Ejus antiquitatem demonſtrant Litteræ cujusdam Henrici, qui illic loci Commendam ſuam obtinuit Anno MCCCXIII.

II. ORATORIUM S. S. SYLVESTRI, & VALENTINI, M.M. Sacri hujus loci mentio fit in recenſione poſſeſſionum omnium ad Eccleſiam Colleg. S. Andreæ Worm. ſpectantium, quam Buggo Epiſcopus Anno MCXLI. inſtituit. Certe illum antiquioribus ſemper annumeratum fuiſſe, innuunt litteræ Emerici Epiſcopi, quibus Anno MCCCXI. ejusdem *Capellæ S. S. Sylveſtri, & Valentini*, per *vetuſtatem longi temporis*, demum collapſæ, inſtaurationem urget.

Huic loco in priſtinum ſtatum revocato, acceſſit, pro more illorum temporum, etiam Recluſorium, ut conſtat ex charta cujusdam Agnetis de Mulin, per quam Anno MCCCXLIIII. vendit *devotis Dominabus converſis incluſis, habitantibus in Cluſa ſua juxta Capellam S. Sylveſtri Wormatiæ*, cenſus V. ſolid. annui redditus. Huc quoque ſpectant litteræ ſequentes.

„ PILEUS miſeratione divina, Tit. S. Praxedis Presb. Cardinalis &c. „Cum dilectæ in Chriſto AGNES, & AGNES, & KATHERINA, Incluſæ, „infra limites Parochiæ Eccleſiæ S. Magni Wormatiæ, juxta CAPELLAM „S. SYLVESTRI, incompulſæ, incompulſæ, ſed ex propria devotione ini„bi deſiderant Domino famulari, ac Chriſti Fidelium Eleemoſynis dumtaxat „paſci, refici, & nutriri. Nos præmiſſa laudabilia & pia deſideria laudan„tes & approbantes —— verè pœnitentibus & confeſſis, qui pro ſuſten„tatione dictarum Agnetis, & Agnetis, & Katherinæ manus porre„xerint adjutrices centum dies de injunctis eis pœnitentiis miſericorditer „relaxamus.

„ Datum WORMATIÆ XIII. Kalend. Septembr. Pontificatus Sanctiſſ. „in Chriſto patris ac Dom. noſtri URBANI VI. Papæ Anno II.

Hodie ſolum ſupereſt Oratorium, in quo ſtatis diebus divina celebrantur; Feſtum vero S. Valentini M. quotannis magnâ hominum frequentiâ colitur.

III. ORATORIUM S. KILIANI Ep. & M. hodie in fabri ferrarii Officinam in der Zwerch-Gaß converſum; fundatorem habuit Azzechonem Epiſcopum circa Annum MXXXIIII. hinc in Turri vetus hæc exſtabat inſcriptio.

AZZE-

AZZECHONI EPISCOPO

ET

BENZONI QUI FECIT,

VENIAM ROGATE.

IV. ORATORIUM S. ALBANI. Cujus meminit Buggo Episcopus in litt. suis Anno MCXLI.

V. ORATORIUM S. UDALRICI Episcopi situm in vico Clypeorum, vulgo *Schiltergass.* quod Emericus Episcopus propriis manibus consecravit Anno MCCCX.

VI. ORATORIUM S. PANCRATII situm in *inferiori Foro*, ut habent litteræ Anni MCCCXLI. hinc platea eò tendens, per syncopen: *Cratzen-Winkel*, seu vicus Pancratii, dicta est.

VII. ORATORIUM S. MARGARETHÆ haud procul ab illo S. Pancratii dissitum. Ejus mentionem faciunt litteræ Anni MCCCL.

VIII. ORATORIUM S. SIXTI in Foro cognomine erectum, quod ruinis squallidum cessit in usus profanos Anno MDLXXX.

IX. ORATORIUM S. GEORGII prope portam S. Martini. Ejus jus patronatus spectabat ad majorem Decanum, ut constat ex litteris Anni MCCCXX.

X. ORATORIUM S. S. ANNÆ, & URSULÆ, quod Emericus Episcopus Worm. dedicasse fertur Anno MCCCX.

XI. ORATORIUM S. MARIÆ MAGDALENÆ situm in vico Hagenonis, vulgò *Hahn-gass.* Ejus mentionem faciunt litteræ Anni MCCCXXXI.

XII. ORATORIUM S. GERDRUDIS de quo mentio interjicitur in contractu quodam Anni MCCCLX.

XIII. ORATORIUM S. THOMÆ, Ap. situm in ædibus maj. Decani Worm. quod Anno MCCCCXLVIII. instauratum fuisse reperitur.

Huc quoque spectant NOSOCOMIA III. quorum unum & quidem antiquissimum, sub Titulo S. *Spiritus* & S. *Joann. Bapt.* erectum stetit extra Portam Spirensem. Alterum *novum Hospitale* dictum, cujus mentio fit in litteris Anni MCCLX. extra Portam novam situm erat. Tertium in memoriam *Dominici Sepulchri*, ante Portam S. Martini conditum circa Ann. MCCLXX. annexum olim habuit Oratorium *Sanctis omnibus* sacrum, quod recenter instauratum & consecratum superest.

§. IV.

Descriptis, seu designatis, eum in modum, locis sacris; reliquum est, ut quos summum Templum Wormatiæ Prælatos hactenus sinu suo fovit ac complexum est, eos ordine, seu serie, quam chartæ veteres suggesserunt, hic recenseamus. Sequentur deinde Viri Illustres, nec non constituti ab Episcopis Wormatiensibus suffraganei, denique agmen claudet syllabus nobilium Canonicorum, quotquot eorum nobis occurrerunt, ordine alphabetico digestus.

Verum hisce omnibus sequentes notationes præmittere duximus non incongruum.

I. CANONICOS WORMATIENSES, a primæva sui fundatione, sæcularis, non vero monachici fuisse instituti, vel ex charta Traditionis cujusdam
Prob. 18. Geroldi, sæculo X. ineunte conscripta, manifestum est; per eam siquidem intendit donator, ut quem sibi ex Idiburga conjuge Deus filium dederit, *offeratur Sancto Petro ad Wormatiam, ut* CLERICUS *fiat*. Nec obstat, quod locus quem, pro more antiquitùs recepto, circum primariam Basilicam incolebant, Regularibus officinis instructus, *Claustrum*, seu & *Monasterium*, passim audiit, cum vix alio nomine rectius indigitari potuerit, eo quod collatis in communi rebus ac fortunis, idem vestitus, eadem mensa, idemque cubile omnibus esset, & vitam Legibus disciplinæ sevioris adstrictam, procul a turba agerent.

II. Quanta autem cura invigilaverint Episcopi, ne condita a majoribus statuta aliquando in desuetudinem abirent, discimus vel ex litteris sequentibus.

„ Notum sit omnibus tam futuris quam præsentibus, qualiter ADELGE„RUS, Dei gratia, Wormatiensis Episcopus, animadvertens & graviter do„lens, sanctorum Patrum traditionem, CANONICIS ad S. PETRUM repu„gnantem ac imbecillitate Rectorum omnino depravatam, Domino HEIN„RICO Rege Rom. annuente hanc venialem gratiam, & hoc singulare privi„legium a principio revocavit.

„ Si quis non infima sobole natus, ad Sedem suam, annonam & „consortium adipisci velit, is ipse ob charitatem stabiliendæ Fraterni„tatis, VI. Libras argenti tribuat, unam tum temporis Episcopo, di„midiam Præposito, & dimidiam Prioribus claustri, & reliquas uni„versis Fratribus inter se dividendas. Insuper in cibo, & potu, satis „acceptabile convivium, vel mox congruam Convivii solutionem; & „ad augmentum talis gratiæ, quoniam frequenter a malis hominibus „patiebantur scandalum, statuit, sub præfati Regis nutu, super „ipsas litteras laicum judicem: sed tunc temporis fecit Episcopum aut „Priores claustri, secundum *Nobilium* WORMATIENSIS ECCLESIÆ *com„militonum* Legem, in qualibet re pios Rectores existere.

„ De

„ De peculio vero eorum, id est: area, ædificiis, vestimentis, libris „& omnibus quæ absque omnium hæredum contradictione videntur possi„dere, nulli liceat Episcopo, vel cujuslibet generis personæ, vivis deceden„tibus: vel morientibus, aliquid rapere, infiscare, aut aliquo modo aliena„re, sed liberam habeant potestatem locandi, mutandi, vel tale quid exinde „faciendi. Si vero (quod absit) aliquis subitanea morte præventus, aut cu„juscumque causa necessitatis præoccupatus, sine scientia Fratrum obierit, „Curtis & ædificia, si ad Fratrum Jus pertineant, Fratri cui hæc minus „abundant, tribuantur, Clericalia vero vestimenta, libros, vasa argentea, „& cæteras res, quibus in claustro, Refectorio & Dormitorio utebatur in„ter se dividant, cætera ad hæredes, si qui legitimi sunt, redeant, si non, „Fratrum divisioni pateant.

„ Hujus constitutionis confirmatio facta est Anno Dom. Incar. MXLIIII. „Indict. I. Regnante Heinrico Tertio Rege, & Anno I. supradicti „Episcopi.

Cæterum, occasione præsentis chartæ, nobis prætereundus non est turpis error, in quem vir quidam alioquin eruditissimus, haud ita pridem incidit; is enim, dum illud ipsum Episcopale præceptum evulgaret, obstupuit mox initio ad verba illa: *venialem gratiam*, putavitque ad sectæ suæ firmitatem ut plurimum conferre, si, quod ipse exinde elicuerat argumentum, Lectori quoque suo in notis marginalibus indicaret, videlicet: tunc temporis, sæculo nimirum XI. *Indulgentias* jam fuisse *venales*; hinc est *malorum* omnium in Ecclesia *initium*. Quàm argute!

Jo. Petr. de Ludevvig Reliq. M.S.S. Tom. II. p. 74.

III. Numerus Præbendarum, qui Anno MCCLXX. adhuc ad Quinquaginta ascendebat, ob succedentium temporum injurias, seu potius calamitates, paulatim coëpit imminui, hodieque ex autoritate pontificia reductus est ad Capitulares XIII. Domicellares vero IX. Omnes, prout olim, origine Nobiles: longam enim majorum, ab atavis, abavisque repetitam seriem reposcunt inveterata consuetudine firmatæ Leges. Quin & Jus illud suum Jure-jurando sibi devinctum, usque adeo probavit, nec non extendit sedes apostolica, ut summi Pontifices, Martinus V. Anno MCCCCXXVI. & post ipsum Nicolaus V. anno MCCCCL. quisque singulari Diplomate caverit: ne illegitimo Toro natum, etiamsi *Imperiali*, vel *Ducali Prosapia procreatus fuerit*, ad consortium suum cogantur admittere,

IV. Circa *annum Gratiæ* observari meretur id, quod ex veteri Chron. Wormatiensi MS. eruimus in hæc plane verba.

„ Anno MCXL. Buggo Episcopus, indulsit ut Fratres Wormatien„ses post obitum locare possint præbendam ad annum: Nam prius solum ad „XXX. dies locare poterant.

Hoc privilegium, postmodum ad eos etiam extensum fuit, qui, valedicto Clero, monachum induebant, ut ex sequenti ordinatione constat fusius.

„ Eberhardus Dei gratia Wormatiensis Episcopus, omnibus præ„sentem inspecturis paginam, salutem —— Dilecti in Christo Filii: Deca„nus, & Capitulum Ecclesiæ nostræ maturo deliberationis examine singula „disponentes, karitatis ducti spiritu decreverunt, & sollempniter statuerunt,

„quod quicumque Canonicorum Ecclesiæ suæ, pia ductus intentione, Habitum Religionis cujuscumque assumere voluerit, ne forte debitorum aggravatus onere, tam sanum immutare cogatur propositum, ANNUM GRATIÆ præbendæ suæ libere percipiat, & in solutionem debitorum suorum convertat, salva tamen ordinatione super anno gratiæ facta in Concilio Moguntino —— Dat. Anno MCCLXIII.

Quin & obeunti Canonico fructus præbendæ suæ, pro rata residentiæ, permittendos esse, decreverunt cum Theodorico Episcopo Worm. Decanus & Capitulum Anno MCCCLXIII.

V. Inter veteres prærogativas hæc non infima est, videlicet: quod omnes ac singuli majoris Ecclesiæ Wormatiensis Canonici, jure castrensium gaudeat in Civitate Oppenheim, ut tam eorum litteræ, quibus Anno MCCCLVI. virum Nobilem Brendelinum ab Osthoven ibidem loci in Procastrensem suum hæreditarium constituunt, tum Wenceslai Regis super re eadem Anno MCCCXCVII. confirmatoriæ, fidem faciunt. Utrasque visum est hic subjicere.

„1. Wir det DECHAN, und das gemeyn CAPITELL zu dem Thum zu WORMS erkennen —— daz wir dem erbern Ritter Hern BRENDELN von OSTHOFFEN, und sinen Erben, die Lehenber sint, nach Burg - Lehen recht zu OPPENHEIM umb daz daz Er, und sin Erben uns und unsern Stifft vermannen, und Werwesen zu Oppenheim, do wir Burgmanne sin, alle jare reichen und geben solln XXV. malter Korns &c.

„Geben do man zalte von Christus Geburt MCCCLVI.

„2. Wir WENZLAU, von Gots gnaden Romischer Konig —— bekennen —— daz wir durch sonderliche gnade willen, als wir haben zu den ersamen Probst, DECHANT, und CAPITEL zu WORMS —— dieselben mit allen iren Luten und Guttern, in unsern sonderlichen Schutz und Schirme gnediglich genomen und Entphangen haben —— und gebietten darumb Schultheissen, Burgermeistern und Rate zu OPPENHEIM, dem Czollner, und sust allen andern Amptluden doselbs, unsern, und des Richs lieben Getrewen, daz sie die egenante Thum-Herrn alle und igliche besunder, ire Lipe, und gute, und die yren, von unsers und des Richs wegen, ALS ANDERE BURGMANNE ZU OPPENHEIM, hanthaben, schutzen, und schirmen, und auch bey rechten Fryheiden und gewonheiden behalten, und bliben lazzen, und sie daruber nit beswereen lazzen, &c. Geben zu NURENBERG, noch Christs geburte MCCCXCVII.

Nec hic omittendum est Caroli V. Imp. privilegium, die XX. Aprilis Ann. MDXL. Gandavi editum; vigore cujus obeunte ex Eccles. Worm. Ministris, seu Officiatis aliquo, si plus Æris alieni relinquat quam solvendo sit, hoc in casu, Decanus, & Capitulum, reliquis Creditoribus præferuntur.

VI. Denique circa quorundam ex Prælatorum numero, videlicet: PRÆPOSITI, CUSTODIS & SCHOLASTICI, munia, nonnullas observationes reliquis hic lubet adjicere.

1. PRÆPOSITUM, circa Temporalia continuò occupatum, (nam Decano spirituale, seu pastorale regimen incumbit) ea, quæ ad Canonicorum victum, ac vestitum, spectabant, unice curasse, certum est. Hinc non exiguam apud scriptores laudem aliquando promeruêre, inter cæteros, Wol-

Wolbodo, & Wazo; ambo in Præpositi dignitate constituti, priusquam Leodiensem Episcopatum fuissent adepti: siquidem horum prior, tanquam *dispensator fidelis & prudens*, satagebat dare in tempore, *Tritici mensuram* con- fratribus suis, nec tamen *pro cura exteriorum* curam negligebat *interiorum* Alter vero *in dispensanda Domini annona*, pariter sedulus, ex polenta nivei coloris, quam *similam* vocant, insuper *adjecit panem*, quin & *largiori vestitu*, confratres suos recreabat, & *ex vili, optimum reddidit*. Hæc autem omnia illis ipsis temporibus etiam Wormatiæ obtinuisse, notanter circa album panem, qui ultra solitam annonam Canonicis quotidie porrigebatur, discimus ex Burchardi Episcopi charta per quam Anno MXVI. Canonicis S. Pauli a se recenter fundatis donat molendina duo in Ysena rivo, ad *supplementum albi panis*. Pari modo se se erga S. Martini Canonicos beneficum exhibuit eorum Præpositus Richwinus, dum Anno MCX. nonnullas frumenti decimas ipsis largitus est, *ad dispensationem albi panis*, quem (inquit) tunc *non habebant*. Reliqua vero tam ad victum, quam ad vestitum necessaria, omnium optime ordinasse reperiuntur ex supradicti Burchardi successoribus Adelbertus, & Buggo, quorum provida mens circa duo hæc potissimum versabatur, videlicet: ut *Canonici omnes decimas suas in arbitrio suo teneant, ne aliquam in eis negligentiam vel malevolentiam alicuius* Præpositi *aliquando sentiant*. Præpositus *vero, ea quæ de mansis, & areis circumquaque positis persolvi debet, requirens*, Fratribus suis fideliter *provideat, & ad divina Officia ordinatos, discurrere ad judicia non compellat*. Verum in ejusmodi Officio constitutos, seris temporibus locum aliquem querelis adhuc dedisse liquet ex charta sequenti.

Reinerus in vita Wolbod. & Martene script. vet. Tom. IV. pag. 887. in vita Wazonis.

Prob. 49.

Prob. 65. & 78.

„ JOANNES Decanus, totumque CAPITULUM majoris Ecclesiæ „ Wormatiensis — vacante Præpositura nostra, juravimus: quod quicum- „ que, *futuris a nobis*, erit Præpositus, frumentum, & census ipsi præposi- „ turæ attinentes, nunquam idem Præpositus in usus suos convertet, nec „ quicquam ex eis sibi vendicabit, nisi primitus in præbenda, *quam inter* „ *nos condividere tenetur*, nobis integre sit satisfactum; quinimo idem frumen- „ tum, quod *Leyb-Korn* dicitur, reponi curabit in Granarium nostrum, & „ frumentum sibi proveniens ex sui præbenda cum denariis & vino attinen- „ tibus præbendæ ipsius, quæ omnia erunt in potestate ejus qui est pro tem- „ pore Cellerarius noster, & loco Capituli habet curam Granarii nostri us- „ que ad plenam solutionem præbendæ, quæ de sua administratione nos „ contingit —

„ Acta sunt hæc Anno Incar. Dom. MCCXLVI. in vigilia Epiphaniæ.

Hinc Præpositi munus, quoad distributionem annonæ, paulatim in CELLERARIUM, qui & alio nomine *Portenarius*, seu *Portarius*, dictus est, recidit; ut antiqui versus, quos hic constanter pro norma habere debebat, id innuunt.

Sit circumspectus PORTARIUS, *atque fidelis*,
Qui recipit Censum, sedulo quinque notet.
Quis det, Quid, Quantum, Quo tempore detur, & unde.
Unum si desit ex hiis, Error erit.

Hodie electus in Præpositum (nam dignitas hæc ab antiquo electiva est, ut vel ex præcedenti charta patet) omni onere, etiam Residentia personali exemptus est; sed è contra, nec beneficio Turni, (ut vocant) nec certis

certis quibusdam aliis emolumentis gaudet, quanquam votum retineat in electione Episcopi ut jam alias anno videlicet MCCCLV. fuit recognitum. Ejus ulteriores prærogativæ eum constituunt Cancellarium perpetuum universitatis studiorum Heidelbergensis, nec non Præpositum Ecclesiæ Colleg. S. Mariæ Worm. quibus annumerabatur Jurisdictio specialis, quam in laniones ac pistores Civitatis ejusdem Wormatiensis olim exercebat.

2. De Custode, vix aliud notandum occurrit, quam quod universa suppellex sacra, nec non Ecclesiæ Opes ipsi concreditæ erant. Hinc & *Thesaurarius* audiit, quo nomine quidam Ebbo, auri libras XX. argenti vero libras CC. Anno MXLIIII. ex sacro Ærario depromptas, ad Episcopi sui Adalgeri manus deposuisse reperitur, Henrico Cæsari mutuò dandas.

Prob. 12. Fecerat jam antea, anno videlicet MXXXIIII. mentionem *Custodis S. Petri* Azzecho Præsul, dum fundati a se divitis beneficii perpetuam administrationem eidem commissam voluit.

Exstat & ejusdem Præsulis charta alia sequentis tenoris.

In nomine Sanctæ & individuæ Trinitatis.

Omnium Dei nostrorum Fidelium presentium videlicet & futurorum noverit sollercia, quonam modo Ego Azzecho, licet indignus Wormatiæ tamen Divinæ providentia Clementiæ Præsul, divino tactus amore, pro æternæ mercedis aucmentatione, & interventu Fidelium meorum Dizmanni, Gerhardi, Mazelini, nec non Ebbonis Custodis servicio, octavo meæ ordinationis anno, Tributariorum ad beatum Petrum Wormatiæ respicientium capitalem justitiam, id est manumortuum, ex meo jure, hujus loci custodis juri concessi, in hæc verba: ut posthac singuli hujus loci Custodes indultum hoc quieto ordine teneant, nimirum: horum tantum Tributariorum capitalem justitiam ad hoc juris concessi, qui me Episcopatum regente, a primo ordinationis meæ die, usque ad ultimum vitæ meæ terminum, vel sponte, ex libertate se beato Petro tradiderunt, vel servitute liberati, aliorum Traditione venerunt, & ut ejus Emunitatis tuitio stabilis & inconvulsa perpetuo duraret, mei impressione sigilli assignari præcepi.

Memoratur insuper in litteris anni MCCVIII. Theodoricus *sub Custos*, quo tempore quidam Conradus Custodis dignitatem obtinebat.

Hodie Custodi nulla incumbit obligatio, cum & a Residentia personali sit exemptus, nec etiam Turno gaudet.

3. Scholastici Officium, egregie, si quis alius, in se ipse expressit, quem supra laudavimus, Wolbodo, Leodiensium Episcopus, is enim sub sæculi XI. initium, in Ultra-jectina Ecclesia Magister Scholarum *factus, erudiebat multos, & pro gradu, pro ætate, pro capacitate singulorum, affabilis & benignus.* Ut testatur vitæ ejus scriptor æqualis. Nec segnes, aut parum instructi in hoc ipso munere suo adimplendo fuisse videntur, qui sub idem tempus, & quidem jam longe antea, Scholis Wormatiensibus præfuerunt; quandoquidem prima eruditionis suæ fundamenta sub ipsis posuêre, inter cæteros, Bruno, Regia Francorum stirpe ortus, qui & postmodum pontificalem Cathedram conscendens, Gregorius V. audiit; tum & Heribertus, Coloniensium factus Archipræsul; id certe constat Episcopos Wormatienses magnam olim in promovendis studiis curam ac operam locasse.

Reiner. in vita Wolbod.

Hinc

Hinc & eorum ſuggeſſione, ſeu potius juſſu, emanata ſunt Annis MCCLX. & MCCCVII. tot ſalutaria præcepta, quibus adoleſcerent, qui vitæ, morumque ſuorum integritate Rempublicam aliquando ſuſtentarent; inprimis vero Clerum ſuum voluêre doctum ac eruditum; Quapropter ipſis quoque Canonicis præbendatis ab antiquo injunctum erat SCHOLASTICORUM *correctionem*, *& diſciplinam*, *ſuſcipere*, *& pati*; quando hi interea fructus ſeu redditus eorum annuos ſibi percipiebant; nec ad aliud erga ejusmodi ſuos diſcipulos tenebantur, quam ipſis in victu, & veſtitu providere, donec tempore, quod ſtatuta requirebant, tandem expleto, emancipandi erant, prout id nos plenius edocent Salmanni Præſulis litteræ Anno MCCCXLVII. deſuper editæ, quibus in eodem probationum codice ſententiam adjecimus Anno MCCCCLV. latam ab arbitris, per quam conſtat, jus Emancipationis, vacante Scholaſteria, eſſe penes Capitulum.

Prob. 52. & 66.
Prob. 68.
Prob. 71.

§. V.

SERIES PRÆPOSITORUM MAJ. ECCLESIÆ WORMATIENSIS.

BRUNICHO.

Huic, utpote *fideliſſimo ſuo* Burchardus Epiſcopus collectionem Canonum in XX. Libros diſtributam, inſcripſit circa Annum MVIII.

BUOBO.

Teſtis reperitur adhibitus in notitia Azechonis Epiſcopi pro fundatione Oratorii S. Mauritii facta ſub annum MXXX.

EBERHARDUS.

Occurrit inter Teſtes in charta Traditionis piæ cujusdam matronæ, Fulmudis nomine, pro Eccleſia Neuhauſenſi ad Annum MXLIII. poſtmodum ad Archiepiſcopatum Trevirenſem promotus.

UDALRICUS de MARDIGIN.

Hunc cum reliquis Eccleſiæ ſuæ Prælatis Adalbertus Worm. Epiſcopus Anno MLXVIII. teſtem adhibuit ordinationis a ſe factæ, circa rem Oeconomicam Eccleſiæ S. Andreæ Wormatiæ.

ADELBERTUS.

Ordinationem quandam ab Epiſcopo ſuo Adalberto factam Anno MCV. teſtimonio ſuo roborat; dictus Anno mox ſequenti in alia charta *Præpoſitus* ſimul & *Cuſtos*.

HENRICUS I.

Conrado Comiti de Louffen Anno 1127. Feuda ſua ab Eccleſia Worm. recipienti præſens adſtitit.

GODEFRIDUS.

Ejus mentionem faciunt diverſæ litteræ Buggonis Epiſcopi, videlicet ab anno 1137. usque in Annum 1142. tum & Notitia Conradi I. Epiſcopi pro Cœnobio Schonaugienſi ad Annum 1152.

SIGEFRIDUS.

Godefridum in dignitate videtur excepisse siquidem Anno 1156. testis occurrit in diplomate Friderici I. Imp. pro Wormatiensibus.

CONRADUS.

Interfuit celebri commutationi bonorum inter Trevirensem, & Wormatiensem, Ecclesias Anno 1558. initæ. Obiit Anno 1160.

HENRICUS II.

Conrado Successor datus, subscribit Anno 1160. litteris super locatione Curiæ Laurisheimensis in Wormatia, confectis.

DIETHERUS.

Testis in dipl. Friderici I. Imp. ad Annum 1184.

LUPOLDUS de SCHÖNVELT.

Præpositi munus, quod jam Anno 1194. gessisse reperitur, cum Episcopali dignitate conjunctum, sibi retinnit usque in Annum 1197. quo illud a se ultro abdicavit.

ULRICUS.

Memoratur in litt. Anni 1197. quo, ex Lupoldi prædecessoris sui cessione, Præposituram adeptus est. Ejus deinceps mentionem quoque faciunt diversæ aliæ litteræ ab Anno 1200. usque 1213.

HENRICUS Comes SARAPONTI.

Ulrico in præpositura substitutus sub Annum 1215. intervenit solemni cuidam contractui quem Anno 1216. Abbas Schonaugiensis cum Bertolfo milite de Dirmstein iniit. Dein etiam ad præposituram Neuhausensem promotus, tandem Anno 1217. Wormatiensem Cathedram conscendit.

NIBELUNGUS I.

Pacem, ac amicabilem compositionem inter Schonaugiense, & Lobenfeldense, Coenobia instituit Anno 1223. dein testis occurrit in Notitia quadam pro Eccles. Colleg. S. Andreæ Anno 1227. quo tempore simul erat Præpositus S. Martini. Demum Hermanno Marchioni Badensi se se Anno 1233. Vasallum Eccles. Worm. profitenti, præsens adfuit.

WALLERAMUS I.

Nibelungo Successor datus sub Annum 1234. quo Cleri Wormatiensis libertatem modis omnibus tueri conatus est; haud diu in dignitate superstes.

NIBELUNGUS II.

Jus patronatus Ecclesiæ parochialis in inferiori Flörsheim Anno 1234. transtulisse reperitur in favorem Capituli majoris Eccles. Worm. Intervenit deinde Anno 1242. amicabili compositioni, quam Canonici Neuhausenses inierunt cum Civibus Worm. Obiit Anno 1243. WAL-

WALLERAMUS II.

In defuncti Nibelungi locum surrogatus quædam pie ordinat Anno 1253. in gratiam asceterii Nonnen-Munster. Tum & Anno 1271, in favorem Ecclesiæ Colleg. S. Andreæ. In vivis esse desiit Anno 1274.

FRIDERICUS, ex Comitibus HIRSUTIS.

Eodem ipso Anno 1274. quo Nibelungum in dignitate excepit, ratam habuit acquisitionem decimæ in Gundersheim factam a Capitulo Eccles. S. Pauli. Creatus postmodum Anno 1277. Episcopus Wormatiensis.

WALLERAMUS III.

Transfert Anno 1281. in Capitulum suum Maj. Ecclesiæ Worm. Jus patronatus quod sibi competebat in Ecclesia Selsen, Diœces Mogunt. adhuc superstes Anno 1283.

GERARDUS.

Unionem Ecclesiæ parochialis in Ybersheim cum Eccles. Colleg. S. Pauli Anno 1289. peractam, suo quoque calculo probat.

LANDOLFUS.

Erat is simul Brixinensis Episcopus, occurritque testis in Diplomate Adolfi Rom. Rom. Regis pro Arce Willburgensi Anno 1294. tum & in litt. investituræ Oratorii B. M. Virg. Worm. Anno 1296.

HENRICUS de DUNA.

Proximus Landolfi Successor, fundationem Eccles. Colleg. B. Mariæ in suburbio Worm. factam Anno 1298. strenue promovit. Electus anno mox sequenti in Præpositum Wimpinensem, ac demum Anno 1318. etiam in Wormatiensem Episcopum. Hinc fallitur Fisenius Hist. Leod. part II. pag. 55. dum ADOLFUM a MARCKA ex Præposito Worm. Anno 1313. creatum Episcopum Leod. affirmat, cum fuerit Præpositus S. Martini Wormatiæ.

FRIDERICUS ex Comitibus de LEININGEN.

Ejus mentio recurrit in litteris Anni 1330. quo simul fuerat S. Pauli Præpositus; tum & in aliis Anni 1335. adhuc superstes Anno 1351. ut patet ex contractu, quem cum Abbate Hornbacensi tunc iniit.

OTTO de SCHÖNEBERG.

Fridericum in dignitate excepit; ast eam simul cum vita posuit Anno 1354.

RORICUS de STERNBERG.

Antea major Decanus, nunc forte altera in Ottonis locum suffectus, quamdiu autem eum tenuerit, habemus incompertum.

FRIDERICUS SCHAFFART.

Post aliquod temporis intervallum, occurrit ad annum 1396. quo Cleri Wormatiensis jura ac libertatem strenuè tuitus est.

THEODORICUS BOGEL, sive BUGEL.

Memoratur in litteris Anni 1411. tum & in aliis sequentibus, usque ad annum 1429.

LUDOVICUS ab AST.

Electus Anno 1441. in Præpositum Maj. Ecclesf. adversus BERNOLDUM de WITSTAT, parem dignitatem obtinuit in Ecclesia Colleg. S. Martini; ac demum in Episcopum Wormatiensem electus, postremum hoc onus a se declinavit, pristinis honoribus ad obitum usque contentus. Obiit autem Anno 1455.

ÆNEAS SYLVIUS.

Is idem est, qui sub PII II. nomine Romanum postea gessit pontificatum.

JOANNES

Ex Ducibus Bavariæ.

Ad Monasteriensem Episcopatum promotus Anno 1457. priori dignitati nuntium misit.

JOANNES NIX de HOHENECK.

Ex Wormatiensi præposito creatus Anno 1459. Episcopus Spirensis.

NICOLAUS ab HELMSTAT.

Joannem Nix in dignitate excepit, eratque simul Spirensis Ecclesiæ Scholasticus. Obiit Anno 1480.

JOANNES a DALBURG.

Is Nicolai successor electus; haud diu post, Anno videlicet 1482. ad Episcopatum Worm. promotus fuit.

GEORGIUS a GEMMINGEN.

Vacantem Præposituram Worm. obtinuit Anno 1483.

ULRICUS ab HELMSTAT.

Præter Præposituram Wormatiensem obtinuit & Spirensem. Vita functus sub Annum 1488.

PETRUS ANTONIUS de CLAPIS.

Ulrico substitutus est in præpositura Maj. Wormatiensi, quam cum S. Andreæ præpositura conjunxit. Obiit Anno 1512.

PHI-

PHILIPPUS a RECHBERG.

Simul Decanus Ecclesiæ Augustensis. Obiit Anno 1557.

GEORGIUS de SCHÖNEBERG.

Post Philippi obitum, Præpositus Worm. renuntiatus est; ac demum creatus Worm. Episcopus Anno 1580.

ANTONIUS a WILTPERG.

Simul Erfurti ad D. Virginem Præpositus. Obiit Moguntiæ Anno 1594. die 9. Februarii.

PHILIPPUS CRATZ a SCHARFFENSTEIN.

Hic Anno 1604. ad Wormatienses Infulas promotus est.

GEORGIUS - FRIDERICUS a GREIFFENCLAW.

Eandem cum Prædecessoribus suis sortem promeruit; siquidem Anno 1616. & ipse Wormatiensem Cathedram conscendit.

WILHELMUS THEOD. a DAUN.

Vacantem ex promotione Georgii Friderici dignitatem, cum alia Præpositura in Moxstat conjunxit. Obiit Anno 1622. die 29. Augusti.

ZENO a WELFFELT

Wilhelmum in Worm. Præpositi munere excepit, resignato prius ad manus Capituli officio Scholastici, quod eatenus tenuerat.

HUGO EBERHARDUS CRATZ de SCHARPFFENSTEIN

Succedit Anno 1625.

JOANNES ab HEPPENHEIM.

Hic in Wormatiensem Præpositum electus fuit Anno 1650. Reliquos ejus honores, quibus pariter decoratus erat, loquitur Epitaphium, eidem in Oratorio S. Barbaræ, Moguntiæ in Ecclesia Metrop. positum, quod sic habet:

„ Admod. R[us] & Illustris Dom. JOANNES ab HEPPENHEIM,
„dictus a SAAL. Ecclesf. Metrop. Moguntinæ; Cathedralium WORMATIENSIS,
„& Herbipolensis, respective PRÆPOSITUS, & Canonicus Capitu-
„laris Eminent. Principis & Elect. Mog. Domini JOANNIS PHILIPPI
„Consiliarius intimus, Consilii Aulici, & Cameræ Præses, necnon Archi-
„diœcesis Moguntinæ locum tenens. Obiit Moguntiæ die III. Febr. Anno
„MDCLXXII. Requiescat in Pace.

JOANNES RICHARDUS de FRANKENSTEIN

Ex Scholaſtico, ad vacantem Præpoſituræ dignitatem illam promotus Anno 1672.

- - - - de BASSENHEIM

Obeunti Franckenſteinio ad Annum 1675. Succeſſor datus eſt. Obiit & ipſe Anno 1679.

PHILIPPUS EBERHARDUS ex Camerariis de Wormatia L. B. à DALBERG.

Imperialis Cameræ Præſes, in defuncti locum poſtulatus eſt Anno 1679.

WILHELMUS ULRICUS de GUTTENBERG

Dalbergio ſuccedit; electus Anno 1694.

* * *

SERIES DECANORUM.

EPPO, ſeu EBBO

Occurrit primùm in litteris Epiſcopi ſui Azechonis ad Annum 1030. dein & in Tabulis donationis cujusdam factæ Anno 1044. Eccleſiæ Neuhauſenſi; videturque ſuperſtes fuiſſe uſque in Annum 1068., quo ratum habuit, quidquid Epiſcopus ejus Adalbertus circa rem Oëconomicam Eccleſiæ Colleg. S. Andreæ tunc ordinaverat.

RUBERTUS

Teſtis adhibetur Anno 1106. in pia quadam diſpoſitione, quam de bonis propriis fecerat Wolbero ejus Con-canonicus.

HENRICUS I. de WILENSTEIN.

Ejus mentionem faciunt diverſæ Præſulum Wormatienſium litteræ, computando ab Anno 1127. uſque in Annum 1160.

GERNODUS

Subſcribit unà cum aliis Friderici I. Imp. præcepto, per quod Anno 1173. cujusdam Hartwici pia inſtitutio rata habetur.

MEGENWARDUS, aliàs MEGENHARDUS.

Ea, quæ Fridericus I. Cæſar Annis 1180., & 1184. in favorem Civium Wormatienſium per diploma benigne conſtituit, ipſe ſuo quoque calculo probavit.

HERBOLDUS

Megenwardi ſub Annum 1190. Succeſſor datus, Conradi Archiepiſcopi Mogunt. litteras pro Eccleſia Colleg. S. Pauli Worm. ſuo firmat ſuffragio Anno 1194.

HEN-

HENRICUS II. dict. SMÜTZEL.

Herboldum in dignitate videtur excepisse, siquidem jam Anno 1195. ut & Annis sequentibus 1197. & 98. occurrit. Testis adhibitus in diversis negotiis, quæ nunc pro Cœnobio Schonaugiensi, nunc pro Ecclesia Colleg. S. Andreæ, in se susceperat Lupoldus ejus Episcopus.

WIGRAMUS

Intervenit Anno 1208. cuidam contractui, quem Lupoldus Episcopus ejus cum Schonaugiensibus iniit.

HENRICUS III.

Defuncto sub Annum 1209. Wigramo substitutus est; perstititque in dignitate usque in Annum 1224. quo & ipse obiit.

EBELINUS

Henrici Successor, editum, in gratiam Capituli S. Andreæ, Episcopale decretum, suo quoque testimonio roborat Anno 1224. idem sensit circa ea, quæ Nibelungus Præpositus Anno 1231. in favorem Capituli S. Pauli constituit.

LANDOLFUS ab HOHENECK.

Dum se Hermannus Marchio Badensis Anno 1233. Eccles. Worm. Vasallum professus est, Testis inter plures adstitit, mox Wormatiensem Cathedram conscensurus.

EBERHARDUS.

Landolfo ad altiora promoto, vacantem ejus Decanatum obtinuit Anno 1234. qui & ei postremus fuit.

BERTHOLDUS.

Huic e contra prolixior dignitas obtigit, siquidem ea ultrà Annum 1244. fruitus est.

JOANNES.

Proximus Bertholdi Successor, quædam circa Ecclesiæ Worm. disciplinam Anno 1246. & 47. ordinasse reperitur.

BURCHARDUS I.

Intervenit Anno 1250. amicabili compositioni quam Nobiles de Schawenburg cum Schonaugiensibus inierunt super bonis quibusdam in Hantschuesheim. Ejus pietatem ac beneficentiam testantur litteræ sequentes

„ EBERHARDUS Dei gratia Wormatiensis Electus, omnibus in perpetuum „— Notum sit quod BURCHARDUS Decanus Wormatiensis Ecclesiæ, „zelo fidei & devotionis ductus, legavit Capitulo Wormatiensi Curiam suam „in Heppenheim, quam de propria sua comparavit pecunia —

„ Actum Anno MCCLIX. mense Augusto.

HEN-

HENRICUS IV.

Inter duos Burchardos medius occurrit ad Annum 1263. quo & ipsi successit is qui sequitur.

BURCHARDUS II.

Custodiam majoris Ecclesiæ Anno 1263. in multis sublevat, adhuc superstes Anno 1270. ut constat ex litteris Eberhardi Episcopi.

ALEXANDER.

Testis adhibetur in contractu quem Joannes de Scharffeneck Anno 1274. cum Decano & Capitulo Eccles. Colleg. S. Andreæ iniit; morte sublatus Anno 1276.

BURCHARDUS III.

Hujus mentionem faciunt litteræ Anni 1276. pro Eccles. Colleg. S. Martini.

EBERHARDUS de LUTRA.

Ratum habet contractum quendam Anno 1278. initum super quibusdam possessionibus Asceterii Sanctimonialium in Enckenbach, adhuc superstes Anno 1287.

JOANNES.

In Eberhardi locum ac dignitatem suffectus, unionem Ecclesiæ parochialis in Yberscheim factam Anno 1289. in gratiam Eccles. Colleg. S. Pauli, suo quoque calculo probat.

BERLEWINUS.

Ad acquisitionem decimarum in Colgenstein, Oberkeim, aliisque nonnullis locis, opem ac operam suam confert Anno 1292.

JOANNES de WIZZENBURG.

Memoratur in diplomate Adolfi I. Regis super arce Weillburg Anno 1294. editum. Occurrit & in aliis litteris Anni 1301. ratione Parochiæ S. Michaelis in Suburbio Wormatiensi.

JACOBUS.

Ortum Anno 1312. inter Episcopum suum & Judæos dissidium feliciter componit. In Dignitate sua Decanali jam Anno 1305. constitutus

JOANNES de RICHENBACH.

Consentit Anno 1318. ut fructus ac redditus Parochiæ S. Amandi incorporentur Ecclesiæ Colleg. S. Mariæ extra muros Worm.

THEO-

THEODORICUS de MECKMUL, aliàs MECKENHEIM.

Pium Cunonis Episcopi sui propositum obsecundat, dum hic vacantia sibi Anno 1325. ex obitu Wernheri de Berwangen bona clientelaria, transfert in Decanum, ac Capitulum Ecclef. Colleg. Wimpinensis.

MACARIUS.

Assensum præbet Anno 1348. ut Ecclesiæ Colleg. Wimpinensi uniatur Parochia in Bischoffsheim.

RORICUS de STERNBERG.

Macarii in Decanatu Successor, eligitur Anno 1350. in Præpositum.

PETRUS de BOPARDIA.

Rorico in priori dignitate surrogatus est Anno 1354. quo supra.

ARNOLDUS de HEIMESDORFF.

Testis adhibitus in litteris Theodorici Episcopi Anno 1362. pro Ecclef. Colleg. Wimpinensi; vixit in Decanatu Annos ultra XX.

JACOBUS HAMBACH.

Ejus mentionem faciunt litteræ Anni 1390. Sepultus post obitum in Oratorio S. Nicolai, ubi talis quondam legebatur Epigraphe:

„ Anno Domini MCCCCXIX. idus Augusti obiit venerabilis Dom.
„ JACOBUS HAMBACH Decanus Ecclesiæ Wormatiensis.

CONRADUS a BECHLING.

Ut Jacobi dignitatem, sic & post obitum, juxta eundem sepulturam suam obtinuit, sequenti hoc notatam Epitaphio:

„ Anno Domini MCCCCXXII. in die Marci Evang. Obiit R. Dom.
„ CONRADUS a BECHLING Decanus hujus Ecclesiæ.

FRIDERICUS a DOMNECK.

Postquam aliquamdiu Decani munere sedulo perfunctus fuisset, tandem sub Annum 1427. Wormatienses Infulas promeruit.

DITMARUS â TREISSA.

Vacantem, ex Friderici promotione, majorem Decanatum obtinuit Anno 1427.

BERTHOLDUS de WIETSTAT sive Witstat.

Petrum de Oberstein Cantorem Ecclef. Colleg. S. Andreæ Anno 1437. cum incolis villæ Hocheim conciliat. Sepultus post obitum in Perystilio maj. Ecclesiæ, hac addita Epigraphe:

„ Anno Domini MCCCCXLVI. idus Septembris Obiit venerab. Vir
„ BERNOLDUS de WITSTAT Decanus hujus Ecclesiæ.

RUDOLFUS de RÜDISHEIM.

Bertholdum, mox ab ejusdem obitu, in dignitate excepit; aſt fortuna meliore uſus, ad Epiſcopatum Vratislavienſem promotus fuit.

FRIDERICUS de MECKENHEIM.

Succedit in Decanatu Worm. Anno 1465.

JOANNES ENOLFUS de LAENSTEIN.

Is occurrit jam Anno 1477. in litteris emptitiis; præterea amicabilem compoſitionem ordinat Anno 1486. inter Præpoſitum, & Decanum Eccleſiæ Colleg. Neuhauſenſis. Mortuus, in Peryſtilio maj. Eccleſiæ ſepulturam invenit, ac ſequens hocce Epitaphium.

„ Anno Dom. MCCCCXCI. XIX. menſis Februarii. Obiit venerabi-„lis Dominus JOANNES ENOLF de LAENSTEIN Decretorum Doctor. „Decanus Eccleſiæ Wormatienſis.

GEORGIUS a GEMMINGEN.

Occurrit ad Annum 1494.

ERPHO a GEMMINGEN.

Præcedentis aut frater, aut propinquus, officio ſuo Annis 1498. & 99. laudabiliter functus eſt, adhuc ſuperſtes Anno 1507.

HENRICUS de SCHAWMBERG.

Decanatum geſſiſſe reperitur Anno 1525. Ei ſuccedit Anno 1527.

REINHARDUS a RIEPURG, ſeu RIPPUR.

Hujus Titulos, ac virtutes, nec non mortis fatalem Epocham, continebat olim Tabula ænea in Peryſtilio maj. Eccleſiæ affixa, ac in hunc, qui ſequitur, ſenſum concepta.

„ Reverend. Nob. & Eximio Viro Dom. REINHARDO a RIEPURG, „hujus Eccleſiæ Decano; nec non Præpoſito in Wimpffen, & Bruchſal. Viro „in agendis rebus mirabili dexteritate prædito; in quo ornando, cum virtu-„tes certarent omnes, importuna mors illum Ratisponæ in Comitiis è medio „tulit, ſicque bonos magna ſpe, & ſuos patrocinio privavit.

„ GEORGIUS, & BEATUS a RIEPURG
„Fratres Germani, triſtes, benemerito hocce monumentum fieri curarunt.
„Vixit Annis XXXX. menſ. IX. dies XVIII.
„ Obiit Anno Dom. MDXLI. VI. idus Junii.

N - - de NEYPPERG.

Reinhardo datus eſt Succeſſor; ejusque non una recurrit mentio, notanter Annis 1544. & 45.

THEO-

THEODORICUS de BETTENDORFF.

Ad majora natus, Cathedram Wormatiensem, valefacto Decanatu, conscendit Anno 1552.

CAROLUS a WILTPERG.

Hic postquam Anno 1552. ad Decanatum Worm. promotus fuisset, eundem resignavit ad manus Capituli Anno 1555.

WILHELMUS de SCHONEBERG.

Cenotaphium ejus quod Wormatiæ in Perystilio maj. Ecclesiæ quondam obtinuerat, hic retulisse sufficiat.

„ Rev. ac Stemmatis Nobilitate Præclarus Dom. WILHELMUS a „SCHONEBERG, hujus Cathedralis, & Divi Petri Moguntinensis Eccle-„siarum Canonicus, qui Anno MDLI. in Cantorem electus, post Annos V. „in Decanum assumitur.

„ Obiit Anno MDLXXI. humatus ante summum Altare B. Mariæ ad gra-„dus Moguntiæ.

PHILIPPUS ULWER de OTTWEILER.

Electus in defuncti Wilhelmi locum Anno 1571. haud diu in eodem superstes fuit.

CHRISTOPHORUS NAGEL de DIRMSTEIN.

Ejus mentionem faciunt litteræ Emphiteuticæ Anni 1572.

CONRADUS SCHILLING de LAENSTEIN.

Videtur jam circa Annum 1580. in dignitate Decanali successisse prædicto Christophoro. Cæterum morienti tale in maj. Ecclesia Monumentum posuère hæredes.

„ Anno Dom. MDXCVII. die XIIII. mensis Januarii obiit Reverend. „& Nobilis Dominus CONRADUS SCHILLING a LAENSTEIN Cathedra-„lis hujus Ecclesiæ Decanus.

Apposita cernebantur hæc sequentia Insignia:

1. *Schilling a Laenstein.*	1. *Liebenstein.*
2. *Rottenheim.*	2. *Enschringen.*
3. *von der Leyen.*	3. *Waltbott de Ulm.*
4. *Riedt.*	4. *Montrial.*

THOMAS BRINDT de HORCHEIM.

Aram è ſaxo affabre elaboratam in Eccleſia Cathed. Worm. erigi juſſerat, æternum ſuæ erga S. Clementem Papam & Martyrem pietatis monumentum futurum, cui Hæredes ejus, ſequentem etiam indidère Epigraphen.

„ THOMÆ BRINDT ab HORCHEIM dicto BROEL. Reverend. ac
„ Nob. Dom. Decano hujus Eccleſiæ, quem Germania, Gallia, Italia, he-
„ bree, græce, latineque peritiſſimum fecere; portui pauperum. Quem ſi
„ vidiſſes: aut humilem ſed indoctum, aut doctum humilem, aut doctum ſed
„ Pythagoram dixiſſes; Libris immortuo.

„ Executores Teſtamenti poſuerunt.

„ Vixit Annis LIV. in Decanatu X.
„ Obiit Anno Dom. MDCVII. XXIV. Feb. Veſperarum hora IX.

„ Bonus Bono
„ Bene precare.

Inſignia ex utroque latere, ornamenti loco, appoſita, ſunt ſequentia.

ex parte Patris		ex parte Matris	
2. *Querenbe.*	1. *Broel.*	1. *Orsbeck.*	2. *Gymnich.*
4. *Hulhove.*	4. *Rondorph.*	3. *Ulaten.*	4. *Ulenbrock.*

ex parte Matris paternæ		ex parte Matris maternæ	
2. *Wiltpurg.*	1. *Hauſt de Ulm.*	1. *Diepenbrock.*	2. *Bulich.*
4. *Koppenſtein.*	3. *Rohr.*	3. *Teutſch de Ubershauſen.*	4. *Keſſel.*

THEODORICUS a DAUN.

Conſentit in admiſſionem P. P. Soc. Jeſu Wormatiæ Anno 1613.

PETRUS ERNESTUS de WAERSPERG.

In dignitate ſua jam Anno 1620. conſtitutus, eam cum vita poſuit Anno demum 1653.

N - - SPIES de METZEBORN.

Waerspergio datus Succeſſor; obit Anno 1658.

PHILIPPUS WIEDE ab AMECKE.

In defuncti prædeceſſoris ſui locum ſurrogatur Anno 1658. quo ſupra.

CHRISTOPHORUS a VREDEN.

Philippo ſurrogatur ſub Annum 1664. Obiit Spiræ Anno 1677.

ADOLFUS FRIDERICUS ab ELTZ.

Vacantem ex Chriſtophori obitu Decanatum obtinuit Anno 1678. Succeſſorem in eadem hac dignitate nactus

JOHAN-

JOHANNEM ADAMUM ab HOHENECK.

Is eligitur Anno 1715. postquam aliquamdiu Cantoris & Scholastici munere perfunctus fuisset; ad meliorem vitam evocatus in senectute bona, Anno 1731. ætatis suæ prope 80.

JOSEPHUS ANTONIUS de ROLL, in BERNAU.

Defuncto Joanni Adamo surrogatus fuit Anno 1732.

✻ ✻ ✻

SERIES CUSTODUM.

EPPO.

Inter Testes adhibitus, quos continet charta donationis Fulmudæ, in gratiam Neuhausensis Ecclesiæ, Anno 1044. confecta.

ALEWICUS.

Occurrit Anno 1068. in litteris Adalberti Episcopi pro Ecclesia S. Andreæ.

ADALBERTUS.

Hic simul *Præpositi* munus gessit, ut constat ex litteris Anni 1105.

NIBELUNGUS.

Aut duo hujus nominis sibi invicem in eodem illo Officio successerunt, aut si unus dumtaxat fuit, is certe vitam protraxerit longius; siquidem diversæ Episcoporum Worm. litteræ ab Anno 1127. usque in Annum 1158. Nibelungi Custodis, mentionem faciunt; nec alius nisi serus ei Successor occurrit.

LUPOLDUS.

Testis adhibitus in diplomate Friderici I. Imp. pro Wormatiensibus Anno 1180.

RUDOLFUS.

Simul *Cantor*, nec non insuper Friderici I. Imp. Pro-Cancellarius, in cujus diplomate ad Annum 1184. subscriptus reperitur.

WERNHERUS I.

Intervenit cuidam contractui Anno 1198. jussu Lupoldi Episcopi, inito.

CONRADUS.

Ratam habet piam Theodorici militis de Hausen ordinationem Anno 1208. in gratiam Schonaugiensium factam.

WERNHERUS II.

Ejus mentionem faciunt litteræ Lupoldi Episcopi ad Annum 1213. tum & aliæ Henrici Episcopi pro Ecclesia S. Andreæ Anno 1227. denique Anno 1233. intervenit amicabili compositioni cum Wormatiensibus initæ

CONSTANTINUS.

Landolfi Episcopi in Coënobium Schonaugiense beneficentiam testatur Anno 1246.

DANIEL.

Memoratur in charta Walerami maj. Præpositi Anno 1253. pro Asceterio Sanctimonialium in Nonnen-munster.

WILHELMUS.

Testis in litteris Eberhardi Episcopi pro Ecclesia S. Martini Anno 1259. adhuc superstes Anno 1274.

WERNHERUS III. de LIEBENSTEIN.

Occurrit in litteris Anni 1287. tum etiam ad Annum 1291. quo disceptationem circa beneficii cujusdam collationem dirimit. Obiit autem Anno 1301.

CUNO de SCHONECK.

Intervenit contractui Anno 1316. super acquisitione castri Wildeck, inito; postmodum ad Wormatienses Infulas promotus.

BERTHOLDUS de RAVENSPURG.

Hujus mentionem faciunt litteræ Anni 1349.

REINBOLDUS de BOPPARDIA.

Is in litteris Emphiteuticis Anni 1363. adhuc *Thesaurarius* audit. Sepulturam nactus post obitum in Ecclesia majori juxta Altare S. Clementis, ubi ejus hoc quondam legebatur Epitaphium.

„ Anno Dom. MCCCLXIIII. III. Kal. Octobris obiit REINPOLDUS „BEYER de BOPPARDIA Custos hujus Ecclesiæ.

NICOLAUS de WISBADEN.

Hic Anno 1388. Cathedram Spirensem conscendit.

CONRADUS de ERBACH.

Longa annorum serie interrupta occurrit. Ejusque obitum referunt in Annum 1482.

JACOBUS PFAW de RIEPUR.

In Conradi dignitatem subrogatus, obit & ipse Anno 1484. Sepultus Spiræ.

JOAN-

JOANNES ab HELMSTAT.

Jacobum in dignitate Custodis Worm. excepit, defunctus Anno 1501.

VRIEL a GEMMINGEN.

Ad majora natus, in Moguntinum Archipræsulem electus fuit Anno 1508.

LAURENTIUS TRUCHSES de BOMMERSFELT.

Exstat in peristylio Maj. Eccles. Wormatiensis ejus sepulchrale monumentum, seu potius cenotaphium, cui hæc insculpta leguntur.

„ Reverend. ac Nobili viro, Domino LAURENTIO TRUCHSES a BOM-„MERSFELT hujus Custodi; Mogunt. & Herbip. Ecclesiarum Canonico „Jubilario, per varia Fortunæ ludibria exercito.

„ Amici posuerunt monumentum.

„ Moritur Herbipoli Anno Dom. MDXLIII. XX. Decemb. & ibidem „sepulturæ traditur.. cujus anima requiescat in pace.

Truchses *Schawenberg.*
Aurach *Paffenbalck.*

ANDREAS ab HEPPENHEIM.

Hic pariter monumentum obtinuit in supradictæ Ecclesiæ majoris peristylio ubi & sepultus jacet.

„ Anno MDLXVIII. XIX. augusti obiit ANDREAS ab HEPPEN-„HEIM. Dictus a SAAL. Custos hujus Ecclesiæ.

Heppenheim. *Oberstein.*
Weingarten. *Erlebach.*

PHILIPPUS CHRISTOPH. de SOETERN.

Custodis officio functus est jam Anno 1562.

WILHELMUS a SCHONEBERG.

Eligitur in Custodem Worm. Anno 1568. Obit 1571.

WILLIBRANDUS a RASFELT.

Hic obiisse reperitur Anno 1583.

PHILIPPUS a RODENSTEIN.

In munere superstes Annis 1594. & 97.

FRIDERICUS a BRANDT.

Occurrit in litteris Anni 1620.

GEORGIUS ANTONIUS a RODENSTEIN.

Hic postmodum Wormatiensem Cathedram conscendit Anno 1629.

Jo-

JOANNES CAROLUS a FRANCKENSTEIN.

Electus Anno 1654. in Custodem; pari cum prædecessore suo Georgio Antonio fortuna creatus est Wormatiensis Episcopus Anno 1683.

MAXIMILIANUS HENRICUS a GYMNICH.

Electus Anno 1700. in Custodem.

WILDRICUS MARSILIUS ab HOHENECK.

In defuncti prædecessoris locum ac dignitatem surrogatur Anno 1708.

* * *

SERIES SCHOLASTICORUM.

EKKEHARDUS.

Hunc Trithemio debemus, qui eum Anno 1006. vixisse asserit, ac ad Uragensis Abbatiæ Insulas evocatum.

WINIHARDUS.

Memoratur in litteris Adalberti Episcopi pro Eccles. Colleg. S. Andreæ Anno 1068.

THEGENO.

Hic in pia quadam Wolberonis Con-canonici sui dispositione ad Annum 1106. facta, *Magister Scholarum* audit.

WALTHERUS.

Testis adhibetur Anno 1127. in litteris clientelaribus Conradi Comitis de Louffen; adhuc superstes Anno 1139.

HERMANNUS.

Fundationem Cœnobii Schonaugiensis Anno 1142. suo quoque calculo probat; occurrit insuper in diversis aliis litteris Ann. 1158. & 1160.

ODALRICUS.

Intervenit contractui Anno 1159. inter Abbatem Schonaugiensem, & Waltherum de Husen, militem, inito.

HENRICUS I.

Occurrit Anno 1208. in litteris Lupoldi Episcopi, tum & in aliis Udalrici Præpositi majoris ad Annum 1213.

ROBERTUS.

Inter Testes recensetur in charta Henrici Episcopi pro Eccles. Colleg. S. Andreæ Anno 1227.

HEN-

HENRICUS II.

Ejus mentionem faciunt litteræ Landolfi Episcopi pro Ecclesia S. Pauli Anno 1239. tum denuo, ratione vadi Heidelbergensis Anno 1245.

CONRADUS.

Henrico Successor datus Anno 1246. Amicabilem compositionem instituit Anno 1252. inter Capitulum S. Pauli & Camerarios de Wormatia. Adhuc superstes Anno 1256.

JOANNES de WATTENHEIM.

Scholastici munere functus reperitur Anno 1260.

BURCHARDUS.

Memoratur Anno 1264. in Tabulis testamentariis Wezelonis Cantoris Eccles. Colleg. S. Martini.

THEODORICUS.

Ratam habet, ac gratam, Eberhardi Episcopi donationem Ecclesiæ in Edingen majori Capitulo Worm. factam Anno 1266.

FRIDERICUS.

Extant ejus litteræ Emphiteuticæ sub data Anni 1276.

HEILMANNUS.

In acquisitione decimarum in Colgenstein, Oberkem, aliisque locis Anno 1292. facta, opem ac operam suam confert.

BERLEWINUS.

Heilmanni proximus Successor; fuerat simul Præpositus Neuhausensis; sepultus post obitum in Oratorio S. Nicolai, cum hac Epigraphe:

„ Anno Domini MCCCII. crastino Kiliani. Obiit BERLEWINUS „Scholasticus hujus Ecclesiæ.

HENRICUS III.

Recognoscit Anno 1315. ad se spectare collationem Altaris S. Nicolai, quod Johannes Bubenheimer, & Lucia pii conjuges in Eccles. parochiali S. Michaelis fundaverant.

HARTWICUS de SAUWELENHEIM.

Frequens ejus mentio fit in diversis litteris ab Anno 1349. usque 1363.

JOANNES de WACHENHEIM.

Hartwicum in munere videtur excepisse, siquidem jam memoratur in litteris Anni 1368.

PHILIPPUS WINTER de ALZEN.

Subſcribit cuidam receſſui capitulari ad annum 1382. condito.

JOANNES a DERS.

Officio Scholaſtici functus eſt Anno 1417.

THEODORICUS ROST de ALZEY.

Joannem in munere excepit Anno 1420.

JOANNES de MONTEMAR.

Ejus mentio recurrit in Anno 1430. conditus poſt obitum juxta Altare S. Martini, ubi ſequens quondam legebatur inſcriptio.

„ Anno Dom. MCCCCLI. in vigilia S. Nicolai Obiit venerabilis Do„minus JOANNES NUWENBURG de MONTEMAR Scholaſticus hujus „ Eccleſiæ.

JOANNES de BACHENSTEIN.

Occurrit in litteris Anni 1455. tum & in aliis Anni 1457.

HERMANNUS, HASSIÆ Landgravius.

Electus fuit in Scholaſticum Worm. Anno 1479. Exſtat præterea in fornice periſtylii majoris Eccleſiæ Worm. ſequens Inſcriptio circum ipſius Inſignia.

„ HERMANNUS Dei gratia Landgravius HASSIÆ Archiep. Colonien„ſis, & hujus Eccleſiæ quondam Scholaſticus.

„ Anno MCCCCLXXXVIII.

Ubi notæ Chronicæ ſe ſe referunt ad tempus, quo periſtylium illud conditum fuit, non vero quo Scholaſtici Wormatienſis peregit officium; hoc enim ultro ab ſe dimiſerat cum Anno 1480. Colonienſem Cathedram conſcendit.

GEORGIUS de SAXENHEIM.

Vixit circa Annum 1473. Obiit autem Anno 1500. die 8. Kal. Octobris.

GUILLELMUS â STOCKHEIM.

Munere ſuo functus eſt jam Anno 1511. obiens vero ſepulturam ſuam obtinuit in periſtylio Maj. Eccleſiæ, ubi in Tabula ænea hæc quondam exſtabat inſcriptio, non è felici vena profluens.

Hæc GUILLELMUS habens a STOCKHEIM inſignia, largus.
Juſtus, manſuetus, dormit in hocce loco
Illius, ut duxit vitale, Scholaſticus, Ævum,
Templi & Canonicus, Cœlica Regna colat.

Obiit Anno MDXXXII. die V. Januarii.

Stockheim.	*Weiſs* a *Fevvrbach.*
Waldeck de *Uben.*	*Buchſeck.*

PHI-

PHILIPPUS CHRISTOPH. a SOETERN.

Ad dignitatem Scholastici promotus Anno 1567.

EBERHARDUS a DIENHEIM.

Vacantem Anno 1568. ex libera cessione Philippi supradicti, Scholasteriam retulit.

PHILIPPUS CRATZ de SCHARFFENSTEIN.

Eberhardum in munere excepit sub Annum 1577.

THOMAS BRINT ab HORCHEIM Diet. BROEL.

Philippi Successor; ad altiora, videlicet majorem decanatum promotus est Anno 1597.

ZENO de WELFFELT.

Transit Anno 1622. ad majoris Præpositi dignitatem.

JOANNES LUDOVICUS a WALTERDORFF.

Zenoni in Officio Scholastici surrogatus fuit.

FRANCISCUS LUDOV. FAUST de STROMBERG.

Eligitur in Scholasticum Anno 1653.

WOLFGANGUS ERNESTUS a LAPIDE.

Hic obiit Anno 1663. die 3. Martii.

JOANNES RICHARDUS â FRANCKENSTEIN.

Electus pariter Anno 1663. in Scholasticum; postea, anno videlicet 1672. majori præpositura donatur.

JACOBUS de ROLLINGEN.

In Joannis-Richardi locum substitutus est, desiitque inter vivos Anno 1676.

JOANNES ERNESTUS ab HAUBEN.

Vix Jacobo in dignitate successerat; cum ab effræni equo excussus, periit, Anno 1677.

PHILIPPUS-WILHELMUS ab HUGENPOET.

Vacantem denuò Scholasteriam obtinuit, eique immortuus est Anno 1684.

JOANNES-ADAM ab HOHENECK.

Post Philippi-Wilhelmi obitum Scholasticus primùm, dein Anno 1715. major Decanus renuntiatus est.

JOANNES LOTHARIUS ab HAUBEN.

Hoheneckium ad altiora promotum excepit Anno 1715. in Officio Scholaſtici.

Anſelmus Caſimirus a Wambold ſucceſſit, cui paulo poſt obitum ſuffectus eſt.

JOANNES PHILIPPUS ab HOHENECK.

Anſelmo Caſimiro, Anno 1723. defuncto, Succeſſor datus eſt.

* * *

SERIES CANTORUM.

WOLFGANGUS.

Teſtis occurrit Anno 1068. in charta Adalberti Epiſcopi ſui, pro Eccleſia Colleg. S. Andreæ.

THEODORICUS.

Piam Buggonis Epiſcopi, circa Schonaugienſe coënobium diſpoſitionem, ſuo quoque calculo probat Anno 1137.

VOLMARUS.

Hic ſupradicti Monaſterii fundationem pariter ratam habet Anno 1145.

HENRICUS.

Occurrit in litteris Emphiteuticis Anni 1160.

RUDOLFUS.

Simul *Cuſtodis* munere functus eſt, vixitque Anno 1184.

EBERHARDUS I.

Rudolfi videtur fuiſſe Succeſſor, ſiquidem ejus mentionem faciunt litteræ Lupoldi Epiſcopi ad Annum 1196.

WERNHERUS.

Eberhardum excepit circa Annum 1198. quo certo cuidam contractui interveniſſe reperitur.

BALDEMARUS.

Anno 1208. cum Spirenſibus Tractatum init, adhuc ſuperſtes Anno 1213.

EBERHARDUS II.

Baldemari Succeſſor, memoratur in litteris Anni 1216.

GERLACUS de GRASWEGE.

Scholaſtici munere functus, obit Anno 1234.

AL-

ALBERTUS RUBE.

Simul Ecclef. S. Martini Præpofitus, intervenit diverfis contractibus ab Anno 1235. ufque in Annum 1250.

JACOBUS I. de ALZEJA.

In Alberti locum fubftitutus, quædam pie ordinat in Parthenone Nonnenmunfter Anno 1253. adhuc fuperftes Anno 1276.

SIMON.

Hujus mentionem facit decretum capitulare editum Anno 1281.

JACOBUS II. de ALZEJA.

Simoni videtur fuiffe furrogatus fub Annum 1292., quo Advocatiam in Selfen fibi acquifivit. Arbiter dein conftitutus Anno 1312. in caufa Eberwini Epifcopi fui adverfus Judæorum communitatem Wormatiæ.

NICOLAUS de OPPENHEIM.

Hujus mentionem faciunt diverfæ litteræ Annis 1349. & 1354.

OTTO de WETTIN.

Ex Cantore Worm. factus Anno 1366. Epifcopus Mindenfis.

HEILMANNUS.

Occurrit jam Anno 1363. Hinc conjicimus ipfum ex libera demiffione Ottonis, ad Cantoriæ dignitatem fuiffe promotum.

HENRICUS de DERS.

Exftabat olim in Oratorio S. Nicolai hoc fequens ejus Epitaphium.
„ Anno Dom. MCCCCXI. die X. menf. Octobris Dom. HENRICUS de „DERS, Cantor hujus Ecclefiæ.

CONRADUS de BERLICHINGEN al. Berlingen.

Memoratur in litteris Anni 1417. adhuc fupereft Anno 1422.

JACOBUS de LAUDENBERG.

Conradum in munere excepit; vita functus Anno 1427.

JOANNES de SICKINGEN.

Jacobo datus Succeffor, Anniverfarium fuum Anno 1429. prævie ordinat.

PETRUS de OBERKEIM.

Hic obiiffe reperitur Anno 1443. die 21. Aprilis, Sepulturam nactus in Peryftilio majoris Ecclefiæ.

WIPO de FRANKENSTEIN.

Hujus quoque Epitaphium visitur in eodem Perystilio, his conceptum verbis.

„ Anno Domini MCCCCLX. die XXII. Julii obiit venerabilis Do-„minus WIPO de FRANKENSTEIN, Cantor hujus Ecclesiæ.

Frankenstein.	*Helmstat.*
Bickenbach.	*Hendschuesheim.*

JOANNES de LAUDENBERG.

Wipponis in dignitate Successor, eam Anno 1476. die 20. Januarii, simul cum vita posuit.

JOANNES de HATSTATT.

In fornice Oratorii S. Nicolai sequens hæc quondam legebatur inscriptio:

„ JOANNES de HATSTATT, Canonicus, & Cantor, hujus Ecclesiæ „ AnnoMCCCCLXXXVI.

Hatstatt.	*Landsperg.*
Helmstat.	*Fleckenstein.*

REINHARDUS de RIPPUR.

Electus est Cantor Worm. Anno 1520. promotus inde Anno 1527. ad maj. Decanatum Wormatiensem.

HENRICUS a SCHAWENBERG.

Hujus sepulchrale monumentum exstat etiamnum in Perystilio majoris Ecclesiæ cum hac sequenti Epigraphe:

„ Reverendus & Nobilis Vir
„Dom. HENRICUS a SCHAWENBERG, hujus Ecclesiæ Cantor & Jubilarius, „post decimum-sextum a se celebratum jubilarium Annum, vivus & bene va-„lens hocce sibi Monumentum fieri curavit.

„ Moritur Anno Dom. MDLI. die XII. mens. Febr. hic in proxima „area sepultus, communem universæ carnis resurrectionem exspectans

Schavvenberg.	*Hutten.*
Thungen.	*Sparneck.*

WILHELMUS de SCHONEBERG.

Electus Anno 1551. in Cantorem, fit dein major Decanus Anno 1556.

CAROLUS de WILTPERG.

In dignitate superstes usque in Annum 1583. ut nos docet ejus Epitaphium quod in Oratorio S. Nicolai olim visebatur in hæc verba conceptum.

„ Anno Dom. MDLXXXIII. die XVIII. Julii Reverend. ac Nobilis „Dominus CAROLUS a WILTPERG Cantor & Canonicus hujus Ecclesiæ, & „S. Gertrudis Augustæ Præpositus.

Wiltperg.	*Daun.*
Muhlen a Diefflich.	*Kessel a Nörberg.*

WIGAN-

WIGANDUS a RASFELT.

Caroli locum ac dignitatem obtinuit Anno 1583. quo ſupra.

HENRICUS ab EFFERN.

Wigandum in munere excepit, eidemque immortuus eſt Anno 1493.

PHILIPPUS a RODENSTEIN.

Henrico ſubſtituitur, haud diu in Officio ſuperſtes.

GEORGIUS FRIDERICUS a GREIFFENCLAW.

Hic Cantoriam ad manus Capituli reſignavit Anno 1601.

WILHELMUS THEODORICUS a DAUN.

Muneri ſuo aliquamdiu functus eſt, illudque demum & ipſe Anno 1607. in manus Capituli reſignavit.

JOACHIMUS a WILTPERG.

Simul S. Guidonis Spiræ Præpoſitus; obiit Anno 1621. die 12. Maji.

JOANNES a WAERSPERG.

Joachimo Succeſſor datus fuit Anno 1621.

WOLFGANGUS ERNESTUS ab OBERSTEIN.

Hunc in Cantorem electum fuiſſe reperio ad Annum 1653.

JOANNES FRANCISCUS a DALBERG.

Oberſteinio videtur ſurrogatus, ſiquidem Anno 1669. Cantor renuntiatus fuit. Obiit Anno 1671. die 23. Novembris.

JOANNES ADAMUS ab HOHENECK.

Huic ad Scholaſteriam haud diu poſt promoto ſucceſſit.

SIGISMUNDUS de FRENTZ.

Anno 1700.

JOANNES LOTHARIUS ab HAUBEN.

Sigismundo ſurrogatus eſt, cum excepit

FRANCISCUS - RUDOLFUS de GROSCHSLAG.

Electus Anno 1715.

CAPUT

CAPUT IV.

De Viris Illustrioribus, quos Ecclesia Wormatiensis protulit.

Sydus omnium, quibus Wormatiensis Ecclesia unquam effulsit, splendidissimum merito veneramur in

PIO II. PONT. MAX.

Is enim, cum adhuc ÆNEAS SYLVIUS audiret, in descriptione sua Germaniæ, cap. VII. de Wormatia agens, ita de se testatur: *In hac* URBE *Nos* PRÆPOSITURAM *cum Palatio nobili obtinemus, & ejus causa in Schola Heidelbergensi Cancellariatum.* Promotus ad Pontificatum Anno 1458. Eum sequuntur Archiepiscopi, & Episcopi, juxta temporum seriem hic a nobis recensendi.

ARCHIEPISCOPI.

EBERHARDUS. Hezelonis Alemanniæ Comitis Filius, nec non Worm. Ecclesiæ Præpositus major. in POPPONIS Archiepiscopi Trevirensis locum, ac dignitatem substitutus est Anno 1047.

ALBERTUS. Circa Annum 1106. Canonicus Worm. ac simul Præpositus Neuhausensis munus Cancellarii sub Henrico IV. Imp. aliquamdiu gessit, donec tandem ejus favore ad Moguntinas Infulas promotus est.

JOANNES. Ex Bavariæ Ducibus; Worm. Præpositus major, a Calixto III. Pont. Monasteriensium Episcopus renuntiatur Anno 1457. inde translatus Anno 1466. in Sedem Magdeburgensem. Ejus obitus refertur in Annum 1475.

HERMANNUS. Patre Ludovico Hassiæ Landgravio genitus; Scholastici Worm. munere fungebatur in Ecclesia maj. Wormatiensi, quando in Archiepiscopum Coloniensem electus fuit Anno 1480. è vivis ereptus Anno 1508. die 27. Sept.

URIEL de GEMMINGEN. Ex Custode Wormatiensi, creatus Anno 1508. Archiepiscopus Moguntinus. Obiit Anno 1514.

PHILIPPUS-CHRISTOPH. a SOETERN. Custos primùm, Anno 1562. dein Scholasticus Worm. Demum Trevirensi Ecclesiæ datus est Archiepiscopus Anno 1623. Fatis ereptus Anno 1652.

EPISCOPI.

THEODORICUS Canon. Worm. & Præpositus S. Andreæ; Cancellarii officio functus est sub Henrico III. Imp. a quo & ad Constantiensem Cathedram evectus est.

CON-

CONRADUS. Ex Comitibus de Druchsburg Canon. Worm. nec non S. Andreæ ibidem Præpositus; Spirensem Episcopatum obtinuit Anno 1232. Defunctus Anno 1237.

LANDOLFUS. Ecclesiæ Worm. major Præpositus; Brixinensibus Episcopus præficitur. Utramque dignitatem in ipso viguisse demonstrant ejus litteræ Anni 1296.

ADOLFUS a MARCKA. Ex Canon. Worm. & S. Andreæ Præposito, factus Anno 1313. Leodiensium Præsul.

OTTO de WETTIN. Ex Cantore Worm. Ecclesiæ, creatus Anno 1367. Episcopus Mindensis, haud diu in munere superstes; siquidem Anno mox sequenti obiit. Sepultus Mindæ in Ecclesia FF. Prædicatorum.

NICOLAUS de WISBADEN. Ex Custode Worm. electus Anno 1388. in Episcopum Spirensem.

JOANNES NIX de HOHENECK, dictus *Entzeberger*. Præpositus Wormatiensis, Spirensem Cathedram conscendit Anno 1459. verum Anno 1464. dignitate in Mathiam a Ramung translatâ, privatus vixit, arcis Oberngrunbergensis possessione contentus. Obiit Pfortzemii Ann. 1467. sepulturam nactus ibidem apud FF. Minores.

RUDOLFUS de RUDESHEIM. Decanus maj. Wormatiensis, nec non S. Pauli ibidem Præpositus. A Paulo II. Pont. Legatus Apostolicus ac Episcopus Lavantinensis creatur Anno 1465. demum ad Wratislawiensem Episcopatum promotus Anno 1468. diem obiit supremum Anno 1482.

PHILIPPUS de FLERSHEIM. Ex Canon. Worm. creatus Spirensis Episcopus Anno 1529. humanis ereptus est in Taberna-Rhenensi Anno 1552.

PETRUS ALBERTUS a RAMSTEIN. Ex eodem Canon. Worm. majori Collegio ad Basileensem Episcopatum promotus est sub Annum 1646. Obiit Anno 1651.

CAPUT V.

Series Episcoporum Suffraganeorum
Sedis Worm.

FRANCISCUS
EPISCOPUS SALUBRICENSIS.

Hic, ex Ord. FF. Prædicatorum desumptus, consecravit Anno 1293. Ecclesiam recenter tunc fundati Parthenonis in Hocheim die 4. Non. Aprilis.

WOLFRAMUS de FLECKENSTEIN

EPISCOPUS SALVIENSIS.

Templum F.F. Prædicatorum Wormatiæ Anno 1313. die V. Kal. Junii. ritu ſolemni dicavit.

NICOLAUS de WILTPERG

EPISCOPUS VERNENSIS.

Exſtat hujus memoria veteri Necrologio S. Martini Worm. verbis ſequentibus adſcripta.

„ Nicolaus de Wiltperg Epiſcopus Vernenſis, Vicarius in Spiri-
„ tualibus Dom. Epiſcopi Worm. Ob. ipſa die Sancti Viti. Anno
„ MCCCCXXXVIII.

LEONARDUS

SOLDANIENSIS EPISCOPUS.

Legebatur quondam in Oratorio S. Ægidii Wormatiæ, Epiſcopi hujus Epitaphium, in hæc verba, quæ titulos affatim exprimunt; non item Annum emortualem, qui obliteratus erat.

Anno Dom. MCCCC - - - - Ob. Reverend.
Pater et Dominus Leonhardus
Soldaniensis Episcopus. Sac. Theolog.
Professor, Ord. Prædicatorum
Conventus Argentinens. ac Domini
Worm. in Pontificalibus Vicar. General.

HERBORDUS

EPISCOPUS TANENSIS.

Inſtauratum in Ædibus Decani maj. Wormatiæ Anno 1448. Oratorium conſecraſſe reperitur. Sepulturam nactus poſt obitum in Eccleſia Cathedrali, ubi juxta aram S. Martini ſequens ejus viſebatur Epitaphium.

Anno Dom. MCCCCL. XV. die
mens. Aprilis Ob. R. Pater Herbordus
Episcopus Tanensis. Dom. Episcopi
Worm. in Pontif. Vicarius Generalis.

SIMON

SIMON de DURN.

MAGIONENSIS EPISCOPUS.

A Reinhardo de Sickingen Episcopo Worm. in suffraganeum assumptus fuit Anno 1457. sepultus post obitum in Carmelo Wormatiensi, hac addita brevi Epigraphe.

ANNO DOM. MCCCCLXX. IN DIE
SANCTI AUGUSTINI OB. REVERENDUS
IN CHRISTO PATER D. SIMON
MAGIONENSIS EPISCOPUS; ORD.
CARMELITARUM.

JOANNES

EPISCOPUS APTENSIS.

Oratoria aliquot Anno 1496. ritu, quo alias, invenitur consecrasse.

JOANNES LEOPOLDUS de GUDENUS

EPISCOPUS PERGAMENSIS.

Ecclesiarum Cathedralis Constantiensis, nec non Collegiatæ S. Pauli Wormatiensis respective Decanus, & Canonicus; consecratur in Episcopum Anno 1711. Romæ. Obiit Wormatiæ Anno 1713. die 17. Martii Sepulturam nactus apud PP. Carmelitas.

JOANNES BAPTISTA GECGG

EPISCOPUS TRAPEZOPOLITANUS.

Fuerat simul Ecclesiarum S. Pauli Worm. nec non monasterii Eyffliæ, respective Præpositus, & Decanus. Obiit Anno 1730.

JOANNES ANTONIUS WALLREUTHER

EPISCOPUS SAREPTANUS.

Ritu Solemni consecratus fuit Wormatiæ Anno 1731. die 22. Aprilis. Vir omni laude dignus, quem fata præpropera eripuêre Anno 1734. die 16. Januarii.

CAPUT VI.

Syllabus Canonicorum majoris Ecclesiæ Worm.

quotquot eorum ex litteris, seu & monumentis sepulchralibus eruere licuit, Ordine Alphabetico digestus.

Adelhun	*Henricus de*	1213
Adelsheim	*Godefridus de*	obiit 1505
Alben	*Georgius de*	ob. 1552
Alzen sive Alzeja	*Bertoldus de*	1281
- - -	*Joannes de*	ob. 1470
Aschenbruch	*Joan. Franciscus ab*	ob. 1613
Ast	*Ludovicus ab*	1441
Aubach	*Herman. Lothar. ab*	1719
Bachenstein	*Joannes de*	1457
Barthenheim	*Walth. de*	1363
Bassenheim vid. Walpot.		
Bechelingen	*Conradus de*	1386
Belle	*Wigandus de*	1364
Berge	*Conradus de*	1263
Bettendorff	THEODORICUS de fit Ep. Worm.	1552
- -	*Anselm. Frider.*	adhuc Superstes.
Bevern	*Arnoldus*	1381
Bibra	*Arnoldus de*	1387
- - -	*Laurentius*	1491
Bilenstein	*Henricus de*	1240
- -	*Merboto de*	1267
Bogel	*Theodoricus*	1411
Bolandia	*Henricus de*	1317
Boppardia dicti Beyer	*Albertus de*	1208
- -	*Burcardus*	1224
- -	*Joannes*	1338
- -	THEODORICUS fit Ep. Worm.	1360
- -	*Remboldus*	ob. 1364
Brandt	*Fridericus a*	1596
Braunsperg	*Wilhelmus à*	ob. 1615
Breidebach	*Otto de*	1480
Brindt ab Horcheim	*Thomas*	ob. 1667

Came-

Camerarii a Wormatia dicti a Dalberg.	JOANNES fit Ep. Worm.		1482
	Fridericus	ob.	1520
- -	*Balthasar*		1513
- -	*Joachim*	ob.	1532
- -	*Wolfgangus*		1562
- -	*Frider - Diether.*	ob.	1644
- -	*Joannes - Francisc.*	ob.	1671
- -	*Philipp - Eberhard.*		1679
- -	*Joannes - Philipp.*		1680
- -	*Philipp - Wilhelm.*	ob.	17..
Carben - -	*Philippus* de	ob.	1585
Clapis - -	*Petrus - Antonius* de		1511
Crantz de Geispoltzheim	*Jacobus Samson*	ob.	1636
Cratz de Scharffenstein	*Joannes - Bertoldus*	ob.	1598
- - -	PHILIPPUS fit Ep. Worm.		1604
- -	*Hugo*	ob.	1619
- -	HUGO-EBERHARDUS fit Ep. Worm.		1652
Croneberg - -	EBERWINUS fit Ep. Worm.		1299
DAun aliàs Duna	RICHARDUS fit Ep. Worm.		1257
- - -	HENRICUS fit Ep. Worm.		1318
- - -	*Theod. Nicolaus*		1572
- - -	*Hermannus*	ob.	1605
- - -	*Emericus*	ob.	1620
- - -	*Wilhel. Theodoric.*	ob.	1622
Ders - -	*Deinhardus* â	ob.	1382
- - -	*Joannes*		1389
- - -	EKKARDUS fit. Ep. Worm.	ob.	1405
- - -	*Henricus*	ob.	1411
- - -	*Ekkardus*	ob.	1431
- - -	*Ekkardus*	ob.	1468
Dienheim - -	*Eberhardus* â		1567
- -	*Fridericus*		1547
Domneck - -	FRIDERICUS fit. Ep. Worm.		1426

EBeſtein	*Conradus* de	1263
Efferen	*Henricus* ab	1588
	WILHELMUS fit Ep. Worm.	1604
Elter	*Franciſcus* ab	1650
Eltz	*Adolfus Frid.* ab	ob. 1715
Elwangen	*Cuno* ab	1233
Erleſtat	*Adolfus* ab	1200
Ernberg	*Henricus* ab	ob. 1515
Erpach Pincernæ	GERLACUS fit. Ep. Worm.	1329
	Henricus	1330
	Conradus	ob. 1482
FAuſt de Stromberg	*Franciſcus Ludovicus*	1653
Fleckenſtein	*Wolframus* de	1313
	Joannes de	1397
	JOANNES fit Ep. Worm.	1410
	Michael	ob. 1514
Flersheim	*Philippus* de	ob. 1552
Franckenſtein	*Wippo* de	ob. 1460
	Joannes Richard.	1672
	JOANNES - CAROLUS fit Ep. Worm.	1683
Frentz	*Sigismundus* â	ob. 1715
GEmmingen	*Vriel* de	1482
	Georgius	ob. 1511
	Erpho	ob. 1520
Geroltsheim	*Jacobus* de	1362
Gimnich	*Hugo - Otto* â	1625
	Max. Henricus	1700
Giſenberg	*N* . . .	17..
Greiffenclaw de Volrati	GEORG-FRIDERICUS fit Ep. Worm.	1616
Groſchlag	*Henricus* de	1355
	Franciſcus Rudolphus	adhuc ſuperſtes.
Guttenberg	*Wilhelmus Ulricus*	adhuc ſuperſtes.
HAmbach	*Jacobus* de	ob. 1419
Hanawer de Babenhuſen	*Reinhardus*	ob. 1529
Haſſiæ Landgrav	*Hermannus*	1480

Hatſtat

Hatſtat - -	*Joannes* de - -	ob. 1486
Hatzfelt - -	*Joannes* ab - - -	1572
Hauben - - -	*Joannes - Erneſtus* ab - -	ob. 1677
- -	*Joannes Lothar.* - -	ob. 1723
Heimesdorff -	*Arnoldus* - -	1362
Helmſtat - -	*Reinhardus* de - -	1426
- -	*Ulricus* - - -	1484
- -	*Petrus* - - - -	1543
Henresheim - -	*Joannes* de - -	1568
Henteſsheim - -	*Joannes* de - -	1562
Hentſchuesheim .	*Joannes* de - - -	1565
Heppenheim dict. Saal -	*Andreas* - ,	ob. 1568
- -	*Joannes* - - .	ob. 1672
Hettersdorff - -	*Franciſcus - Rudolfus* - -	ob. 1730
Hilcken à Lorch -	*Joannes* - - -	ob. 1577
Hildesheim - -	*Siffridus* - -	1324
Hirſuti Comites -	EBERHARDUS	
- -	fit Ep. Worm. - -	1257
- -	FRIDERICUS	
- -	fit Ep. Worm. - -	1277
Hirtzberg - -	*Eberhardus* - -	1216
Hirtzhorn - -	*Eberhardus* ab - -	1337
Hoheneck - -	LANDOLFUS ab	
- -	fit Ep. Worm. - -	1234
- -	*Anſelmus - Franciſcus* - -	ob. 1704
- -	*Joannes Adam* - -	ob. 1731
- -	*Franciſcus - Jacobus*	
- -	*Joannes - Philippus* -	adhuc ſuperſtites
- -	*Wildricus - Marſilius*	
Hohenfelt - -	*Franciſcus Carolus* ab -	adhuc ſuperſtes
Hohenſtein -	*Joannes* de - -	ob. 1558
Holdingshauſen -	*Fridericus* ab - -	1568
Horneck - -	*Wernherus* de - -	1254
Horſt - -	*Henricus* ab - -	1584
Huchelnheim -	*Conradus* - -	1419
INgelnheim -	*Giſelbertus* de - -	1354
KEttler -	*Chriſtoph. Jodocus* de -	adhuc ſuperſtes
Knebel à Katzenelnbogen	*Ludovicus* - -	1562
- -	*Franciſcus Lotharius* -	adhuc ſuperſtes
Krawel de Dramsfelt -	*Heuſo* - - -	1461
Krieg de Geiſpitzheim -	*Joannes* - -	1462

Laden-

LAdenbaum	*Joannes* de	1426
	Joannes Ernolfus	ob. 1491
Laenſtein	*Conradus*	ob. 1497
Lapide, *alias* Stein	*Otto* de	1449
	Georgius	ob. 1451
	Wolfg. Erneſtus	1663
Laudenberg	*Jacobus* de	ob. 1424
	Joannes	ob. 1476
Laumersheim	*Joannes* à	1332
	Joannes	1451
Leéroth Comes.	*Franciſcus Adam*	adhuc ſuperſtes.
Leiningen Comites	*Fridericus*	1329
	Fridericus	1351
	Joannes	1354
	Egino	1382
Lerch à Dirmſtein	*Michael Caſpar*	ob. 1674
Lewenſtein	*Wernherus* de	1283
	Wolframus	1382
Liebenſtein	*Wernherus* à	ob. 1301
Lichtenſtein	*Gerardus*	1281
Linden	*Ortvvinus* de	1382
	Conradus	1398
Lutra	*Eberhardus* de	1267
MArcka	*Engelbertus* à	1298
	Adolfus	1313
Meckenheim	*Theodoricus* de	1335
Meinberingen	*Wernherus* de	1281
Meinkemer	*Wernherus* de	1300
Memmingen	*Rabanus* de	1450
Mentzingen	*Rabanus* de	ob. 1470
	Philippus	ob. 1538
Metternich	*Emericus* à	1625
	Franciſcus Wolfg. de *Mulenarck*	ob. 1690
Metzenhauſen	*Joannes Wilhelmus* à	1625
Monsheim	*Arnoldus* de	1300
	Conradus	ob. 1329
	Jacobus	1372
	Fridericus	1394
Moro	*Wernherus* de } *Conradus* } *Henricus* }	1237
	Emicho	1271
	Meinhardus } *Berlevvinus* }	1279

Mohr


Mohr de Waldt	*Wolfg. Eberhardus*	ob. 17--
Morsheim	*Fridericus* de	ob. 1363
	Joannes Cuno	1562
Mulalben	*Carolus* de	ob. 1607
Munch de Rosenberg	*Joannes*	ob. 1487
Nagel a Dirmstein	*Christophorus*	1583
Nesselroth	*Philippus Wilh.* de	1650
Neiwenburg de Montemar	*Joannes*	1451
Neyperg		1544
	Georgius de	ob. 1557
Nitensheim	*Gerbodo* de	1213
Nix de Hoheneck	*Joannes*	1454
Nothaft	*Joannes Emeranus*	1562
Oberkeim	*Petrus* de	ob. 1443
Oberstein	*Wolfg. Ernestus* de	1653
Opelsheim	*Conradus* de	1420
Oppenheim	*Nicolaus* de	1354
Orsbeek	*Wernherus* de	ob. 1613
Pappenheim	*Herboldus* de	ob. 1417
Ramstein	*Petrus Albertus* à	1650
Randeck	*Joannes* de	1343
Rasselt	*Arnoldus* de	ob. 1573
	Willibrandus	ob. 1583
	Wigandus	1586
	Bitterus	ob. 1604
Rawenspurg	*Bertholdus* de	1349
Richenbach	*Joannes* de	1283
Riedt	*Job* de	1474
Rippur	*Conradus* de	1213
	REINHARDUS fit Ep. Worm.	1503
	Reinhardus	ob. 1541
Rode de Dirmstein	*Jacobus*	1346
	Sigilo	1354
	Sigilo	1396
Rodenstein	*Georgius* à	ob. 1464
	Eberhardus	1461
	PHILIPPUS fit Ep. Worm.	1595
	GEORG. ANTON. fit Ep. Worm.	1629

Roll in Bernaw -	*Joseph. Antonius* de -		adhuc superstes.
Rollingen - -	*Jacobus* de - -	ob.	1676
Rorbach - -	*Theodoricus* de - -		1335
Rosenau - -	*Lucas* â - -	ob.	1531
Rudesheim - -	*Ditmarus* de - - -		1355
- - -	*Rudolfus* - - -		1444
Rutlingen - -	*Rudolfus* de - - -		1248
Sachsenheim - -	*Georgius de* - -	ob.	1500
Sarbrucken Comites	Henricus de fit Ep. Worm. - -		1217
Schaffart - -	*Fridericus de* - -		1396
Schluchter de Erffenstein	*Antonius* - -	ob.	1535
Schmutzel de Dirmstein	*Henricus* - - -		1196
Schöneberg - -	*Sigifridus de* - -	ob.	1309
- - -	*Arnoldus* - - -		1311
- - -	*Otto* - - -		1343
- - -	*Otto* - - - -		1394
- - -	*Wilhelmus* - -	ob.	1571
- - -	Georgius fit Ep. Worm. - -		1580
Schönfelt - -	Lupoldus de fit Ep. Worm. - -		1196
Schöneck - -	Simon de fit Ep. Worm. - -		1283
- - -	Emericus fit Ep. Worm. - -		1308
- - -	Cuno fit Ep. Worm. - -		1319
- - -	*Hermannus* - -		1339
Selbolt - -	*Arnoldus* de - -		1200
Siberg - -	*Winandus* de - -		1445
Sickingen - -	*Joannes* de - -		1429
- - -	*Conradus* - -		1445
- - -	Reinhardus fit Ep. Worm. - -		1446
Sobernheim - -	*Joannes* de - - -		1426
Soëtern - -	*Philipp. Christoph.* - -		1562
Specht a Bubenheim -	*Joannes* - -	ob.	1524
Sporo - -	*Conradus* de - -		1208
Starkenberg - -	*Wernherus* de - -		1274
Stega - - -	*Willecho* de - -		1343
Steinach - -	Conradus de fit Ep. Worm. - -		1151

Stern-

Sternberg - -	CONRADUS fit Ep. Worm. - -	1171
- - -	*Petrus* - - -	1354
- - -	*Roricus* - -	1356
- - -	*Petrus* - - -	1394
- - -	EBERHARDUS fit Ep. Worm. - -	1426
Stockheim - -	*Fridericus de* - -	1273
- - -	*Conradus* - -	1273
- - -	*Wilhelmus* - - -	ob. 1532
Swalbach - -	*Wolpertus de* - -	1568
Truchses de Bomersfelt	*Laurentius* - - -	ob. 1543
Treyssa - -	*Ditmarus de* - -	1445
Udenheim -	*Henricus de* - -	1382
Ulwer de Ottweiler	*Philippus* - - -	1571
Utzlinger - -	*Joannes ab* - -	1479
Venningen - -	*Egeno de* - - -	1382
Wachenheim - -	*Giselbertus* - -	1300
- -	*Joannes* - - -	1368
- -	*Siffridus* - - -	1435
Wahlen - -	*Ditmarus de* - -	1375
Walheim - -	*Titzmannus de* - -	ob. 1401
Walpott in Bassenheim	*Franciscus Caspar* - - -	1650
- - -	FRANCISCUS EMERICUS CASPAR fit Ep. Worm. - - -	1679
- - -	*Franciscus Hugo* - - -	ob. 17--
Walterdorff - -	*Godefridus de* - - -	1567
- - -	*Joannes Ludovicus* - -	1622
Wambold - -	*Anton. Casimir.* - - -	1697
- - -	*Anselm. Casimir.* - - -	1721
Waersperg - -	*Joannes de* - -	1620
- - -	*Petrus Ernestus* - -	ob. 1653
Wasen - - -	*Osvvaldus de* - -	ob. 1482
Wattenheim - -	*Joannes de* - -	1454
Weissemberg - -	*Joannes de* - -	1283
- - -	*Joannes de* - - -	1394
Werstadt - -	*Joannes de* - - -	1382
Wettin - -	*Otto de* - - - -	1366
Wiedt ab Amecke -	*Philippus* - - -	1658

Wiltperg	*Antonius de*	1567
	Carolus	ob. 1583
	Joannes Philippus	ob. 1596
	Jacobus	ob. 1605
	Joachimus	ob. 1621
Wimpffen	*Conradus de*	1329
Wingarten	*Hermannus de*	1387
Winheim	*Joannes de*	1482
Witſtatt	*Bertholdus de*	1446
Wolveskeel	*Nibelungus*	1216
	Conradus	1239
Wulfeld	*Zeno de*	1596
Zigenhain	*Otto de*	1405
Zu Rhein	*Joſeph. Bened.*	
	Wilhelm. Jacobus	adhuc ſuperſtites.



ECCLE-

ECCLESIÆ COLLEGIATÆ.

I.

Ecclesia Collegiata S. Cyriaci in Neuhausen.

Haud procul Wormatiâ, secus viam publicam, quæ abinde ducit Moguntiam, Regium olim visebatur Palatium, quod cum in Ecclesiam Divo Martyri DIONYSIO sacram aliquando convertisset DAGOBERTUS; pium Regis hujus zelum æmulatus SAMUEL Wormatiensium Episcopus, locum novis structuris ac ædificiis Anno DCCCXLVII. a se ornatum, insigni insuper Canonicorum Collegio adauxit; quin & allatis Româ Sancti CYRIACI Martyris Relliquiis, novum per eas patrocinium eidem conciliavit. Hinc passim NOVA-DOMUS, seu NOVA-CASA, vulgo NEW-HAUS dici coepit, nomenque hoc constanter deinceps retinuit, etiam in Sigillo Capituli expressum, ubi circum S. Martyris effigiem sequens hæc legebatur inscriptio:

Est nova digna domus, regit hanc Sanctus Cyriacus.

Ne autem deductum à principio totius fundationis ordinem sera fortassis ignoraret posteritas, providi majores, versus sequentes, rudi stylo, prout ea ferebant tempora, elaboratos in fronte Templi exstare voluerunt:

Regalis quondam Solii memorabilis Aula,
Jam Cyriace nova sum Tibi digna Domus,
Qua felix recubans, celebres recturus habenas,
Hic tranquilla tuis Ossibus esto quies;
Te prior anteibat Ariopagita Patronus,
Nunc ambo ætherea plaudite nube pares.

Magna deinceps loco celebri inhæsit Sanctitas, ac Relligio, ut vel ex uno illo instrumento colligimus, quod sic habet:

„ Ego ARNOLDUS Dei gratia Episcopus Wormatiensis. Noverit „omnium Christi Fidelium tam præsentium quam futurorum universitas, „qualiter Domino nostro Jesu Christo in perpetuum regnante & me, licet „indigno, sedi Wormatiensi præsidente; quod Nobilis & Libera Domina, „FULMUDIS nomine, cum esset annis multis paralysi obstricta, & omnium „membrorum usu & vigore destituta, Nuhusæ in Ecclesiam, in qua bea„tissimi CYRIACI Martyris & Levitæ corpus requiescit, manibus Famulan-

„tium est perlata, & ibidem per merita, & intercessionem præfati Martyris „& Levitæ a Deo misericorditer sanitati est restituta ——

„ Acta sunt hæc NUHUSÆ Anno Dom. Incar. MXLIIII. Indict. II. „Regnante, & in præterito Triumphante prælio HENRICO III. Rege. Ordi-„nationis nostræ primo.

His, aliisque insignibus miraculis permoti, præter Vulgus, ipsi quoque Reges, ac Imperatores, Locum eundem variis donis locupletarunt: multa enim sunt, quæ LUDOVICUS Franciæ Orientalis Rex Anno DCCCLXIX. illuc contulit; nec minor Successorum ejus ARNOLFI, LUDOVICI, & CONRADI, in hoc pietas fuit, ac munificentia; siquidem utramque affatim testantur eorundem diplomata. Sic potenti, si non semper liberali, manu, eidem *Regali Ecclesiæ* per omnia subvenêre ex subsequentibus Imperatoribus, seu Regibus, reliqui, notanter WENCESLAUS & SIGISMUNDUS; prior Annis MCCCXCI. & MCCCXCVIII. alter Anno MCCCCXV. tum & MAXIMILIANUS hujus nominis primus, qui Martyris Cyriaci corpus & ossa Anno MCCCCXCV. coram veneratus, sacri loci incolas, Regia sua Tuitione dignos censuit, eosque haud diu post novis honoribus ac privilegiis extulit; factum probante, nec non per speciale præceptum roborante ipso etiam CAROLO V. Cæsare Anno MDXXI.

Prob. 9.
Prob. 13. 16. & 52.
Prob. 278.
Prob. 279.

Talis, immo major fere in cunctis exstitit Episcoporum Wormatiensium erga eandem hanc Neuhausensem Ecclesiam caritatis affectus, eam enim, ceu Filiam primogenitam, paternè complectentes, quemadmodum reliquis anteferre non dubitarunt, sic benignius tractare, ac fovere destiterunt nunquam, cujus rei testem vel ex pluribus adducimus cartam sequentem:

Prob. 10. 104.

„ Ego Peccator ADELBERTUS, Dei gratia, Episcopus Wormatiensis, „Anno Ordinationis meæ XXXVII. manu mea propria firmissime reddidi Col-„legio S. CYRIACI Nuhusæ Christo famulanti, villam Larlewersheim cum „omni utilitate, agris, vineis, pascuis, quæ Prædecessorum meorum negligen-„tia & quorundam detestabili, plurimis annis ablata est violentia ——

„ Hæc Traditio facta est a me, suggerente mihi, & supplicante ADEL-„BERTO Cancellario Regio supradicti Nuhusensis loci Præposito Anno Incar-„nationis Domini MCVI. Anno I. gloriosissimi Regis HENRICI V.

Verum hæc tot, tantorumque Præsulum indesinens sollicitudo non obstitit quominus insigne illud Canonicorum collegium multimodis fatis ac adversitatibus fuerit obnoxium, præsertim ex parte Civium Wormatiensium, qui ob duplicem cladem eidem jam olim impune illatam, insolentiores facti, locum integrum Anno MCCCLXXXVI. ferro & flamma deleverunt; dein gravi sumptu instauratum in novos cineres & favillas conjecit Anno MCCCCLX. Comes de GLICHEN, qui durante exitiali illo Moguntino dissidio, partes DIETHERI YSENBURGICI, adversus NASSOVIUM sectabatur; denique Palatinus Elector FRIDERICUS Anno MDLXV. die IX. Maji Fundum ipsum simul cum Ecclesia, ac attinentiis universis, absorpsit, & ab avito Wormatiensium Episcoporum Dominio violenter avulsum, in suam redegit potestatem. Pulsi sedibus suis Canonici, dum simul in vincula trahuntur, Sanctissimi Patroni sui Cyriaci corpus, ex prædatorum manibus feliciter recuperatum, Stephano Holzapffel, Episcopi Wormatiensis, in Spiritualibus tunc Vicario Generali custodiendum commisêre, sequenti hac ad eum perscripta cedula:

„ Præ-

„ Prætiosissimum Ecclesiæ nostræ Thesaurum ad Te mittimus, quem „Tibi unicè commendamus. Tuæ porro dignitatis erit & fidei, venerabiles „illas S. Cyriaci Martyris Christi reliquias, per tot sæcula hic custoditas, „& a nostrorum nemine annis jam XLV. inspectas, religiose & intemeratè „conservare.

Graves interea Querelæ super perpetrato spolio deferebantur ad Cæsarem, quæ cum Anno MDLXVI. Augustæ in Comitiis discussæ fuissent, unanimi procerum voto decreta est restitutio. Ast eam continuè elusit Palatinus, resque post sæcula propè duo præterlapsa, eo tandem devenit, ut Neuhusam recuperare licuerit, dummodo æquivalens cederet Palatino. Nam frustra fuit, quod jam antea, durante scilicet tricennali bello, Georgius-Fridericus se se in loci illius possessionem reintromiserat, eundemque mensæ suæ Episcopali ab Urbano VIII. pontifice, Anno MDCXVI. obtinuerat incorporari. Transactione itaque Anno MDCCVIII. juxta conditiones præscriptas, inita, rediit tandem Nuhusa in pristinum Dominum, ostentatque hodie insigne pietatis opus, Orphanotrophium videlicet, quod Reverendiss. ac Sereniss. Principem Franciscum Ludovicum Electorem Moguntinum, itemque Worm. quondam Episcopum, fundatorem agnoscit munificentissimum.

SERIES PRÆPOSITORUM.

Adolandus.

Hunc varia MSS. Chronica memorant vixisse circa Annum 805. insignemque Evangeliorum Codicem manu exarasse propriâ.

Wolframus.

Subscriptus reperitur ad Annum 1044. in charta donationis piæ cujusdam matronæ Fulmudis nomine.

Sigeboto.

Testis occurrit in litteris Adalberti Episcopi pro Eccles. Colleg. S. Andreæ Anno 1068.

Albertus.

Præposituram gessit Anno 1106. dein ad Moguntinam Cathedram promotus.

Grammolinus, aliàs Gramlib.

Memoratur Anno 1127. in litteris Clientelaribus Conradi Comitis de Louffen tum & in charta quadam Buggonis Episcopi ad Annum 1137.

Gumpertus.

Testis adhibitus in Notitia Buggonis Episcopi pro fundatione Coënobii Schonaugiensis Anno 1142.

Con-

CONRADUS I.

Intervenit cuidam contractui quem Schonaugiensis Abbas Anno 1152. cum Heilmanno milite iniit.

LUPOLDUS.

Ejus mentionem facit diploma Friderici I. Imp. Anno 1173. editum Wormatiæ. Videturque idem cum eo qui postmodum Wormatiensem Cathedram conscendit.

VOLPERTUS.

Donationem prædii Oppawe Schonaugiensi Monasterio factam Anno 1196. per Henricum Pal. Comitem, suo quoque testimonio roborat.

CONRADUS II.

Volpertum in munere excepit, siquidem jam occurrit ad Annum 1198. in contractu emptitio quem Schonaugienses fecerant de prædio in Locheim.

HENRICUS ex Comitibus SARAPONTI.

Ecclesiæ suæ Neuhusensis benefactor, insignis ut constat ex litteris Lu-
Prob. 104. poldi Episcopi ad Annum 1212. Electus postmodum in Episcopum Wormatiensem.

STEPHANUS I.

Henrico in præpositura Neuhausensi datus Successor, memoratur in diversis chartis ab Anno 1224. usque in Annum 1242.

CONRADUS III. a THAUN.

Stephano surrogatus, haud diu post Spirensem Cathedram conscendit.

EBERHARDUS I. ex Comitibus HIRSUTIS.

Hic pari cum prædecessore suo fortuna electus fuit in Wormatiensem Episcopum, cui dignitati etiam immortuus est.

STEPHANUS II.

Ex Comitibus Saraponti.

Vacantem, ex promotione Eberhardi, præposituram obtinuit; morte sublatus Anno 1263.

GERHARDUS.

Stephani Successor, occurrit in litteris Eberhardi Episcopi, quibus Anno 1266. Ecclesiam parochialem in Edingen donat Capitulo suo majori Wormatiensi.

EBER-

EBERHARDUS II. de STRALENBERG.

Hujus mentionem faciunt litteræ Schonaugienſium ſuper acquiſitione prædii Hermanni de Lautemburg, facta Anno 1284. in Cathedram Wormatienſem ſublimatus Anno 1296.

BERLEWINUS.

In Eberhardi locum, ac dignitatem a Neuhauſenſibus electus, obiit circa Annum 1303.

JOANNES I. de RANDECK.

Berlewinum excepiſſe videtur, ac ætatem cum dignitate etiam uſque ad Annum 1343. produxiſſe.

HERMANNUS de SCHÖNECK.

Canonicus Mogunt. ac ſimul Wormatienſis Joanni ſucceſſit, adhuc ſuperſtes Anno 1345.

WOLFRAMUS de LEWENSTEIN.

Reperitur ſubſcriptus in contractibus Annis 1360., & 1382. initis.

JOANNES II. de FLECKENSTEIN.

Occurrit ad Annum 1397. in litteris Emphiteuticis.

GERARDUS BRANT.

Daventria oriundus; obiit Anno 1437. die 21. Maji.

JOANNES III. de WYNHEIM.

Vixit Anno 1449. videturque Gerardo fuiſſe ſurrogatus.

BERTHOLDUS de LORICH.

Præpoſiti munus geſſit Annis 1492. & 1497.

ITELIUS DRUTWIN.

Juris utriusque Doctor, Anno 1524. ſuperſtes.

MICHAEL GILLIS.

A Carolo V. Cæſare diverſa obtinet privilegia Anno 1537.

JACOBUS BONSTIEL.

Hujus mentionem faciunt litteræ Anni 1564. nec poſt eum alius nobis occurrit in ea dignitate Succeſſor.



SERIES DECANORUM.

Bernhelmus.

Teſtis adhibitus in litteris Buggonis Epiſcopi Annis 1137. & 1140.

Wortwicus.

Memoratur in diplomate Friderici I. Imp. Anno 1173. Wormatiæ edito.

Wolcnandus.

Conradi Archipræſulis Mog. ordinationi in favorem Eccleſ. S. Pauli Wormatiæ factæ Anno 1194. ſubſcribit.

Wicramus.

Wolcnandum excepit, ut conjicimus ex litteris Lupoldi Epiſcopi de Anno 1196. ut & 1198. quibus teſtis intervenit.

Joannes I.

Occurrit ad Annum 1227. quo Henrici Epiſcopi piam quandam diſpoſitionem ſuo calculo probat.

Cono.

Intervenit amicabili compoſitioni Anno 1239. cum Schonaugienſibus initæ.

Billungus de Karlbach.

Ejus mentio fit in litteris Anni 1367. adhuc ſuperſtes Anno 1384. quo Cleri ſecundarii cum Primario unionem ſuo quoque ſuffragio firmat.

Heilmannus.

Per Inſtrumentum authenticum Ann. 1391. publice declarat: Rivum, dictum *die Pfrimm*, ejusque decurſum, a fonte ſuo prope Pæfflikheim, usque ad pontem lapideum qui Moguntiam itinerantibus occurrit, ad Eccleſiam Neuhauſenſem ſpectare; ejusque latitudinem ab una ripa ad aliam, pedum eſſe XIIII.

Joannes II. de Wachenheim.

Vixiſſe reperitur Anno 1410. Adhuc ſuperſtes Anno 1414.

Joannes III. de Wynheim.

Decani munere functus eſt Anno 1451. quo tempore ejusdem nominis alius, loci erat Præpoſitus.

Petrus Schirmer.

Videtur Joanni datus Succeſſor ſub Annum 1463.

II. Ec-

II.

Ecclesia Collegiata S. Petri, Wimpinæ.

CROTOLDO, quem inter primos Ecclesiæ Wormatiensis Episcopos referunt, loci Wimpinæ inferioris, ad Nicrum positi, instauratio passim tribuitur, postquam is Anno CCCCLI. ex Hunnorum irruptione devastatus fuisset, quemadmodum id alibi fuse recitavimus, Nec hic stetit Præsulis optimi ac piissimi cura, sed ut erat animo cœlestibus desideriis inflammato, Ecclesiam, in honorem Divi PETRI Apostolorum principis, a se ibidem recenter constructam, amplo XII. Canonicorum collegio decoravit, addito Præposito, cui, quà Archidiacono, parerent Parochi universi ab Heidelberga sursùm usque ad ultimos diœcesis suæ fines, quin & in perpetuæ subjectionis hujus signum, eos semel quotannis illic comparere voluit, prout id vetus testatur notitia, quam hic subjicimus: Vind. litter. collect. II. pag. 57. & seqq.

„ Hæc sunt nomina villarum, quæ tenentur singulis Annis feria II. in „Festo Pentecostes ad Ecclesiam Wimpinensem Cereos deportare, & duo „Sacrificia ad quodlibet Altare ponere. Est autem Sacrificium tale: Caseus, „panis in valore unius Hall. & II. Hallenses.

HELMSTAT, utraque villa.
BIBERACH.
MASSEBACH.
BONVELT.
SUEIGERN.
SLICHTERN.
GROSSEN-GARTACH.
NEKKER-GARTACH.
BECKINGEN.

Auxerunt deinde Ecclesiæ hujus census & vectigalia, Divinumque in ea cultum haud parum promoverunt ex feris Crotoldi, in Wormatiensi sede, Successoribus nonnulli, præsertim ARNOLDUS, & ADALBERTUS, quorum prior villas duas, Bleginger videlicet, & Sletbach simul cum earum attinentiis, alter *plenarium auro dolatum* nec non *magnam partem Sylvæ*, reperiuntur donasse. At, postquam injuria temporum pristinus loci honor defluxisset, non minorem in eo reparando laudem promeruêre cum WERNHERO de HORNECK Præposito, RICHARDUS de DITENSHEIM Decanus, & qui hunc aliquando in dignitate excepit BURCHARDUS de HALLIS; eorum siquidem cura, ac vigilantia, factum est, ut non modo universa Templi fabrica novum splendorem acceperit, sed & Canonicorum in eo numerus usque ad XVIII. excreverit. Vid. Necrolog. Wimpin. in Vind. litt. collect. II.

Certe quantis deinceps honoribus ac privilegiis, eandem hanc Wimpinensem Ecclesiam ipsi quoque Reges ac Imperatores affecerint, testantur varia eorum diplomata, quorum antiquiora duo, unum a RUDOLFO Anno MCCLXXXI. alterum ab ADOLFO Anno MCCXCV. emanata, integre in Codicem Probationum retulimus, reliqua vero, juxta eorundem mentem, pro temporum diversitate ac rerum indigentia, concessa, hic ordine recensuisse sufficiat. Primum est HENRICI VII. Regis datum Coloniæ Anno MCCCX. die IV. Kalend. Januarii. Alterum FRIDERICI dat. Wimpinæ Anno MCCCXX. die XIV. Kalend. Decembris. Tertium LUDOVICI IV. Imp. dat. Francofurti Anno MCCCXXXI. in vig. Nativit. Domini. Quartum debetur CAROLO IV. Imp. dat. Anno MCCCLVIII. per quod inter cætera, etiam amicabilem compositionem, quam Canonici cum Civibus jam aliàs, Anno videlicet MCCC. inierant, confirmat. Quintum indulsit WENCESLAUS Rex Norimbergæ Anno MCCCLXXVIII. Sextum SIGISMUNDUS Basileæ Anno MCCCCXXXIV. die X. Martii. Septimum a CAROLO V. Imp. emanavit dat. Spiræ Anno MDXLIIII. die XXVII. Maji. Octavum concessit MAXIMILIANUS Augustæ Vind. Anno MDLXVI. Nonum RUDOLFUS II. Viennæ Anno MDLXXVIII. die IX. Maji. Decimum ac postremum MATHIAS Imp. Ratisbonæ Anno MDCXIII. die XVI. Octobris.

Prob. 165. & 181.

Verum omnibus illis patrociniis non obstantibus, multas Equestris hæc Ecclesia adversitates sustinuit, quæ & numerum præbendarum sensim imminuerunt, & Præpositurae redditus in totum dissiparunt. Hinc a multo tempore suppressa manet hæc dignitas.

SERIES PRÆPOSITORUM.

RUODPERTUS.

Inter Testes occurrit qui editam Anno 1068. Adalberti Episcopi pro Ecclesia S. Andreæ ordinationem suo suffragio firmarunt. Hunc videntur excepisse, incertùm tamen quo Anno ac ordine, Bubo Wolcknandus, & Rudigerus, qui velut totidem Benefactores Necrologio inscripti reperiuntur.

SIGIFRIDUS I.

Hujus mentionem facit charta Buggonis Episcopi Worm. per quam Anno 1141. Parochiam in Hocheim Capitulo S. Andreæ Worm. incorporat. Adhuc superstes Anno 1158.

LUPOLDUS.

Hunc posteritati commendarunt grati Wimpinenses, editâ sequenti Notitiâ.

„ Nos WIMPINENSIS ECCLESIÆ CANONICI, significamus cunctis „tam præsentis, quam futuri ævi fidelibus; qualiter Dominus LIUPOLDUS, „Præpositus noster, mediante avunculo suo venerabili Wormatiensis Eccle„siæ Episcopo CUNRADO, pro remedio animæ suæ, suorumque, nobis, „ad instar Sanctæ Matris nostræ Wormatiensis Ecclesiæ, perpetuo jure con„cessit, ut Præbenda nostra, post obitum unius cujusque nostrûm, per

„ Annum

„Annum cedat in usum quemcumque Frater moriens constituerit.
„ Acta est autem hæc solemnis Traditio Anno Incar. Dom. MCLXXV.
„ Indict. IX.

SIGEFRIDUS II.

Memoratur Anno 1191. in charta Sigehardi Abbatis Lauresheimensis pro Schönaugia.

DIETHERUS.

Testis adhibetur in diplomate Henrici Abbatis Laurisheimensis pro Schonaugia Anno 1224. tum & in aliis ejusdem litteris Anno 1229. inscriptus Necrologio ad diem VI. Kal. Septemb. tanquam benefactor, siquidem contulerat Ecclesiæ suæ inter alia, vineam unam in Oltenheim, & Domum seu curtim in Hirlespach.

WERNHERUS I. de HORNECK.

Hic quoque Annis 1254. & 1260. multas utilitates & commoda Ecclesiæ suæ reperitur procurasse; quæ inter Jus patronatus in Helmstat & Aglasterhausen recensetur. Fuerat simul Decanus Ecclesiæ Spirensis, ut ex litteris Anni 1258. constat.

PETRUS I. de MUR.

Quædam in favorem Ecclesiæ suæ rite disponit Anno 1263.

WERNHERUS II. de HORNECK.

Simul Præpositus Spirensis. Vir eximiæ pietatis, ac munificentiæ, qui in hac sua Wimpinensi Ecclesia Præbendas IV. de propriis bonis fundavit Anno 1274. inscriptus Necrologio ad diem V. Kal. Octobris.

WERNHERUS de ALEFELT.

In Horneckii locum ac dignitatem surrogatus circa Annum 1275. Obiit Anno 1278. die 20. Decemb.

DIETHERUS de HELMSTAT.

Ex Decano in Præpositum electus, condit ac simul dotat Oratorium S. Catharinæ aliaque Ecclesiæ suæ beneficia præstat. Ereptus è vivis Anno 1299.

HENRICUS de DUNA.

Dietheri Successor; postmodum ad Infulas Worm. promotus fuit Anno 1318.

ENGELHARDUS de WINSPERG.

Henrico surrogatus, vitam usque in Annum 1329. produxisse videtur.

PETRUS II. de MUR.

Transigit Anno 1329. cum Rabanone de Helmstat super jure Patronatus in Bischofsheim. Fundator Oratorii ad introitum Templi, ubi & sepulturam nactus est Anno 1368.

ALBERTUS de URBACH.

Occurrit ejus mentio in litteris Anni 1384. quibus Wipertus de Helmstat fundat Oratorium B. Virg. in Bischofsheim. Obiit autem Albertus Anno 1404.

BERNOLDUS de THANN.

Hic reperitur obiisse Anno 1432.

JOANNES de DURMENTZ.

Hujus quoque obitus refertur in Annum 1461. diem vero XIII. Kalend. Martii.

THEODORICUS RAMMUNG.

Memoratur in diversis contractibus ab Anno 1470. usque in Annum 1488. qui ipsi supremus fuit.

GOZO de ADELSHEIM.

J. U. Doctor; ac simul Præpositus in Odenheim. Diem clausit extremum Anno 1505.

REINHARDUS a RIPPUR.

Simul major Decanus Ecclesiæ Worm. obiit Anno 1541.

BITTERUS de RASSFELT.

Serus Reinhardi Successor, multis siquidem Præpositis intermediis, occurrit in Anno 1604. quo & mortuus est.



SERIES DECANORUM.

Ex antiquioribus Ecclesiæ hujus Decanis fuisse colligimus, quorum nuda nomina Necrologio inscripta reperiuntur in modum qui sequitur.

XVII. Kalend. Febr. HERTWICUS.
V. Kalend. Martii. RUDOLFUS. „ Qui in Offinheim XV. jugera dedit & Curiam suam in Wimpina.
XV. Kal. Aprilis. DRUTELINUS.
III. Idus April. EBERHARDUS.
Non. Junii. WEZELO. Hic de bonis suis II præbendas instituit.
X. Kalend. Septemb. CRAFTO.
Non. Octobris. MEIGOTUS.
XIII. Kal. Decemb. GEBENO; qui contulit Ecclesiæ II. marcas.

Hos sequntur, quos chartæ indicant.

HEN-

HENRICUS.

Locat Anno 1262. in Emphiteusim Curiam in Gartach.

RICHARDUS de DITENSHEIM.

Patre Diethone, Matre Agnete, nobilibus parentibus ortus, Ecclesiæ Wimpinensis alter Fundator dici promeruit. Obiit Anno 1278. inscriptus Necrologio ad diem V. Kalend. Maji.

CONRADUS de HEILBRONN.

Vir largus, prudens, & strenuus audiit. Ejus obitus refertur in Annum 1296. diem autem XVI. Kalend. Martii.

BURCHARDUS de HALLIS.

Conradi Successor, fundat inter alia Oratorium S. Kyliani. Obiit plenus meritorum Anno 1300. die II. Non. Augusti.

GEROLDUS de HAWENSTEIN.

Burchardum in dignitate excepit; haud tamen in eadem diu superstes.

HENRICUS de GRUNBUCH.

Ad Decanatum promotus, obiit Anno 1315. die II. Non. Feb.

REMBODO de NYPERG.

Vir majorum origine clarus; Officium suum, quo aliquamdiu laudabiliter functus fuerat, in Petrum de Mur transtulit Anno 1329.

PETRUS de MUR.

Vix dignitatem adiit, cum obeunte Præposito, ad hanc promotus est Anno quo supra 1329.

GERLACUS de BETTINGEN.

Vacantem Decanatum obtinuir; fitque adhuc ejus mentio ad Annum 1335.

RABENO.

Intervenit cuidam contractui Anno 1348. cum maj. Capitulo Wormatiensi inito.

THEODORICUS de HEINSHEIM.

Memoratur in litteris Anni 1362. inscriptus Necrologio ad diem 25. Januarii quo obiens, ædes suas ac summam 80. Libb. Hall. Ecclesiæ suæ ex testamento reliquit.

JOAN-

JOANNES HORWE.

Cuidam contractui Anno 1384. inito adstitisse reperitur.

FRIDERICUS de NIPPENBURG.

Vixit Anno 1404.

CONRADUS de WITSTAT.

Hujus obitus refertur in Annum 1421.

PETRUS TINCTORIS.

Occurrit in litteris Anni 1431.

THEODORICUS de GYSSEN.

Transigit Anno 1462. super lite quadam inter Capitulum suum ex una, & Wiricum de Nyperg ex alterâ, partibus, orta.

WILHELMUS de STERNFELS.

In Theodorici locum suffectus Anno 1463. diem clausit supremum Anno 1475.

JODOCUS BOCK.

Memoratur in litteris Anni 1480. Obiit & ipse Anno 1508. mense Novembri.

JOANNES HEYLMAN.

Ad Decanatus munia rite obeunda impiger, iisdem immortuus est Anno 1537.

JOANNES a BERNHAUSEN.

Hunc indicant litteræ Emphiteuticæ Anni 1583.

GEORGIUS PFINTZ de EBERSTAT.

Joannis proximus Successor; Obiit Anno 1591.

RUDOLFUS de BEVERSFORT.

Eodem anno, videlicet 1591. quo in Decanum electus fuerat, vitam posuit.

WILHELMUS ab EFFERN.

Meliore fato Decanatum auspicatus est, siquidem Anno 1604. ad Wormatienses Infulas promotus est.

BITTERUS ab HÖVEL.

E vivis excessisse reperitur ad Annum 1644.

GEORGIUS GEYER.

Bitterum excepisse videtur. Siquidem & ipse obiit Anno 1655. die 25. Maij.

HENRICUS-CHRISTOPHORUS a WOLFRAMSDORFF.

Simul Præpositus, ac Princeps Elwacensis, desiit esse in vivis Anno 1689. 17. Junii.

ADOLFUS FRIDERICUS ab ELZ.

In demortui Henrici locum successit; obiit major Decanus Worm. Anno 1715.

JODOCUS L.B. de KETTLER.

Etiamnum superstes. III. *Eccle.*

III.

Ecclesia Collegiata S. Pauli, Wormatiæ.

INter præclara opera, quibus BURCHARDUS Episcopus nomen, simul & Regimen suum immortalitati commendavit, locum certe haud postremum obtinet Sancti PAULI Ecclesia, quam, diruto veterum Ducum Wormatiensium Palatio, hujus fundamentis superstruxit, eamque, additis ad cultum divinum XX. Canonicis, in Collegialem erexit, prout litteræ Anno MXVI. desuper confectæ amplius fidem faciunt. Verum, quod morte præ- Prob. 48. ventus, parochiam, sub invocatione S. RUPERTI, eidem collegiatæ adne- & 49. xam, certis limitibus necdum circumscripserat, hoc tandem serus ejus in sede Wormatiensi Successor ADALBERTUS sub Annum Christi MLXXXIV. Prob. 66. sedulo executus est, multisque insuper commodis, ac beneficiis, novellos loci Canonicos affecit.

Simili erga ipsos liberalitate jam antea usus fuerat ARNOLFUS Episco- Prob. 69. pus, ut anniversariam HENRICI III. Imp. ejusque Conjugis KUNIGUNDÆ memoriam ritu solemni peragerent, & quidem ipso die S. Margaretæ Virg. sacro, quo Princeps ille inter mortales esse desierat. Verum cum pia hæc institutio ob quorundam ejusdem Ecclesiæ Præpositorum avaritiam sensim in desuetudinem abiisset, eam Anno MCX. plene iterum instauravit, qui illo tunc munere fruebatur Hartwicus, quo facto, sui quoque perennem memoriam promeruit.

Opulentior deinde visa est BURCHARDI hujus nominis II. Traditio, facta ad Annum MCXXXIX. nec non alterius cujusdam donationis ratihabitio, quod S. Pauli redditus non parvum inde cepissent incrementum. Ex- Prob. 76. stat de cætero ejusdem Præsulis charta, per quam anno proximo sequenti, prædecessorum suorum constitutiones circa Parochiam S. Ruperti olim latas, Prob. 77. iteratò confirmat. Unde postquam Anno MCXCIIII. Lis super Jure patro- Prob. 94. natus inter Marquardum Præpositum, & Henricum Custodem fuisset suborta, eam CONRADUS Archipræsul Moguntinus in quem ambæ partes compromiserant, facile diremit, videturque ulterius ipsum, in cujus favorem pronuntiaverat, induxisse Custodem, ut jus illud suum, simul cum emolumentis in usus Capituli perpetuos ultro transtulerit; Factum siquidem, pro auctoritate sua, probarunt postmodum hinc LUPOLDUS, inde LANDOLFUS, Prob. 113. Wormatienses Episcopi.

Aliam controversiæ materiam attulit Annus MCCLXI. Canonicis S. Pauli aliunde jam sat fatalis, quod eorum Ecclesia simul cum parochiali S. Ruperti, *ex antiqua exustione*, usque adeo tunc collapsæ essent, ut eas a fundamentis oportuerit instaurare. Agebatur autem de Rivo, qui mediam perfluit Civitatem, hunc cum ex mente Fundatoris sibi integre vindicarent Canonici, nec Cives id pro debito vellent attendere; placuit tandem difficultates inde enatas prudentum aliquot virorum arbitrio committere, quod Prob. 149. ubi factum est, EBERHARDUS Episcopus judicium eorum aperuit.

Denique; cum & circa præpositturæ dignitatem ac emolumenta, aliquando fuisset disceptatum; delecti Anno MCCLXXX. ab utraque parte arbitri hanc protulêre sententiam, videlicet: quod S. Pauli Præpositus, ex

gremio Cathedralis Ecclesiæ imposterum desumendus, si Diaconus sit: proxime post Decanum, si vero Subdiaconus: super omnes Subdiaconos, locum & sessionem tam in Capitulo, quam & in Choro obtineat: redditus autem, seu proventus annuos, ad certam quantitatem perciperet; Verum postquam sub sæculi XVI. initium, illi redditus mensæ Episcopali fuissent incorporati, simul dignitas ipsa suppressa est.

SERIES PRÆPOSITORUM.

Mazelinus.

Primus loci hujus Præpositus, ac post Fundatorem benefactor, ut ex sequenti charta conjicimus.

„ Notum sit omnibus Fidelibus; qualiter Ego Mazelinus, ad Sanctum Paulum indignus Præpositus, ex permisso Senioris mei Burkhardi Episcopi Wormatiensis, prædium meum, quod propria pecunia, atque labore quæsiveram, ad beatitudinem animæ mei Senioris, atque meæ, fideli testamento disposui; prædium quod habeo in villa & in marka Osthovin, cum omni utilitate, & ad Angelachen, & Banemadin, duos mansos, & quartam partem decimationis Basilicæ ad Angelachin, S. Paulo, & Fratribus ibidem Deo servientibus, tradidi, ea traditione ut in singulis XII. mensium Kalendis, portenarius Fratrum de prædio ad Osthovin det Fratribus prædictis II. situlas vini & I. maltrarium tritici & I. victimam porcinam, quæ sit prætio XV. denariorum, & in diebus jenunii, piscium ad XV. denarios, & Fratres eisdem XII. diebus, meo Seniori Burchkardo Episcopo, atque mihi, Vesperam Vigiliam & Missam communiter cantent, missarum vero orationibus finitis, omnes simul ad prandium eant, & VI. pauperibus laventur manus, & pedes, & cuique illorum pauperum detur I. panis, & I. staupus cerevisiæ, & I. denarius —— Præterea I. mansum, quem habeo in villa Ormesheim, ad Altare S. Pauli tradidi, ita ut sit in providentia Custodis ejusdem Ecclesiæ, & in præcipuis festivitatibus ante Altare S. Pauli septem bona cerea lumina ponenda, provideat.

Joannes.

Testis occurrit adhibitus in charta Adalberti Episcopi sui pro Ecclesia Colleg. S. Andreæ ad Annum 1068.

Hartwicus.

Hic bona quædam, a Prædecessoribus suis male usurpata, Canonicis suis Anno 1110. ex integro restituit.

Gebehardus.

Interfuit solemni actui, per quem Conradus Comes de Louffen Anno 1127. de feudis paternis ab Episcopo Worm. investitus fuit. Obiit circa Annum 1138.

Nibe-

NIBELUNGUS.

Gebehardo in dignitate ſubſtitutus, adhuc Anno 1145. ſuperſtes reperitur.

EMICHO I.

Proximus Nibelungi Succeſſor, nonnulla Friderici I. Imp. diplomata Annis 1156. & 1173. ſuo quoque teſtimonio roborat.

MARQUARDUS.

Emichonem in munere videtur excepiſſe, quandoquidem ejus jam mentio occurrit in diplomate Friderici I. Cæſaris in gratiam Spirenſis Civitatis Anno 1182. confecto. Is idem eſt, qui Anno 1194. Jus patronatus Eccleſiæ S. Ruperti ſibi deberi, fruſtra contendit.

SIFFRIDUS.

Memoratur Anno 1196. in diplomate Henrici VI. Imp. pro Eccleſia S. Martini. Occurrit inſuper in diverſis contractibus Annis 1198. & 1200. cum Schonaugienſi cœnobio initis.

GERNODUS.

In Siffridi locum ac dignitatem ſuffectus quædam ordinat Anno 1203. tum & donationem Eccleſiæ Eppelsheim ab Epiſcopo Worm. factam Anno 1204. ſuo quoque calculo probat.

GERBODO.

Hujus mentionem faciunt litteræ Sigifridi Archiep. Mog. pro Eccleſia S. Martini Anno 1210. editæ. Nec non & Henrici Worm. Epiſcopi aliæ pro Eccleſia S. Andreæ Anno 1227.

GERARDUS I.

Ex Comitibus Hirſutis.

Intervenit amicabili compoſitioni, quam Anno 1251. Canonici S. Pauli cum Nobilibus Camerariis de Wormatia inierunt. Adhuc ſuperſtes Anno 1254. quo videtur obiiſſe.

EBERHARDUS.

Gerardi Succeſſor, memoratur in litteris Anni 1255. pro Eccleſia S. Pauli.

GERLACUS.

Eberhardum excepit circa Ann. 1257. quo teſtis occurrit in litt. Wernheri de Bollandia pro Eccleſia S. Pauli.

GERARDUS II.

Ex Comitibus Hirſutis.

Hic, de conſenſu germani fratris ſui, Eberhardi Worm. Epiſcopi, Eccleſias in Eberſcheim, Angelachen & Otterſcheim, Capitulo Eccleſ. S. Pauli unit, ac incorporat Anno 1270. Electus poſtmodum in Epiſcopum Worm. ſed non confirmatus, obit Anno 1293.

EMICHO II.
Ex Comitibus de *Beynburg.*

Gerardum consanguineum in dignitate excepit, factus & ipse Wormatiensis Episcopus; at forte meliore.

HENRICUS de DUNA.

Vacantem, ex Emichonis ulteriore promotione, dignitatem adeptus est, quam Annis 1312. & 1316. exercuisse reperitur.

CONRADUS de MUNSHEIM.

Occurrit in litteris Anni 1325. substititque usque in Annum 1329. quo obiit.

CONRADUS de WIMPINA.

Hauddiu in munere superstes; siquidem eodem ipso Anno 1329. quo ad illud promotus fuit, diem clausit supremum; inscriptus Necrologio S. Martini ad diem XI. Kalend. Februarii.

FRIDERICUS.
Ex Comitibus de Leiningen.

Communi voto in Præpositum S. Pauli expetitus est Anno 1329.

CONRADUS de BECHELINGEN.

Longiori temporis spatio interjecto, tandem se se sistit ad Annum 1382. adhuc in vivis Anno 1386.

ANGELUS.
Tit. S. Laurentii in Damaso Presbyter Cardinalis.

Præpositura S. Pauli potitus est, ut ex litteris ejus Emphiteuticis Anni 1400. constat.

HENRICUS KATZMAN.

Hic in dignitate sua obiisse reperitur Anno 1429. die 3. Kalend. Januarii.

RUDOLFUS de RUDESHEIM.

Idem, qui ad Episcopatum Vratislaviensem promotus fuit; præposituram S. Pauli tenuit adhuc Anno 1445.

LAURENTIUS de BIBRA.

Memoratur in litteris Anni 1491. quibus circa beneficium Altaris S. Nicolai in parochiali Ecclesia Eichensi, quædam ordinantur.

SYMON RYBEISEN.

Laurentium videtur excepisse; ejus namque mentio fit in chartis Anni 1509.

OTTO

OTTO de LANGEN.

Simonis Succeſſor : diem clauſit extremum Anno 1511. ſepultus in Eccleſ. Metrop. Moguntina, cujus pariter fuerat Canonicus, ut ex ejus Epitaphio, quod juxta oram S. Petri ad vincula etiamnum cernitur, diſcimus.

„ Venerab. & egregius Dominus OTTO de LANGEN, Bevervordienſis.
„ Vir in optimos quosque, potiſſimum peregrinos, divites ſimul & pauperes,
„ conſili, laboris, Hoſpitiique inprimis liberalis, DIVI PAULI apud Wor-
„ matienſes Præpoſitus ; hujus quoque Templi Canonicus, & Archipresby-
„ ter, Anno MDXI. VI. Non. Maij. ſui vero quarto ſupra ſeptuageſimum,
„ diem ſuum obiit. Cujus Corpus infra ſub Saxo tegitur, Spiritus in Terris
„ Hoſpitalitatis ſtudioſiſſimus, apud ſuperos, perpetuo beatoque Hoſpitio,
„ cum Deo Opt. Max. perfruitur.



SERIES DECANORUM.

LUFRIDUS.

Hujus mentionem faciunt litteræ Buggonis Epiſcopi Worm. Annis 1137. & 1140.

GISELBERTUS.

Nonnullis intermediis, occurrit ad Annum 1194. adhuc ſuperſtes An. 1203. quo donationem Eccleſiæ parochialis in Eppelnheim ratam habet.

ALBERTUS.

Giſelbertum proxime videtur excepiſſe, quandoquidem jam in litteris Anni 1213. teſtis occurrit adhibitus.

SIMON I.

Intervenit cuidam ordinationi, quam Anno 1227. Henricus Worm. Epiſcopus in favorem Eccleſiæ S. Andreæ edidit.

HENRICUS.

Hunc indicant litteræ Emphiteuticæ Anni 1252. adhuc ſuperſtes Anno 1273.

JOANNES.

Henrico videtur ſurrogatus ; deguitque inter mortales adhuc Anno 1289.

SIMON II.

Occurrit in quodam contractu Anno 1301. inito.

FRIDERICUS.

Memoratur in litteris Anni 1315.

GERARDUS.

In Friderici locum ſucceſſit, quem Anno 1319. adhuc tenuiſſe comperimus.

RICHERUS BONNONIS.

Hic in variis contractibus ab Anno 1362. usque in Annum 1284. Eccleſiæ ſuæ commoda & utilitates diligenter promoviſſe reperitur.

STEPHANUS.

Ortam Anno 1402. inter Capitulum suum ex unâ, & Capitulum majus ex alterâ, partibus, controversiam, feliciter componit.

JOANNES BUMAN.

In Decani munere constitutus erat Anno 1425. in eoque adhuc superstes Anno 1425.

HENRICUS de WINHEIM.

Vicariam sibi in Ecclesia sua vacantem confert Anno 1438. obiit vero Anno 1449. inscriptus Necrologio S. Martini ad diem III. Kalend. Februarii.

THEODORICUS de OBERSTEIN.

Hic in Decanum electus fuit Anno 1461. eique dignitati immortuus est Anno 1491.

BENEDICTUS DEYPACHER.

Serus Theodorici Successor, cum ejus mentio non nisi ad Annum 1558. occurrat.

THEODORUS MEURERS.

Memoratur in litteris Anni 1610.

BERNARDUS BURGERS.

Theodoro videtur successisse sub Annum 1628.

JOANNES LEONARDUS SCHADT.

Bernardum in dignitate excepit Anno 1631.

THEODORUS ZORN.

Sacræ Theologiæ Doctor, occurrit ad Annum 1639. ejus Successores recensentur in modum qui sequitur.

JEREMIAS METZ Anno 1680.
MICHAEL STASSEN Ann. 1695.
JOAN. LEOPOLDUS de GUDENUS Ann. 1711.
Fuerat simul suffraganeus Worm.
JOANNES BAPT. GECGG. Ann. 1715.
Iisdem quo prædecessor ejus honoribus functus, obiit Anno 1730.

CASPAR ANTONIUS RADEMACHER Joannem Baptistam in munere Decanali excepit Anno 1731. die 6. Decembris.

IIII. *Eccle-*

IIII.

Ecclesia Collegiata S. Andreæ, Wormatiæ.

PRimævam Ecclesiæ hujus Sancti ANDREÆ originem, seu fundationem, ob documentorum penuriam ignorare cogimur. Id scimus eam, quæ extra urbis muros in vicino colle posita est, & cujus antiquitatem vel sola quæ illic visitur BERENHARII Wormatiensium secundi in ordine Episcopi sepultura, satis aliunde commendat, occasionem præbuisse alterius; atque adeo BURCHARDUM Worm. itidem Præsulem incitasse, ut sublato inde, quo ornata erat, XX. Canonicorum Collegio, ac intra muros recepto, illud in Ecclesia sub ejusdem Sanctissimi Apostoli invocatione recenter à se constructa collocarit. Factum illustre lubet referre ad annum Christi MXX. siquidem Burchardi vitæ scriptor coævus certiorem aliam Epocham non exprimit. Anonym. in vita Burchard.

Substitit itaque hic loci deinceps firmiter nova illa Colonia, claustralibus ædificiis, nec non simul proventibus annuis sufficienter instructa, dumque divinis laudibus, pro more recepto, sedulò intendit, rem oëconomicam, quæ naturæ humanæ fulcrum est ac sustentatio, haud parum debilitavit Præpositorum suorum negligentia. Hinc ADALBERTUS Episcopus ingravescenti malo occurrendum ratus, pro ea, qua fungebatur autoritate, universalem omnium reddituum computum iniit, ac tandem unde Canonicorum victus, & vestitus, imposterum sumendi essent prudenter determinavit; Quin & solennem ordinationem a se Anno MLXVIII. desuper editam, sub anathematis poëna perpetuum observari voluit. Prob. 65.

Verum ut de facili nitimur in vetitum, novas jam Anno MCXLI. querelas coram Episcopo suo BUGGONE instituere necesse habuerunt illius temporis S. Andreæ Canonici; quapropter ne lis noxia serperet longius, ac posteros etiam fortassis exerceret, visum est æquissimo Præsuli duas simul condere Tabulas, quarum una curatam bonorum seu possessionum omnium ad jam dictam Ecclesiam spectantium designationem contineret, altera vero, quid ex iis in quotidianos ac multiplices illos præbendariorum usus convertendum esset, liquido demonstraret. Id quod ubi sub illustrium aliquot utriusque ordinis virorum testimonio rite peregisset, anathema, juxta Prædecessorum suorum mentem, in contravenientes, & ipse pronuntiavit. Prob. 78. & 79.

Fuerunt & alia plura subsequentium Episcoporum in eandem S. Andreæ Ecclesiam merita, quorum exemplum imitati etiam Præpositi, variis ejus necessitatibus deinceps benigne subvenerunt, ut infra in serie eorum docebimus. Hinc Divinus in ea cultus promoveri, ærariumque augeri coëpit; sic ut CALIXTUS pontifex max. in quadam Bulla sua, sub data Anni MCCCCLVI. eam *inter alias illarum partium collegiatas Ecclesias, plurimum insignem* appellare, non dubitarit. Eam insuper in suam, ac Imperii protectionem suscepêre CAROLUS V. FERDINANDUS, & MAXIMILIANUS, Cæsares; prior Anno MDXLIIII. die IIII. Martii; alter Anno MDLIX. die XXIIII. Junii; tertius Anno MDLXX. die IIII. Septembris. Prob. 100. & 118.

Cæ-

Cæterum, post Fata aliquot, quæ Ecclesiæ huic cum Civitate fuêre communia, stat hodiedum ex solido Saxo decenter instaurata, visiturque in ea sepulchrale monumentum, quod ANNA Brunswici Ducissa, Landgravii Hassiæ vidua, obiens Anno MDXX. die XVI. Maij, sibi erigi curaverat. Illic quoque juxta aram S. Crucis conditus jacet PETRUS VORSTIUS, Brabantinus, Episcopus Aquensis, PAULI III. Pontificis utriusque Signaturæ Referendarius, quem Roma redeuntem mors stravit Wormatiæ Anno MDXLVIII. die IX. Decemb. hic insuper beatam exspectant Resurrectionem Abbates de Schonaugia, & Otterberg, omnium postremi, quos hæretica pravitas, monasteriis suis ejectos, ad obitum usque exulare coëgerat. Huc denique spectat vetus inscriptio, quæ e dextro latere Turris legitur in hæc verba.

„ Anno Dom. MCCCXXVI. post Joannis Bapt. exhumati sunt hic in Cymitherio LXX. Sarcophagi cum ossibus mortuorum, quæ reposita sunt in hac Crypta, & eorum anniversarius in Vig. Joannis Bapt. peragitur.

SERIES PRÆPOSITORUM.

THEODORICUS.

Hunc Henricus III. Imp. ad Infulas Constantienses promovit An. 1047.

ADALBERTUS.

Sub hoc facta est Anno 1068. ex autoritate Episcopi Worm. nova ordinatio circa rem oëconomicam Ecclesiæ S. Andreæ.

HENRICUS.

Testis occurrit Anno 1137. in litteris Episcopi sui Buggonis; confertque Anno 1141. Capitulo S. Andreæ Jus patronatus, sibi prius competens, in parochiali Ecclesia Hocheim.

CONRADUS.

Diploma Friderici I. Imp. Anno 1156. in gratiam Wormatiensium editum suo quoque suffragio probat. Tum & Anno 1158. intervenit concambio cuidam bonorum, quod Wormatiensis Ecclesia cum Trevirensi iniit.

WERNHERUS.

Conradi Episcopi sui piam circa Schonaugienses dispositionem suo testimonio roborat Anno 1174.

WORTWINUS.

Wernherum in dignitate excepit; adhuc superstes Anno 1178. quo videtur sequens condidisse instrumentum.

„ WORTWINUS Divina favente clementia Imperialis Aulæ Protho„notarius, & beati Andreæ in Wormatia Præpositus &c. Invenientes ædi„ficia claustralium mansionum præscriptæ Ecclesiæ, videlicet beati Andreæ „Ap. dilapsa, ac neglectu deformata, ex eo quod potestas ordinationis Fundi,

„di, quæ ex antiquitatis consuetudine post transitum alicujus Fratris, Præ-„posito pertinere videbatur, vires Testamenti super ædificiis confecti prægra-„vabat, ac sæpius molestabat, in eodem articulo Fratrum quieti & com-„moditati consulendum decrevimus. Innotescat igitur universitati tam præ-„sentium quam futurorum Fratrum, quod Nos respectu salutis æternæ, & ut „memoria nostra in præfata Ecclesia jugiter recolatur, & anniversarius no-„ster cum sollempni officio defunctorum congruis temporibus celebretur, jus „præscriptarum claustralium arearum, quod prædecessoribus nostris, & no-„bis competebat, universis Fratribus resignavimus &c.

Ditherus.

Proximus Wortwini Successor, haud diu dignitate sua potitus est, siquidem Germanus ejus Hermannus Monasteriensis Episcopus conditam ab ipso in Ecclesia S. Andreæ anniversariam memoriam, suo pariter calculo probavit Anno MCLXXXI. per chartam sequentem.

„ Notitiæ tam præsentium, quam posterorum subjicimus, qualiter Ego „Hermannus Dei gratia Monasteriensis Episcopus, licet immeritus, Ka-„ritatis ac divini amoris instinctu ductus, ob memoriam dilecti Fratris nostri „Ditheri, dignæ memoriæ, Imperialis Aulæ Cancellarii, & beati Andreæ „Præpositi, nec non ob memoriam nostri, & nostrorum parentum, dona-„tionem à jam dicto Fratre nostro factam Ecclesiæ S. Andreæ ac fratribus in „eadem Ecclesia Deo servientibus confirmamus, & confirmantes iteramus „tradentes, ut prætaxatum est, Ecclesiæ beati Andreæ XX. Jurnales, & „unum Jurnalem & dimidium campestrium agrorum, pratorum quoque „quantum novem homines in uno die metere valent, sita sunt autem hæc „prata in prato, quod dicitur *Lobvvysen* agri autem in campo Puffelkum & „Warmia.

„ Testes hujus Facti sunt: *Hermannus* S. Mauritii Monasteriensis Præpo-„situs, *Philippus* in Heiligestein Præpositus; Comes *Hermannus* de Arnstete. „Wormatiensis quoque Civitatis, tam Ecclesiasticæ, quam seculares perso-„næ: *Herboldus* Præpositus S. Andreæ; *Rudolfus* ejusdem Ecclesiæ Decanus. „Laici: *Wolfram* Filius *David*; *Sigifrid* Filius *Gernodi*; *Gernoth*, & *Gerhart*, „Filii *Richecen*; *Erkenbreht* Dapifer, & *Richezo* Filius ipsius; *Wernher* Ca-„merarius; Adalbreht Pincerna; *Cunrath* de *Chirsebourne*; *Bertold* de *Dirme-„stein*, aliique quam plures tam Clerici quam Laici, tam nobiles, quam de „plebe Cives Wormatiensis Civitatis. Ministeriales quoque Domini Wor-„matiensis extra Civitatem in rure habitantes.

Herboldus.

Hunc charta præcedens indicat; occurritque insuper in charta Lupoldi Episcopi sui ad annum 1197.

Conradus.

In Herboldi locum surrogatus Anno 1198. Ecclesiæ suæ varia præstitit beneficia, quale fuit illud de quo in sequenti notitia agitur.

„ Cunradus Dei gratia Præpositus S. Andreæ in Wormatia. Neces-„sitatem Ecclesiæ S. Andreæ considerans, cui non meis meritis, sed misera-„tione divina, nomine Præpositi præesse teneor ac prodesse &c. dilectis in „Christo Fratribus meis, ejusdem Ecclesiæ Canonicis in hoc assensum præbui, „ut Ecclesiam in Sulzen, cujus patronatus ad me pertinebat, imposterum ad „supplementum præbendæ suæ conferrent —

„ Actum Anno Dom. MCCVIII.

Idem erexit Custodis officium, ac denique Anno 1218. Lutfrido de Weibstat assensum præbet, ut navalem transitum in flumine Nicro Heidelbergæ, quem ab ipso tenuerat in Feudum, conferret ad opus Monasterii Schonaugiensis: vitam de cætero diutinè protraxit, ac novis subinde honoribus condecoratus est, siquidem in litteris Anni 1234. Spirensis Episcopus, nec non S. Andreæ Worm. Præpositus, audit.

Gerardus.

Prædecessoris sui Conradi vestigia secutus, S. Magni parochiam Capitulo S. Andreæ incorporari curavit per litteras, quarum hoc est initium.

„ Ego Gerhardus S. Andreæ in Wormatia Præpositus —— Decens „ est & oportunum, ut hi qui in divinis officiis jugiter se exercent, pro humanis necessitatibus idoneam sentiant consolationem, hoc utique habens „ præ oculis Ego Minister humilis dictæ Ecclesiæ, ob tenuitatem nostrorum „ confratrum, de officio meo ad consulendum ipsis, aliquid defalcavi ——
„ Dat. Anno Dom. MCCXXXVIII.

Simili modo contulit idem Gerardus Anno 1243. parochiam S. Andreæ in monte sororibus poënitentibus, quæ illic tam de suo, quam & Episcopi Worm. consensu domicilium fixerant.

Adelvoldus.

Occurrit in litteris Burchardi Maj. Ecclesiæ Decani ad Annum 1256. ubi *Scholasticus Spirensis, Canonicus Worm.* ac S. Andreæ Præpositus, simul nuncupatur. Adhuc superstes Anno 1280. qui tamen ipsi ultimus fuit.

Henricus.

Ejus mentionem faciunt diversi contractus Anno 1280. tam cum Lutrensi, quam & Nonnenmunster, Coënobiis initi. Obiit Anno 1297. inscriptus Necrologio S. Martini ad diem IIII. idus Septemb.

Eberhardus de Beyenburg.

Henricum excepit; quodque hic circa Scholastici officium disposuerat, ipse absolvit Anno 1299.

Jacobus de Ebestein.

Memoratur in litteris Emerici Episcopi sui ad Annum 1311.

Joannes I. Eberzonis.

Intervenit cuidam contractui, quem Conradus de Sulzen Anno 1341. iniit.

Hartwicus de Sauwelenheim.

Joannis Successor, quædam ordinat circa bona in Nunkirchen Anno 1352.

Joannes II. ad Aureum Circulum vulgo Guldin-Ring.

Vixit sub annum 1370. quo fundavit Oratorium S. Quirini in peristylio Eccles. S. Andreæ, ubi & Anno 1388. post obitum sepulturam invenit.

Jo-

JOANNES III. dict. GULDIN-RING.

Forte præcedentis frater, aut propinquus, postquam eadem qua ipse dignitate functus fuisset, moriens, juxta ipsum quoque voluit tumulari, sub hac Epigraphe.

„ Anno Domini MCCCCX. die octava Innocentum ob. Dom. JOHANNES „GULDIN-RING, Præpositus hujus Ecclesiæ.

JACOBUS de LAUDENBERG.

Plura disponit Annis 1415. 1419. & 1422. circa bona Ecclesiæ suæ.

JOANNES IV. KRIEG de GEISPITZHEIM.

Jacobo videtur surrogatus, ejus quandoquidem mentio jam recurrit ad annum 1428.

HENRICUS RULB.

Reperitur in diversis contractibus Anno 1435. & 1440.

JOANNES V. KRIEG de GEISPITZHEIM.

Jam Anno 1452. Præpositi munus gessit; obiit Anno 1462.

JOANNES VI. WILCH de ALZEN.

Hujus Epitaphium in Oratorio S. Quirini olim tale erat.

„ Anno MCCCCLXX. Feria IIII. ante Festum Simonis & Judæ ob. „Dom. JOHANNES WILCH de ALZEN. Canon Maj. & Præpositus hujus „Ecclesiæ.

PETRUS ANTONIUS de CLAPIS.

Legum Doctor, tam hujus S. Andreæ, quam & majoris Ecclesiæ Wormatiensis Præpositus exstitit. Diem clausit extremum Anno 1511.

JACOBUS FURST.

Vacantem ex Petri obitu S. Andreæ Præposituram nactus est.

EBERHARDUS de VOLTELEN.

Decretorum Doctor, Præpositi munus gessisse reperitur Annis 1530. & 32.

JODOCUS JEUTENUS.

Hujus mentionem faciunt litteræ Anni 1545.

BENEDICTUS BEIWACHAR.

Vixit Anno 1570.

WILBRANDUS de RASSFELT.

Simul Custos majoris Ecclesiæ Worm. obiit Anno 1583.

ADOLFUS WOLFF METTERNICH.

Occurrit ad Annum 1593. obiit major Decanus Spirensis Anno 1619.

JOANNES WOLFF.

Post obitum Adolfi in Præpositum electus, obiit & ipse Anno 1625.

JACOBUS PFIFFER.

Haud diu in dignitate superstes, siquidem anno ejus primo, morte sublatus est.

MICHAEL MANDERUS.

Eandem cum præcedenti sortem habuit, nec Annum 1626. quo electus fuerat, explevit.

HENRICUS MOTMANN.

Michaeli Successor datus, vitam diutine protraxit.

ÆGIDIUS BERNIUS.

Hic obiisse reperitur Anno 1648.

SIGISMUNDUS à VOETZ.

Præpositi munus gessit usque in Annum 1670. quo illud sub beneplacito Pontificis transtulit in Fratrem suum germanum.

JOANNES-CASPAR à VOETZ.

Præcedentis germanus, cujus etiam beneficio Præposituram nactus est. Anno 1670.

HERMANNUS-ADOLFUS BERTRAM.

In dignitate Præpositi constitutus reperitur jam Anno 1678.

BERNARDUS BERK.

Simul S. Victoris Moguntiæ Præpositus. Obiit Anno 1682. die 10. Octobris. Ejus in dignitate Successores hoc fere ordine recensentur.

ADOLFUS WRENCKEN.
PAULUS CHRISTIANUS de BIELSTEIN.
DAMIANUS HARTARDUS de BIELSTEIN.
ANSELMUS FRANCISCUS de BIELSTEIN.

SE-



SERIES DECANORUM.

Zinzo.

Adalberti Epiſcopi ſui ordinationem pro S. Andreæ Eccleſia factam Anno 1068. ſuo quoque teſtimonio firmat.

Berewigus.

Occurrit in diverſis litteris Buggonis Epiſcopi ad Annum 1137. & 1139.

Rudolfus.

Subſcribit Anno 1194. litteris Conradi Archiep. Moguntini pro Eccleſia S. Pauli. Idem quoque conſenſiſſe reperitur in alienationem prædii Lochem, factam. Anno 1198.

Dragboto.

Anniverſariam ſui memoriam condit Anno 1227. inſcriptus Necrologio S. Martini ad diem II. Non. Februarii.

Hartungus.

Memoratur in litteris Landolfi Epiſcopi ſui pro Eccleſia S. Pauli Anno 1239. tum ſenio confectus, transfert de conſenſu Capituli, munus ſuum in Bertoldum qui ſequitur.

Bertoldus.

Ex libera reſignatione Hartungi in Decanum aſſumptus, illius Teſtamento ſubſcribit Anno 1250.

Eberhardus.

Annis 1257. & 1260. varios init contractus.

Wernherus I.

Bona quædam acquirit in Northeim Anno 1271. adhuc ſuperſtes Anno 1274.

Conradus de Stockheim.

Wernherum in dignitate excepit Anno 1275. ut ex litteris conſtat.

Wernherus II.

Contractum quendam init Anno 1282. ſuper bonis ſitis in Herlesheim.

Nicolaus.

Hunc nobis ſuggeſſerunt litteræ ſequentes.

„ Nicolaus Decanus, totumque Capitulum Eccleſiæ S. Andreæ „ Worm. recognoſcimus —— quod Petrissa, Eccleſiæ noſtræ ſoror, no-

„vem quartalia campestris agri in terminis villæ Lutzilheim possidet —
„& post mortem ejus ad nostram Ecclesiam devolventur — Act. Anno
„MCCLXXXIX.

PHILIPPUS de FLAMBORN.

Consentit Anno 1297. in dotationem Altaris. B. M. Virg. in Sulzen, factam à Davide milite de Sulzen; adhuc superstes Anno 1304.

JOANNES.

Ejus mentionem faciunt litteræ Anni 1321.

JACOBUS WACKERPHIL.

Frequens occurrit in contractibus ab Anno 1333. usque in Annum 1345.

JOANNES de WATTENHEIM.

Jacobi successor, multa in Ecclesiam suam S. Andreæ beneficia ac utilitates contulit durante suo Regimine, quod ab Anno 1349. usque in Annum 1367. protraxisse reperitur.

WERNHERUS de LUTRA.

In Joannis locum ac dignitatem surrogatus Anno 1367. diem supremum obiisse videtur circa Annum 1375.

PETRUS WALPRECHT.

Wernhero substitutus, testamentum suum condit Anno 1380.

JACOBUS EBERZO.

Hujus meminerunt litteræ anni 1382. eratque adhuc superstes Anno 1399.

HERMANNUS.

Anno 1401. arbiter constituitur dissensionis ortæ inter plebanum S. Michaelis, & loci parrochianos.

JACOBUS de LAUDENBERG.

Hermannum Anno 1401. quo supra excepit, ut ex litteris constat anni ejusdem.

HERMANNUS de GEYSMAR.

Occurrit ad Annum 1412. & 1415.

GERARDUS.

Vixit Anno 1426.

EBERHARDUS de SCHRISSHEIM.

Transigit Anno 1428. cum plebano in Hocheim super lite quadam.

Jo-

JOANNES UBELACKER.

Exstant ejus litteræ emphiteuticæ sub data Anni 1439.

MARSILIUS à LAPIDE.

Proximus Joannis Successor circa Annum 1445. deguit inter vivos adhuc Anno 1454.

PETRUS GECKELER.

Hujus mentionem faciunt litteræ cujusdam Philippi Holtmunt pro Ecclesf. Colleg. B. M. Virginis. Anno 1486.

CONRADUS MOIVE de CASSEL.

Reperitur in variis contractibus ab Anno 1497. usque 1499.

NICOLAUS RODE.

Hic quoque plures contractus iniit ab Anno 1508. usque 1524. quibus dignitate sua potitus est.

FRIDERICUS NUSBAUM.

Memoratur in litteris ab Anno 1528. usque in Annum 1532.

ANDREAS REUBER.

Occurrit in Annis 1547. 1549. & 1551.

NICOLAUS WEYDLICH.

Hunc indicant litteræ Anni 1563.

PHILIPPUS SYLVIUS.

Sacræ Theologiæ Doctor, vixit Annis 1598. & 1599.

JOANNES LEMPII.

Juris U. Doctor. Memoratur ad Annum 1615.

GODEFRIDUS DUNEWALT.

Obiit is Anno 1667.

JOANNES WENDELINUS NAGEL.

Vixit Anno 1682.

FRIDERICUS SLEUTTER.

Officio Decani functus est Anno 1688. quem secuti sunt.

N. HAFEN.
JOANNES PETRUS SCHMID.
DAMIANUS HARTARDUS de BIELSTEIN.

V. *Eccle-*

V.

Ecclesia Collegiata S. Martini, Wormatiæ.

Cum sub Annum CCCLV. JULIANUS Apostata, Rebelles Imperio Romano subacturus, universi Exercitus sui delectum haberet Wormatiæ; S. MARTINUS qui in eodem stipendia meruerat, licentiam petiit, se seque non alium deinceps, quam Christi militem professus est; id quod ignaviæ seu vecordiæ ejus tribuens Cæsar, vinculis onustum jussit illico in carcerem retrudi. Locum diligenter notarunt Fideles, magnaque relligione coëperunt colere; donec tandem OTTO, hujus nominis III. Imp. eundem condignis honoribus extulit, ac in Ecclesiam Collegialem conversum, sub Sanctissimi illius Præsulis patrocinio perennari voluit.

Sulp. sever. & Honor. Fortun. in vita S. Mart.

Pium simul & munificum Cæsaris intentum amplius promovere non destiterunt, hinc HILDIBALDUS, Wormatiensium Episcopus, inde GREGORIUS V. Pont. Max. ipsemet, siquidem Anno DCCCCXCI. dum Romæ existeret, eorum precibus inductus, contulit jam dictæ S. Martini Ecclesiæ, quidquid in Bopardia, insigni ad Rhenum Oppido, juris ac proprietatis tunc habebat, ne Telonio quidem excepto, quanquam hoc postremum, successu temporis, aliò detorsum fuerit. Cæterum quæ in eadem illa Ecclesia hodiedum in cistula eburnea relligiose asservatur S. Martini stola, munus videtur ab Ottone itidem profectum; vitta est coloris subcærulei, continens in latitudine digitos III. in longitudine palmas XXXVI. cui hinc inde, certis intervallis, egregio opere intertexta leguntur verba sequentia, litteris Romanis in hunc modum expressa:

Prob. 34.

IN. NOMINE. DNI.
ORA. PRO. ME.

His accessēre postmodum tam ex BURCHARDI II. Worm. Episcopi, quam & ejusdem S. MARTINI Ecclesiæ Præpositorum munifica liberalitate bona quamplurima, quæ inter recensentur Decimæ in diversis locis circa Rhenum, nec non alibi sitis, tum & jus patronatus Ecclesiæ Parochialis S. Lamperti Wormatiæ, quam, cum omni utilitate sua, Decanatui adnexum voluēre; divites enim ac longe amplissimi erant proventus, quibus Præpositi illi olim gaudebant; hinc & de eorum conservatione præ reliquis solicitus CELESTINUS III. Pont. per bullam datam Anno MCXCIII. expressis verbis inhibuit: ne dignitas illa Episcopo Wormatiensi unquam deferretur: at vero cum sub Annum MDXXII. in manus RICHARDI a GREIFFENCLAW Trevirensis Archiepiscopi devenit, qui & eam mensæ suæ perpetuùm incorporari obtinuit, an S. Martini Ecclesiæ rectius inde cautum, ac consultum fuerit, in medio relinquimus. Cæterum, quanta cura in universam insignis loci fundationem, utpote *Cæsaream*, intenderint, præter INNOCENTIOS VI. & VIII. Summos Pontifices, Ottonis in Imperio Successores ADOLFUS, CAROLUS V. & FERDINANDUS; testantur eorundem diplomata protectoria, quorum unum Oppenheimii die VII. idus Januarii Anno MCCXCIV. alterum Gandavi I. Augusti MDXXI. Tertium Viennæ Austriæ III. Aprilis MDCXXIX. reperiuntur emanata.

Prob. 114. Prob. 70. 103. 105. & 157. Prob. 74.

Quan-

Quantum ad adversa fata attinet, ea hic recensere supersedimus, cum eadem fere sint, quæ reliquas per Urbem Ecclesias afflixerunt; instauratum autem aliquando funditùs S. Martini Templum, vel ex veteri Calendario ibidem asservato, discimus, ubi hæc habentur.

„ NONAS SEPT. *Dedicatio hujus Ecclesiæ.*
„ Anno Dom. MCCLXV. consecrata fuit Ecclesia S. Martini Wor-
„ matiæ a venerabili Domino EBBERHARDO Worm. Episcopo,
„ Dominica proxima ante Festum Nativit. Beatæ Virginis.

Inter ejusdem benefactores ex Ordine Equestri, primum locum meritò obtinent Camerarii de Wormatia, quorum lapidibus sepulchralibus integrum fere pavimentum stratum est; inter benefactrices vero duæ nobis potissimum occurrunt, videlicet: GERTRUDIS, dicta *Sabbatissa*, soror Davidis militis Worm. *retro coquinam*, ut habent veteres notitiæ. Altera ADELHEIDIS de DANDESTAT; ambæ viduæ, quarum hæc Anno MCLIX. domum suam perpetuis solius Decani usibus ac habitationi inservire voluit; illa vero Anno MCCLV. erectum a se Altare S. Bartholomæi, de consensu Richardi Worm. Episcopi dotavit.

SERIES PRÆPOSITORUM.

HUGO.

Testis occurrit adhibitus Anno 1068. in litteris Adalberti Episcopi sui, pro Ecclesia S. Andreæ.

RICHWINUS.

Insignis Ecclesiæ suæ benefactor, ut nos docet charta ejus Anno 1110. confecta. Prob. 15.

SIGEFRIDUS I.

Buggonis Episcopi res gestas ab Anno 1137. usque ad Annum 1142. suo quoque suffragio firmat; intervenitque demum Anno 1158. cuidam bonorum permutationi inter Wormatiensem, & Trevirensem, Ecclesias initæ.

SIGEFRIDUS II. ab EPPENSTEIN.

Annis 1193. & 1194. quædam disponit ac ordinat circa suam S. Martini Ecclesiam; tum & Canonicos S. Pauli; creatus Moguntinus Archiepiscopus.

NIBELUNGUS I.

Simul majoris Ecclesiæ Worm. Præpositus vixit Anno 1227.

NIBELUNGUS II.

Eadem quæ Prædecessor ejus munia obtinuit, ut ex charta sequenti constat.

„ Landolfus Dei gratia Worm. Episcopus — Notum cupi-„mus, quod donationem Custodiæ Bopardiensis cum omnibus juribus & „proventibus suis, pia consideratione factam Capitulo S. Martini Worm. per „honestum Virum, & plurimum Nobis dilectum Nibelungum, videlicet „majoris Ecclesiæ Wormatiensis, & ejusdem S. Martini Præpositum — „gratam & ratam habentes consentimus in ipsam —

„ Dat. Wormatiæ Anno Incar. Dom. MCCXLI. III. Non. Martii.

Embrico.

Nibelungum in dignitate excepit Anno 1243. quo Ecclesiæ suæ S. Martini privilegia confirmari obtinuit.

Albertus.

Simul in maj. Ecclesia Wormatiensi Cantoris officio functus est, ut constat ex litteris Anni 1250.

Henricus de Bolandia I.

Erga suos S. Martini Canonicos beneficus; id enim testantur litteræ sequentes:

„ Henricus Dei gratia Archiepiscopus Trevirensis nosse volumus — „quod cum dilectus Nobis Heinricus de Boland, Archidiaconus Tre-„virensis, & Præpositus S. Martini in Wormatia, Decano, & Capitulo „Ecclesiæ S. Martini prædicti, ad augmentum Præbendarum dictorum De-„cani & Capituli, decimam in Salzeche, nostræ dioecesis liberaliter contu-„lerit — Nos hujusmodi donationem ratam & gratam habentes &c.

„ Actum Anno Dom. MCCLXXV.

Obiit autem idem Henricus Anno 1286. inscriptus Necrologio ad diem II. idus Novemb.

Simon.

Henrico Successor datus, factam ab ipso donationem ratam habet Anno 1287.

Gerhardus.

Simoni surrogatus, quædam in favorem Ecclesiæ suæ ordinat Annis 1292. & 93.

Engelbertus a Marcka.

Huic substituitur circa Annum 1298. is qui sequitur,

Adolfus a Marcka.

Creatus Leodiensis Episcopus Anno 1313.

Conradus I.

Occurrit in litteris Anni 1315. super jure decimandi in Territorio Villæ Speji.

Henricus de Bolandia II.

Quædam ordinasse reperitur Anno 1317. circa bona ac decimas in Salzeche.

Con-

CONRADUS II.

Transfigit Anno 1325. cum Capitulo S. Martini super bonis quæ Præposituræ suæ attinere videbantur.

JOANNES.

S. R. Ecclesiæ Cardinalis.

Simulque Sabinensis Episcopus, facta separatione redditiuum Præposituræ cum illis quæ Capitulum concernebant lites quæ inde enascebantur in dies, sustulit, ac quieti deinceps locum dedit.

PETRUS

S. R. Ecclesiæ Cardinalis,

Idemque Ostiensis & Velletrensis Episcopus Joannem in Præpositura S. Martini excepit, circa Annum 1378.

CONRADUS III. de LINDEN.

Ejus mentionem faciunt diversi contractus ab Anno 1382. usque ad Annum 1398. initi.

OTTO de ZIGENHAIN.

Exstant ejus litteræ Emphiteuticæ sub data Anni 1405.

SIMON de BOPPARDIA.

J. U. Doctor, memoratur in litteris Anni 1423. inscriptus Necrologio ad diem III. Kal. Martii.

LUDOVICUS ab AST.

Simul maj. Ecclesiæ Wormatiensis major Præpositus, quædam ordinat Annis 1441. & 48.

JOANNES.

Ex Bavariæ Ducibus.

Præpositi munus gessit jam Anno 1457. at universos ejusdem proventus liberali manu contulit in Capitulum, ad dies vitæ suæ percipiendos. Fuerat insuper Joannes Præpositus major Worm. nec non Monasteriensis Episcopus.

GEORGIUS HESELER.

J. U. Doctor; postmodum ad Cardinalitias infulas promotus. Præposituram S. Martini obtinuit jam Anno 1468.

Otto de Breidebach.

Hic, poſtquam ab Anno 1480. uſque in Annum 1522. Præpoſitura potitus fuiſſet, tandem eam in Richardum de Greiffenclaw Trevirenſem Archiepiſcopum tranſtulit, qui ex ſummæ Sedis autoritate, eandem ſibi, Succeſſoribusque ſuis in perpetuum annexuit, ac Archiepiſcopali menſæ incorporavit.

* * *

SERIES DECANORUM.

Willichint.

Adalberti Epiſcopi ſui ordinationem pro Eccleſia S. Andreæ Anno 1068. factam ſuo calculo probat.

Adelmundus.

Occurrit in Buggonis Epiſcopi litteris Anno 1137. & 1139.

Fridericus.

Hujus mentionem facit Bulla Cæleſtini III. ſuper bonis Præpoſituræ emanata Anno 1193.

Volcnandus.

Conſentit Anno 1198. in alienationem prædii Lochem factam a Lupoldo Epiſcopo; adhuc ſuperſtes Anno 1200.

Gerhardus.

Volcnandum excepiſſe videtur; ejus mentio fit Annis 1208. & 1209.

Wilhelmus I.

Gerhardi Succeſſor; obiit Anno 1212.

Conradus.

Wilhelmo ſubſtitutus; haud diu in dignitate ſuperſtes.

Giselherus.

Hunc varii contractus memorant ab Anno videlicet 1213. uſque in Annum 1241. quo in Eccleſia propria fundat Altare S. Benedicti.

Richerus.

Teſtis adhibitus Anno 1248. in litteris Decani S. Andreæ ſuper bonis in Lutzelnheim.

Wern-

WERNHERUS.

In Richeri locum ſurrogatus eſt Anno 1259. adhuc ſuperſtes Anno 1264.

WILHELMUS II.

Occurrit in litteris Emphiteuticis Anni 1271. diemque ſupremum obiit Anno 1286.

WILHELMUS III.

Exſtant litteræ Anni 1305. ſuper annuo cenſu quem vidua quædam, Guda nomine, tenebatur perſolvere. Teſtes ſubſcribuntur Wilhelmus Decanus, & unà cum eo Joannes de S. Cruce, & Eberhardus de S. Katharina, præbendarii Eccleſiæ S. Martini.

GERHARDUS de YSENBURG.

Tranſigit Anno 1341. ſuper bonis in Oſthoven ſitis.

JOANNES de WATTINHEIM.

Memoratur in contractu ſub Annum 1352. inito.

FRIDERICUS à MORSHEIM.

Hic reperitur obiiſſe Anno 1363.

JOANNES NAVERN.

Frequens eſt in litteris ab Anno 1368. usque in Annum 1384.

JOANNES JOCHGRIN.

Occurrit ejus mentio in Bulla Innocentii VIII. Pont. pro Eccleſia S. Martini, data Anno 1485.

JACOBUS SCRIBA.

Annis XXIX. munere ſuo functus eſt deſiitque in vivis Anno 1551. die 2. Maij.

STEPHANUS HOLZAPFFEL.

Jacobum excepiſſe videtur. Obiit autem & ipſe Anno 1576.

JOANNES KLINGENBERGER.

Stephani Succeſſor, triennio regiminis needum expleto mortuus eſt anno videlicet 1579. ſucceſſiſſe feruntur deinde.

JOANNES BERSICK de LUTERSHAUSEN.
PETRUS HAASE Senior.
PETRUS HAASE Junior.
JOANNES GROSS.

PETRUS SHNELN.
MATERNUS HOHENSTET.
THOMAS de BECCARIA. ob. 1635.
MARCUS SELZER. ob. 1637.
JOANNES KEKE de DELMGEN.
GERVASIUS MARSTELLER. ob. 1656.
HARTMANNUS CONRADI. ob. 1680. 18. Aug.
ARNOLDUS STAUFFENBERG. ob. 1680. 31. Octob.
HENRICUS SPORMACHER. ob. 1685.
PETRUS DORN. ob. 1699. 24. Jan.
HENRICUS GREVEN. ob. 1723.
GEORGIUS FRIDERICUS DEUERKAUFF, quem Anno 1728. excepit.
PETRUS ADAMUS GREVEN.

VI.

Ecclesia Collegiata B. Mariæ Virginis extra muros Wormatiæ.

FUndationis hujus initium desumendum videtur ab *Ecclesia* illa, quam *sitam in suburbio*, HENRICUS II. Imp. *ex proprio* obtulit ad Altare S. Petri Wormatiæ, ut habet quoddam ejus Diploma Anni MVI. hanc enim EMICHO Wormatiensis Episcopus postmodum Anno MCCXCVIII. in Prob. 182. Collegialem erigens, his planè verbis utitur: *in* CAPELLA (inquit) B MARIÆ *Virginis, in Suburbio nostræ Civitatis, secus litus Rheni, quæ olim* VETUS MONASTERIUM *vocabatur, & adhuc eodem titulo insignitur*, Collegium XX. Canonicorum instituimus; hinc & in Sigillo, Præsepe Christi exprimente, quod idem Præsul novellis Clericis utendum tradiderat, hæc circam legebatur inscriptio.

Est VETUS ECCLESIA, *regit hanc pia Virgo* MARIA.

Certe locum, jam olim ob frequentia miracula per intercessionem ejusdem divæ Virginis patrata, celebrem fuisse, testantur diversorum Præsulum, notanter BERTHOLDI Wirceburgensis, FRIDERICI Spirensis, nec non & BERTHOLDI Bambergensis Annis MCCLXXVI. & VII. editæ litteræ, quibus ad inchoatam tunc novi ædificii molem explicandam, subsidia necessaria quavis parte suarum Diœcesium postulandi facultas datur; quin & Ecclesiæ ejusdem provisionem, seu collationem ab antiquo ad majores Præpositos spectasse, vel una hæc, quæ sequitur, charta sufficienter edocet.

„ Nos LANDOLPHUS, Dei & Apostolicæ sedis gratia Episcopus Bri„xinensis, nec non Ecclesiæ Wormatiensis Præpositus —— scire volumus „quod cum Conradus bonæ memoriæ Capellanus CAPELLÆ S. MARIÆ in „suburbio Civitatis Wormatiensis, cujus collatio ad nos, *ratione præpositu„ræ* noscitur pertinere &c.

„Dat. Romæ XV. Kal. Febr. Anno Dom. MCCXCVI.

Com-

Complanatâ itaque veteri ædiculâ, publicis atque opulentis piorum hominum impensis surrexit nova longe augustior, quam demum omnibus numeris suis absolutam, Emicho antistes insigni Canonicorum Collegio ornavit, ut supra jam meminimus, iisdemque, quibus aliæ per Diœcesim, & Civitatem suas, Collegiatæ Ecclesiæ, privilegiis & exemptionibus frui ac gaudere voluit; hinc & in earundem societatem per litteras solemnes admissa fuit, quas proinde integras hic lubet subjicere.

„ MAJORIS, NUHUSENSIS; Sancti PAULI; Sancti ANDREÆ; & „Sancti MARTINI, Ecclesiarum Wormatiensium DECANI, & CAPITULA. „Honorabilibus viris in Christo dilectis DECANO, & CAPITULO Ecclesiæ „S. MARIÆ extra muros Wormatienses, eorumque successoribus, salutem „in Autore salutis &c.

„ Præsentis scripti Testimonio noverit ætas præsens, & sciat posteritas „ futurorum, quod Nos attendentes, quod fœcundus Palmes in ECCLESIA „S. MARIÆ, ubi vos estis personæ divinis obsequiis deputatæ, sic per cul„tum divini Numinis erumpit in botrum, quod per obsequiorum frequen„tiam divinorum sic botrus in Torculari calcatus liquoris redundat in copi„am, sic triticum attritum in dominicum orreum, excussa palea, depor„tatur, sic granum frumenti cadens in terram, & famulantium manibus „compressum & mortuum, uberem consurgit in spicam; Quod ipsa Ecclesia „S. Mariæ divinorum obsequiorum radiis circunfusa in Christi Fideles radio „sui luminis sic diffunditur quod in ipsa Ecclesia per rarum vel nullum quan„doque divinorum obsequium habebatur, nunc ad eam currit propter cul„tum divini Numinis plebs fidelis, & ideo videtur expediens & honestum „per familiaritatem nostrarum Ecclesiarum ad vos contractam, Ecclesiarum „Collegio vestram Ecclesiam honorabilius honorari, ut lateris Ecclesiarum „nostrarum Comitatus illustret vestram Ecclesiam & personas; Et quia mul„ta debent emunitate fulciri quos lateris nostri Comitatus illustrat, vestram „Ecclesiam, & personas nunc præsentes & futuras in collegialis Ecclesiarum „nostrarum Societatis recipimus, in nomine Domini, perpetuam Unionem: „ita quod Ecclesiæ Wormatiensis ritum & consuetudinem observetis secun„dum canonicas sanctiones, cum non liceat a capite membra recedere, & „sic evidentius apparebit, quod sicut in nobis, & inter Nos, una debet esse „ fides mentium, sic & in nobis sit una pietas actionum. Volumus etiam, „statuimus, & ordinamus, ut sitis recepti, & Vos recipimus ad Societatem „ Capitulorum, Exequias mortuorum, & ad libertatem universorum jurium, „& Societatem & defensionem, & eorum omnium quibus Collegiatæ Wor„matienses Ecclesiæ fulciuntur, & sic ad Societatem nostrarum Ecclesiarum „vestra Ecclesia vocata a nobis in partem sollicitudinis decus a nostris Eccle„siis recipiat & decorem —— ad hujusmodi autem Societatis, & vocatio„nis nostræ memoriam, & robur perpetuo valiturum, præsentes litteras so„ciales conscribi fecimus, & sigillis Ecclesiarum nostrarum communibus „ communiri.

„ Datum Anno Dom. MCCCIII. in Vigilia B. Andreæ Apostoli.

Aliud deinceps hæc S. Mariæ Ecclesia non leve incrementum cepit, tum ex larga indulgentiarum concessione, quam ei Anno MCCCX. tribuerunt PETRUS Archiepiscopus Mogunt. HENRICUS Vratislaviensis, JOANNES Argentinensis, & HENRICUS Gurcensis, Episcopi; tum ex liberali dispositione Henrici Wormatiensium Præsulis, qui cum simul ejusdem Ecclesiæ frueretur præpositura, jure suo in hoc usus, vicinam S. Amandi parochiam una

unà cum proventibus universis, communi Canonicorum mensæ Anno MCCCXVIII. perpetuum annexuit prout litteræ sequentes fidem faciunt.

„ HEINRICUS Dei gratia electus, & confirmatus Episcopus Wormatiensis, ac Præpositus ejusdem Ecclesiæ Worm. sibi in Christo dilectis Decano, totique Capitulo *Ecclesiæ S. Mariæ veteris*, extra muros ibidem —
„Tenuitatem vestrarum Præbendarum considerantes, Parochiam Ecclesiæ S. Amandi extra muros Worm. ac jus patronatus ejusdem cum omnibus juribus & privilegiis suis ad nos, ratione nostræ Præpositurae pertinentia, accedente consensu Capituli Ecclesiæ nostræ Worm. incorporamus, & unimus —
„ Dat. Anno MCCCXVIII.

Crevit interea magis magisque in Deiparam Virginem devotio, tantusque ex omni prope Germania huc loci ad eam factus est populi confluxus, ut Senatus, Populusque Worm. diruta priori, ingentem ab imis fundamentis Basilicam, opus multorum annorum, molitus sit, sesèque ad ejusdem instaurationem toties quoties obligarit, stimulos addente hinc PIO II. Pont. max. Anno MCCCCLXVII. inde REINHARDO Worm. Episcopo, per litteras suas datas Ladenburgi Anno MCCCCLXX.

Numerus Canonicorum ob redituum tenuitatem, autoritate Emichonis Episcopi Anno MCCC. ad sex redactus est, qui & hodiedum ita subsistit.

SERIES DECANORUM.

Ad hos deflectimus; siquidem Præpositi S. Mariæ, iidem sunt, qui majoris Ecclesiæ Worm. proinde in horum Elencho, superius jam a nobis exhibito, investigandi sunt, ordiendo ab Henrico de Duna ad Annum 1298.

JOANNES.

Primus est ex Decanis, qui nobis occurrit; Testis adhibitus in litteris Anni 1309. Adhuc superstes Anno 1313.

CONRADUS CLEMANN.

Hunc indicant diversæ litteræ seu contractus ab Anno 1317. usque in Annum 1319. initi.

GERLACUS.

Conradi Successor, quædam pro Ecclesia sua adhuc Anno 1324. reperitur ordinasse.

JOANNES HOLZAPFFEL.

Memoratur in litteris Anni 1340.

PETRUS de LUTRA.

Transigit super bonis quibusdam Ecclesiæ suæ adjacentibus Anno 1364.

JOAN-

JOANNES ERENFRID.

In Petri locum surrogatus est circa Annum 1367.

PHILIPPUS â S. GOARE.

Joanni videtur substitutus fuisse Anno 1376. quo super lite quadam transigit. Ejus quondam Epitaphium tale legebatur:

„ Anno Dom. MCCCXCVII. in Vigilia Epiphaniæ ob. PHILIPPUS
„ de Sancto GOARE, Decanus hujus Ecclesiæ.

JACOBUS MERGELEN.

Philippum excepit; adhuc superstes Anno 1399.

JOANNES MEFFRIDI.

Intervenit cuidam contractui ad Annum 1423.

JOANNES KERTZENHEIM.

Obiit is Anno 1488. die 5. Kal. Maji.

REINHARDUS SPIES.

Joannis Successor adhuc Anno 1499. inter vivos deguit.

Sequuntur reliqui hoc ordine:

WOLFFGANGUS KEHLER - - -		1522
STEPHANUS HOLTZAPFFELL Vicarius in Spiritualibus -		1572
LEO HOFFMANN SS. Theol. Doctor & Decanus primâ Februarii - - -		1580
MARTINUS GOBELIUS - - -		1591
FRIDERICUS LIBHARDUS â SCHÖNAU -	21. Febr.	1596
Qui anno elapso Decanatu & Canonicatu privatus est.		
JOANNES GEORGIUS RENNER - -		1597
Qui 1605. resignavit.		
NICOLAUS VIETOR, - - -		1605
Decanus renuntiatus - - -		1609
Qui 1619. primâ Martii mortuus est, & laudabiliter Ecclesiæ præfuit.		
HENRICUS VOGELIUS - -	4. Septemb.	1624
JOANNES HOLTACKER - -	12. Septemb.	1668
& mortuus 9. Octobris 1680.		
HENRICUS HASSERT - -	22. Octob.	1680
& mortuus 13. Junii 1714.		
CASPARUS ADOLPHUS SCHNERNAUER SS. Theol. & Juris utriusque Doctor - -	28. Junii	1714
Qui in fine Anni 1717. resignavit.		
THOMAS FRIDERICUS VANDERBECK vigore Bullæ Apostolicæ Decanus - -	18. Martii	1718
& mortuus 17. Decembris 1731.		
JOANNES MATHIAS SARTORIUS SS. Theol. Doctor, Consiliarius Ecclesiasticus - -	1. Febr.	1732

VII.

Ecclesia Collegiata S. Spiritus, Heidelbergæ.

OPus est Ruperti, Palatini Electoris, ac Bavariæ Ducis, qui postquam Anno MCCCC. adversus Wenceslaum, Rex Romanorum electus fuisset, Heidelbergam suam novo hoc pietatis monumento decoravit; hinc in Chori testudine sequens hæc olim legebatur inscriptio.

RUPERTUS ROMANORUM REX
HUJUS CHORI, & COLLEGII
FUNDATOR.
ELISABETH REGINA ROMANORUM.

Verum, quod Anno MCCCCX. morte præventus, nonnulla reliquisset imperfecta, quæ tam insignis fundatio adhuc exigere videbatur, vices ejus in hoc supplevit relictus superstes Filius Ludovicus, totumque feliciter ac munificentissime absolvit; prout id testatur sequens inscriptio, priori conjuncta.

LUDOVICUS COMES PALATINUS
REGIS FILIUS
HUJUS COLLEGII CONSUMMATOR.
DOMINA PLANCHIA, FILIA REGIS ANGLIÆ;
UXOR EJUS.

Cæterum, primus noscentis hujus Collegii Decanus exstitit *Heyso Krauvvel*, adhuc in vivis Anno 1429.

VIII.

Ecclesia Collegiata B. Mariæ Virg. Lutræ-Cæsareæ.


JAm plurimum a primævo Religionis Spiritu deficere coëperat LUTRENSE ordinis Præmonstratensis COENOBIUM, quando JOANNES DALBURGIUS, Wormatiensium Præsul illud Anno MCCCCXCVI. ad meliorem frugem revocare studuit, datis eum in finem ad Ordinis generalem ac supremum Præpositum litteris, quibus eum valide hortatus est, velit ad tam salutare opus exequendum, una secum concurrere. Verùm disciplinæ, nec non jugi omnis impatientes loci coenobitæ, quò liberius deinceps vitam agerent, suoque Genio indulgerent, se se in LUDOVICI Electoris Palatini tutelam commisere. Quin & cum ipso, nec non Germano Fratre ejus FRIDERICO sub Annum MDX. speciali Tractatu Heidelbergæ inito, Regularem Habitum in sæcularem convertere, ac simul Ecclesiam suam in Collegialem erigere non dubitarunt.

Factum indigne tulerunt ab utraque parte Superiores, illudque alte etiam improbarunt; donec tandem assidua Principum intercessione flexus, victusque Pontifex Max. novellam institutionem sub duplici patrocinio, videlicet S. MARIÆ, nec non S. MARTINI Episcopi, repositam firmavit, ac ratam habuit; quo cognito, CAROLUS V. Imp. per diploma suum datum Anno MDXXI. eandem variis privilegiis condecoravit; quemadmodum & FERDINANDUS secundus Augustæ Vind. Anno MDLIX. (Prob. 293.)

Destruere quidem proprium opus, ac bona eidem annexa invadere conatus est postmodum Fridericus Palatinus; at quominus hæc machinatio effectum suum tunc sortita fuerit, obstitit supradicti Ferdinandi Cæsaris mandatum inhibitorium, quod THEODORICUS Wormatiæ Præsul Anno MDLXII. die XXVII. Julii Spiræ ab ipso impetraverat; quanquam posteris temporibus denuò impetita, in totum corruerit pia fundatio.

MONA-

MONASTERIA VIRORUM.



I.

Monasterium S. Mariæ Magdalenæ in Franckenthal

Ord. Can. Regg. S. Augustini.

Absolutis, quas ERKENBERTUS, illustri Camerariorum de Wormatia ortus progenie, hinc inde exstruere coëperat, sacris ædibus, novum, sed majoris molis opus in *Franconothal*, veteri vico, haud procul Wormatia dissito, aggressus est; positis itaque, conjuncta manu piæ Conjugis suæ RILINDIS, Anno MCXIX. die vero VII. Kalend. Maji, fundamentis, vastum surgere visum est Monasterium, quo intra Annos V. ad fastigium perducto, Clericisque Beati Augustini regulam sectantibus, in illud, solemni ritu, inductis, BUGGONI Diœcesano Episcopo suo, qui aram principem, Templo licet eatenus adhuc imperfecto, in honorem S. MARIÆ MAG. jam dicaverat, totum obtulit; ita ut tam ipse, quam & reliqui ejus Successores, jus ac rerum omnium gerendarum arbitrium in eodem sibi perpetuum haberent, juxta quod fuse continetur in prædicti Antistitis notitia, Anno MCXXV. desuper edita. Prob. 72.

Hæc fuêre Franckenthalensis Cœnobii initia, quæ mox alteri instituto occasionem præbuerunt; cum enim primus loci Rector BERTOLFUS, officio suo, nescio qua de causa, valedixisset, ad illud obeundum, sese ipsemet illico accinxit Fundator; hinc conjux, mariti vestigia studiose premens, in proximum a se pariter erectum Asceterium secedere statuit (ut alibi videbimus) dum ipse interea, collecta apud omnes Sanctitatis fama, demum Anno MCXXXII. in Vigilia Nativitatis Christi, vivere desiit, Ætatis suæ LIII.

Crescente autem Religione loci, crevit & ejusdem celebritas, dignusque aliquando visus est, qui Pontificia, simul & Cæsarea protectione imposterum gauderet, id quod utrobique testantur tum INNOCENTII II. Papæ bulla, per quam Anno MCXXXIIII. universa ejusdem jura nec non Prob. 73.
possessiones omnes, ac has inter Cellam Omerscheim, quam tunc Deo dicatæ mulieres incolebant, confirmat; tum CONRADI Regis præceptum in gratiam Abbatis Folmari Anno MCXXXIX. emanatum. Prob. 75.

Prolixam dein privilegiorum, eidem huic Cœnobio identidem concessorum enumerationem instituit Anno MCCCCXLVIII. Reinhardus Episcopus, simulque suam adjecit ratihabitionem: ast, ubi illud a pristino fervore deficere, inque pravos mores prolabi advertit; dum adhibitæ insuper frequentes hortationes ac minæ nihil quidquam proficiunt, ejecto inde Joanne ab Ingelheim Abbate, cum ignavis Monachis, melioris frugi Canonicos Regulares iisdem substituit Anno MCCCCLXVIII. Quanquam nec hæc nova colonia, feliciore successu insita fuit; siquidem vitia in eandem irrupêre, etiam prioribus pejora, quibus & ipse infectus loci Antistes Joannes ab Andernach, poenitendo in omne ævum contractu inito, non solum hoc suum Monasterium, sed & eidem incorporata duo Virginum Asceteria, videlicet Franckenthalense illud minus, de quo supra fecimus mentionem, nec non Kirschgartense aliud in manus Friderici Electoris Palatini Anno MDLXIIII. tradidit.

Prob. 262.

Prob. 267.

Reclamavit quidem adversus imprudens factum Theodoricus a Bettendorff, Worm. tunc Episcopus; at, non nisi serus ejus Successor Georgius Fridericus a Greiffenclaw jus in hoc pristinum recuperavit Anno MDCXXII. recuperatumque Societatis JESU patribus Worm. Anno MDCXXVI. integre cessit. Verum, cum res, nescio quas moras traxisset, exciti, velut e somno, Canonici Regulares, sese Patrum votis fortiter opposuêre, amissamque loci possessionem sibi revindicare conati sunt. Hinc orta lis inter utrosque, quæ diutius coram Judice agitata, tandem Anno MDCXLV. in utriusque partis favorem decisa est, simultaneâ possessione ipsis adjudicatâ, dum tamen eâ neutra gaudet.

SERIES ABBATUM.

Bertholfus.

Ex Springhirsbacensi Canon. Regularium Monasterio accersitus, Franckenthalensibus constituitur primus Abbas, seu Præpositus circa Annum MCXXIIII. at quietis amans, haud diu post officio suo valedixit, & ad priorem nidum reversus est.

Erkenbertus.

Loci fundator, semetipsum Bertholfo substituit, verbisque & exemplo novellæ suæ plantationi ad obitum usque præluxit.

Guibertus.

Huic Innocentius II. Pont. Anno 1134. bullam protectoriam indulsit.

Folmarus.

Guibertum in regimine excepisse videtur sub Annum 1139. quo Monasterium hoc suum, universarum possessionum suarum hæredum instituit. Adhuc superstes Anno 1174.

Henricus I.

Obtinet Anno 1180. ab Alexandro III. Pont. confirmationem omnium privilegiorum sui Monasterii.

Hen-

HENRICUS II.

Intervenit Anno 1248. amicabili compoſitioni quam ſuper jure quodam controverſo Schonaugienſes Monachi iniêre cum Hagenenſibus.

WERNHERUS.

Acquirit Anno 1277. bona quædam ab Henrico de Ebeſtein, & Joanne Rube, militibus.

CYPRIANUS.

Hujus mentionem faciunt litteræ Beatricis Magiſtræ Sanctimonialium in Hagene Anno 1285.

CONRADUS.

Cyprianum in Regimine excepit, ut teſtantur litteræ ejus emphiteuticæ datæ Anno 1285.

THEODORICUS.

Ortam Anno 1315. inter Epiſcopum Worm. & Renwartum de Stralenberg, litem componit.

DITZO.

Theodorico Succeſſor datus ſub Annum 1318. quo Baldemarum de Ebeſtein a ſolutione cujusdam annui redditus eximit

ANSELMUS BLIDECKIN.

Davidem Armigerum de Guntheim cum Capitulo S. Andreæ, ſuper collatione cujusdam beneficii altercantem componit Anno 1336. adhuc ſuperſtes Anno 1346.

WILHELMUS.

Tranſigit Anno 1375. cum Capitulo S. Andreæ Worm. ſuper bonis quibusdam ſitis in Ebeſtein.

JOANNES de BECHTELSHEIM.

Memoratur in quodam contractu emptitio ad Annum 1413. inito tum & in aliis litteris emphiteuticis Anni 1440.

JOANNES ab INGELHEIM.

Abbatum Franckenthalenſium ultimus, utpote, quem Epiſcopus Worm. dignitate exutum Anno 1468. Præpoſiturâ Dirmſteinenſi deinceps contentum vivere juſſit.

II.

Monasterium Hegenense Ord. Can. Regg. S. Augustini.

EMICHO, RICHARDI Comitis de Leiningen, ex ADELHEIDE Comitissa, filius, cœlestibus desideriis æstuans, ALBERATÆ Conjugi, quæ ex NASSOVIIS Comitibus ortum trahebat, autor fuit, ut ad sacri cujusdam monasterii constructionem, in quo corpora eorum post obitum conderentur, unà secum concurreret.

Re, etiam inter propinquos, Anno MCXXXV. mature discussâ, nullus proposito aptior locus visus est, quam qui arbustis, ac dumetis obsitus, Leiningensem Arcem, vetus majorum domicilium, proxime adjacebat. Hinc a voce Theotisca: *Hagen*, alias *Hayn*, quod est: Dumetum; nascenti coënobio nomen inditum, ac mox ubi ejusdem structura in totum absoluta exstitit, Canonicis Regularibus Ord. S. Augustini commissum fuit; quin &, ut templum, cui pariter fastigium imposuerant pii fundatores, majore gloria dicaretur, invitatus ab ipsis BUGGO Wormatiensium Præsul Anno MCXLI. consecrationis munus, in honorem S. S. Apostolorum PETRI, & PAULI, nec non VERENÆ Virg. summa cum exultatione, pietatisque sensu peregit.

Magnum dein loco incrementum, pro suo in novellam coloniam studio addidere iidem nobilissimi Conjuges, ut vel ex sequentibus versibus, seu inscriptionibus colligimus, quas per totum Basilicæ ambitum regnare voluerunt.

Trinitas una Deus, oblatum suscipe munus
EMICHO *quod donat, consensu Coniugis* ALBRAT.

⁂

Hoc pro spe vitæ, munus pie suscipe PETRE.

⁂

Sponsa, VERENA, CHRISTI, *per mundi climata noti,*
Auxilium nobis pete supplex omnibus horis,
Hæc tibi dona damus, ut summa luce fruamur.

⁂

Votis affectu, simul assentimur & actu,
Ut vestræ sortis, simus ambo tempore mortis.

Quod postremum votum, ambo feliciter assecuti videntur; siquidem piis operibus immortuos, donec in beata resurrectione cœlestia gaudia simul ingrediantur, unum servat sepulchrum, cui olim ante loci sacri devastationem sequens hæc insculpta legebatur Epigraphe:

HIC JACET IN TUMBA COMES EMICHO, CONSOCIATA
CONJUGE, DICTA ALBRAT; QUI TEMPLUM CONDIDIT ISTUD.

SERIES

SERIES PRÆPOSITORUM.

HARTUNGUS.

Primus loci Rector a Fundatoribus designatus est. Vir omnino dignus, cujus institutione nascens cœnobium ad virtutis apicem assurgeret.

AMILIUS.

Hunc, interrupta serie, tandem demonstrat charta sequens, quam hic integram dare juvat;

„ In nomine sanctæ, & individuæ Trinitatis. AMILIUS divina mise-„ratione Præpositus, totumque Capitulum Hegenensis Ecclesiæ — no-„tum esse volumus: quod nos, communi comportato voto, cum Canonicis „Ecclesiæ S. Pauli in Wormatia, scilicet: quamdiu parochiam nostram in „Hochspira habuerimus, jam dictis Canonicis pro quadam decima quam „ibidem habent in Mellingesbach nobis concessa, singulis annis X. Solidos „Worm. monetæ solvemus — præsentem paginam impressione Sigilli „nostri roborantes, Testes etiam assignando *Amilium* Præpositum, *Godefri-„dum* Priorem, *Henricum* Cellerarium, *Siboldum* Camerarium, & cæteros „Ecclesiæ nostræ Con-canonicos. Acta sunt hæc Anno Dom. MCCXXII.

GERARDUS.

Contractum quendam iniisse reperitur Anno 1263. cum Jacobo milite de Lapide.

SYMON.

Arbiter controversiæ constitutus Anno 1290. inter Capitulum S. Andreæ Worm. ex una, & Hæredes Davidis militis de Guntheim ex altera, partibus.

JOANNES.

Exstant litteræ Anni 1389. quarum hoc est initium: *Wir* JOHANN *Probst, und der gemeyn Convent des Stiffts zu Hene, sancts Augustins Orden, in Wormsser Bistum &c.* quibus innotescit ipsum conventum memorati monasterii debitorem esse erga Capitulum majus Eccles. Wormatiensis in annuum censum XX. modiorum siliginis cum medio.

III.

Monasterium Kirschgartense juxta Wormatiam,

Ord. Can. Regg. S. Augustini.

Dissolutiores KIRSCHGARTENSE Asceterium mores infecerant, quam ut sanari unquam posse videretur; Quapropter, eliminatis inde pessimis Monialibus, FRIDERICUS à DOMNECK Wormatiensis Episcopus, propria sua usus autoritate, frugi melioris Canonicos Ord. S. Augustini Anno MCCCCXLIII. ex Bodicensi Collegio desumptos, ipsis substituit, ac simul

novæ

novæ huic Coloniæ BERTHOLDUM STARM, virum disciplinæ monasticæ peritissimum, præfecit.

Quam provide autem idem Præsul arduum illud opus aggressus fuerit, quamque feliciter deinceps processerit, rerum mox docuit eventus; siquidem Bertholdus ille, in quem curam fere omnem rejecerat, trium insuper ejusdem sui instituti monasteriorum, videlicet: Rebdorffensis, & Birkenburgensis in Eystettensi Diœcesi, nec non & Sundelvingensis in Ducatu Wirtembergico, Reformator exstitit; quem Religionis Zelum, successores ejus reliqui, notanter JOANNES ZONSBECKIUS, & HENRICUS de DIRMSTEIN, sedulo imitati sunt, donec sæva malorum ingruente tempestate, Cives Wormatienses, facto in ipsum monasterium impetu, illud Anno MDXXV. penitus devastarunt; recepti itaque in vicinum Frankenthalense palabundi clerici, illic usque in Annum MDXLVI. substitére, quo eandem cum hoc sortem subierunt.

Cæterum; quo tempore Kirschgartense Cœnobium sub regulari Virorum disciplina viguit, illud doctrina ac virtute præprimis illustrarunt PETRUS HELIGERUS, & JOANNES de LAMBSHEIM, quorum opera in diversis Bibliothecis etiamnum asservantur.

IV.

Monasterium S. Mariæ in Lutra-Cæsarea

Ord. Præmonstratensis.

LUTHRA, seu LUTERA, locus antiquissimus; quandoquidem ejus mentio jam recurrit in divisione illa Regnorum, quam Anno DCCCLXX. inter se inière Filii LUDOVICI Pii Imp. Superbum insuper olim ostentabat palatium, quod Sæc. XII. ad finem vergente, FRIDERICUS I. ex sectis rubrisque lapidibus illic sibi construxerat; hinc & de ipso Poeta non inelegans.

Radevic. Lib. II. cap. 76.

Gunth. Ligur Lib. VII.

Rursus Vangionum campos, LUTHRAMQUE *revisit*,
Regalesque sibi, quos struxerat ipse, Penates,
Incoluit —— ——

Hic autem loci, postquam & Domum Hospitalem, sub Titulo S. Mariæ a se pariter conditam, idem supradictus Cæsar in Cœnobium convertere decrevisset, structurâ ædium claustralium jam in totum absolutâ, illud sacræ Religiosorum Præmonstratensium Coloniæ inhabitandum tradidit, additis ornamentis, nec non redditibus necessariis, quos dum Filius ejus simulque in Imperio Successor HENRICUS, quemadmodum & PHILIPPUS Rex, sua quoque munificentia adauxissent, ambo gloriosum fundatoris nomen, & ipsi exinde promeruêre, prout id testatur, qui eadem ortus prosapia, eodemque insignitus diademate postmodum inclaruit FRIDERICUS hujus nominis II. in diplomate suo, dato Hagenowæ Anno MCCXV. per quod novellam illam plantationem confirmat, jubetque in cunctis suis Juribus, ac possessionibus perpetuum servari illæsam.

Prob. 108.

Talis omnino, etiam subsequentium Regum, seu Imperatorum, erga idem Monasterium mens fuit & affectus; nam præter-quam quod ex ipsis HEN-

HENRICUS & RUDOLFUS, prior An. MCCXXII. alter An. MCCLXXIIII. Prob. 112.
& MCCLXXXIII. illud in specialem suam protectionem suscipientes, ab 159. 170.
omni simul exactione, ac onere imposterum voluere exemptum, quemadmodum id GREGORIUS X. Pont. per bullam suam Anno MCCLXXII. etiam constituisse reperitur; hæc, aliaque ejusmodi privilegia, suo quoque
Regio præcepto deinceps firmarunt ADOLFUS I. in Oppenheim Anno Prob. 179.
MCCXCIIII. die XV. Kal. Feb. LUDOVICUS IV. Herbipoli Anno MCCCXXXV. CAROLUS IV. Spiræ Anno MCCCXLIX. II. Kal. Aprilis. RUPERTUS in Alzeja Anno MCCCCIII. ac denique etiam FRIDERICUS III. Francofurti, Anno MCCCCXLII.

Verum iis nonobstantibus, constans ille monasticæ disciplinæ vigor, qui per aliquot sæcula hìc loci jam perduraverat, paulatim inclinare visus est, donec tandem, nullo sat promptum adferente auxilium, penitus con-
cidit; instauratus quidem Anno MDX. Cultus divinus, cœpit, prout an- Prob. 293.
tea, peragi, ast ritu sæculari, adeoque præter mentem Fundatorum, qui receptam ibidem S. Norberti, seu Præmonstratensium Religionem, *in alium* vid. supra in-
Ordinem unquam *commutare*, expressis verbis vetuerant. Hinc nova illa Ca- ter Colleg.
nonicorum sæcularium institutio, seu substitutio, haud diu post, & ipsa Ecclef. num.
inde eliminata fuit, ut supra ostendimus. VIII.

SERIES PRÆPOSITORUM.

UDALRICUS.

Testis reperitur adhibitus Anno 1190. in litteris Conradi II. Episc. Worm. pro Asceterio Enckenbach.

JOANNES.

Transigit Anno 1286. super lite, quam communitati opidi Lutrensis intentarat.

SYFFRIDUS.

Hunc contractus emptitius Anni 1298. nobis suppeditavit, estque ejus initium tale: *Nos Syffridus Præpositus, Wernberus Prior, totusque Conventus Monasterii Lutrensis, Ord. Præmonstrat. Worm. Diœcesis; notum facimus &c.*

PHILIPPUS.

Vixisse reperitur ad Annum 1327.

JOANNES ab HOHENECK.

Occurrit in diversis litteris ab Anno 1333. usque 1340.

HUGO.

Joannem excepisse videtur circa Annum 1343. quo amicabilem compositionem iniit cum Ord. Teutonico.

PETRUS de MONTFORT.

Transigit Anno 1351. super lite quadam cum Abbatissa Monasterii in Gummerscheim.

JOANNES II.

Hujus mentionem faciunt diversæ litteræ emphiteuticæ Ann. 1389. & 1391.

V.

Monaſterium S. Mariæ Virg. in Schönau.
Ord. Ciſtercienſis.

Cæteras inter virtutes, quibus BUGGO, ſeu BURCHARDUS, hujus nominis II. Wormatienſium Præſul, decoratus erat, maximopere ſemper enituit pietas, hinc & coenobium aliquod erigere propoſuit, quo ſe ſe ad coëleſtia puriore meditatione haurienda, interdùm reciperet, ac ubi demum
Trithemius Chron. Hirſaug. nov. edit. pag. 401. poſt mortem a laboribus requieſceret. Itaque Anno MCXXXV. haud procul Heidelberga, ex altera parte Nicri fluminis, ſolitudinem ingreſſus, locum delegit in amoena valle, inter aſpera montium juga ſitum; hunc poſtquam, contractu cum BOPPONE Comite de LOUFFEN inito, ſibi totum libere acquiſiviſſet, neceſſariiſque ſtructuris ac ædificiis ornaſſet, SCHÖNAUGIAM appellavit, & novellis Sancti BERNARDI diſcipulis, qui Benedictinorum Regulam usquedum profitebantur, excolendum dedit: Ne autem ſacra hæc colonia, rerum divinarum vacationi dicata, a quoquam poſterorum facile interturbaretur, eidem ipſe per omnia diligenter providit, ut lit-
Prob. 80. teræ ejus Anno MCXLII. deſuper confectæ amplius fidem faciunt.

Prob. 88. 90. 96. 98. 9?. 102. 115. 118. 137. 143. 173. Prob. 83. Hæc fuêre celebris monaſterii initia, quæ tum ex aſſidua CONRADI, LUPOLDI, HENRICI, LANDOLFI, EBERHARDI, SIMONIS, nec non ſubſequentium Epiſcoporum Wormatienſium cura ac liberalitate, tum ex aliorum Fidelium oblationibus, non levia deinceps ceperunt incrementa: Nam præter GUNTHERUM, & BERINGERUM, Spirenſes Epiſcopos, quorum ille Anno MCLII. alter Anno MCCXXIIII. bona plurima illuc donaſſe reperiuntur, præcipuis loci benefactoribus merito accenſendi ſunt Palatini Duces, ſeu Comites, quotquot eorum illa potiſſimum tulit ætas, notanter CONRADUS, & HENRICUS, qui etiam ambo ſepulturam ibidem nacti ſunt, ut nos docent Inſcriptiones ſequentes inter rudera ab Eruditis retectæ, ac deſcriptæ.

I.

„ANNO DOM. INCAR. MCXCV. VI. IDUS NOVEMB. OB. ILLU-
„STRIS PRINCEPS DNS CONRADUS, COM. PAL. RHENI. DUX SUE-
„VIÆ. COMES IN GEMINO-PONTE. FRIDERICI IMPERATORIS
„GERMANUS.

II.

„PRINCEPS MAGNIFICUS, COMES AULÆ. GLORIA RHENI.
„JUNIOR HEINRICUS - - - - - - - - - - - - -

Exſtat, de cætero, poſterioris hujus Henrici, qui Agnetem, ſupradicti Conradi Filiam, uxorem duxerat, inſigne pietatis monumentum, quod hic integrum ſubjicimus.

„HEINRICUS, Dei gratia Palatinus Comes Rheni &c. dignum „ducimus ſuppletionis manum pio & memorando operi dilecti ſoceri „noſtri CONRADI, illuſtris Palatini Comitis Rheni, dignæ & reco„lendæ memoriæ adhibere & opus miſericordiæ, quod inceperat „æternæ ſecuritati commendare. Quapropter, notum facimus —

quod

„quod præfatus focer noſter Palatinus Comes Rheni, unà cum illuſtri con-„juge ſua, & dilecta focra noſtra, domina IRMINGARDE, divinæ retribu-„tionis intuitu, Eccleſiæ B. Virg. Dei Genitricis Mariæ in Sconaugia, in „qua ſibi, & jam dictæ Irmengardæ, prænobili jugali ſuæ, ſepulturæ petii „locum, & elegit, tradidit quoddam prædium ſuum in Opphove, cum ju-„re & utilitate ſua habendum perpetuo. Voluit quoque & tradidit liberam „poteſtatem ſuæ ditionis hominibus, cujuſcumque forent conditionis, eidem „Eccleſiæ ſe poſſe offerre, & de rebus ſuis mobilibus vel immobilibus, quan-„do & quantum vellent, tribuere. Poſt mortem vero ipſius, clariſſima ejus „uxor, Inſulas Rheni ipſo prædio adjacentes, pro remedio animæ viri ſui, „& ſuæ, præſcripto donavit monaſterio, jure perpetuo habendum. Clariſ-„ſima quoque ſoror ejus, domina LUTGARDIS, obtulit vineam XX. marca-„rum, cuſtodiæ jam dictæ Eccleſiæ, ex qua vinum conſecrationis miſſarum „perpetuo habeatur. Hoc itaque pium & laudabile factum pro parte noſtra; „& dilectæ conjugis noſtræ AGNETIS, confirmantes, addimus inſuper, ut „ſi qui poſtea novi habitatores ſupervenerint, ſicut & primi habeant præ-„ſcriptam poteſtatem ſe, & ſua, libere offerendi.

„ Hanc autem ſcripturam hujus rei ſeriem complectentem, noſtro ſi-„gillo, & focrus noſtræ, ipſiusque Germanæ, juſſimus communiri, & ſub-„ſcriptis idoneis Teſtibus confirmari.

„SIGEHARDUS, Abbas Laurenſis; MEFFRIDUS Abbas Eberbacenſis; DIE-„POLDUS Abbas Schonaugienſis; MARQUARDUS Præpoſitus de novo-caſtro; „HELFRICUS Præpoſitus de Lobenfelt; SIMON Comes de SARAPONTE; „HEINRICUS Comes de GEMINO-PONTE; WALRABUS Comes de NASSAW; „BOPPO Comes de LOUFFE; BLICKERUS de STEINA, & alii quam plures.

„ Acta ſunt hæc Anno Dom. Incar. MCXCVI. Ind. XV.

Huc quoque ſpectare videntur LUDOVICI, Palatini itidem Comitis, litteræ, ſuæ erga prædictum monaſterium venerationis teſtes luculenti,

„ LUDEWICUS, Dei gratia, Palatinus Comes Reni, & Dux Bavariæ „—— Cum non ſine cauſa judex gladium portet, ſcire Nos convenit, qui „gladio cingimur, quod illum ad militandum ſummo Regi in defenſione vi-„duarum & pupillorum, & præcipuè in protectione ſanctæ Dei Eccleſiæ, & „Religioſarum Domorum accepimus, & ſi aliquando perperam aliquid agen-„do, ea abutimur, ſtudio pietatis exceſſum corrigere debemus. Inde eſt, quod „ſcire univerſitatem veſtram volumus, nos tactos dolore cordis intrinſecus „pro dampno, quod homines noſtri, nobis invitis, intulerunt monaſterio, „& venerabilibus Fratribus SCHONAUGIÆ; cupientes Deo, & ipſis ſatisfa-„cere, reverſi a Militia Domini Regis FRIDERICI, de inferiori Germania, „ad ipſum Clauſtrum acceſſimus, ac in Capitulo, plenaria Fraternitate re-„cepta, Domino Abbati, & ejus Fratribus, ad reſarciendum dampnum per „noſtros irrogatum, piſcationem noſtram in Opphowe, donec pura conſci-„entia dicerent ſibi ſatisfactum, liberaliter contulimus, de cætero ad nos „redituram. Huic donationi acceſſit etiam bona voluntas, & pius conſen-„ſus AGNETÆ, Nobilis puellæ, ſponſæ Filii noſtri ſc. OTTONIS quæ vera „hæres eſt ejusdem rei ——

„ Actum eſt hoc; Anno MCCXIIII.

Nec prætereundi ſunt CONRADUS, & BOPPO de LOUFFEN, BOPPO de DILSBERG, Comites; PHILIPPUS & WERNHERUS de FALKENSTEIN, tum & GODEFRIDUS de EPPENSTEIN, dynaſtæ; quorum poſterior hic *junctis* cum ELISA conjuge, *palmis*, accedente inſuper GERARDI & GODEFRIDI filiorum, conſenſu, prædium ſuum in Mittelliderbach Anno MCCLXXII. ad opus ſæpe-dicti Schonaugienſis Monaſterii contulit, quomodo & ante ipſum, Anno videlicet MCXLV. ſuas poſſeſſiones ſacris ejusdem loci Incolis, jam dicaverant Prob. 81.

Megenlahus, Wolprandus, & Hermannus, nobiles viri de Oberkeim; ac denique Anno MCCLIII. etiam Demudis, pia mulier, relicta Helfrici de Hoheneck. Suis quoque gratiis, ac privilegiis, locum sanctum ornarunt, ex Romanis Pontificibus Innocentius III. & Alexander IV.
Prob. 101. quorum prior Anno MCCIIII. universas ejusdem possessiones in S. Sedis protectionem suscepit; alter Anno MCCLV. eundem a variis oneribus exemit; at toto orbe celebrem reddidit B. Hildegundis, Novesii, ditionis Coloniensis oppido orta; hæc enim sexum, raro artificio, solerter mentita, sub Josephi nomine, post varia fata, inter Schonaugienses admissa, eidem, cui ipsi, disciplinæ regulari collum subdidit, ac jugum Domini portavit; donec tandem Anno MCLXXXVI. die XII. Kalend. Maji. sexum, quem vivens pietate, modestiâ, aliisque egregiis animi dotibus, dissimulaverat, mortua patefecit. Hinc Tumulo ejus sequens apposita fuit Epigraphe.

Omnis Homo Miretur Homo Quid Fecerit Iste
Hæc Cujus Fossa Cineres Concludit Et Ossa
Mas Vivens Patet, Moriens Sed Foemina Claret
Vita Fefellit, Morsque Revelat Rem Simulatam
Hildegunt Dicta, Vita Est In Codice Scripta
Maii Bissenis Est Hæc Defuncta Kalendis.

Hodie eversum jacet Cœnobium; at quam ampla, & augusta moles quondam fuerit, ipsæ in vicino circumquaque sparsæ ruinæ satis indicant, quas inter vetustissima hæc occurrit Inscriptio: *Wernherus miles de Wormatia emit nobis vineam in Scrizheim, ad nocturnum Lumen Dormitorii.*

SERIES ABBATUM.

Conradus.

Domo ortus Hennebergica. Regimen hujus monasterii primus tenuit, ac usque in Annum 1153. & forsitan ultra produxit. Disciplinæ monasticæ severus exactor, cui nihil propius erat, quam ut ipse, & Fratres sui, *sibi viverent, secreti ab hominum cohabitatione.*

Godefridus.

Hunc varii contractus, ab Anno 1182. usque in Annum 1191. initi, demonstrant.

Diepoldus.

Godefridum in dignitare Abbatiali excepit, fitque ejus mentio jam ad Annum 1196. quo prædium Locheim pro CCCC. Marcis a Comite Boppone de Louffen acquisivit. Translatus inde Anno 1206. ad Abbatiam Eberbacensem in Rhingavia, cui pari fervore præfuit.

Waltherus.

Diepoldi Successor, memoratur in litteris Anni 1206. tum & in aliis Anni 1208.

Phi-

PHILIPPUS.

Walthero ſurrogatus, tranſigit Anno 1209. cum Conrado Abbate S. Lamberti ſuper juribus quibusdam in ſwenden.

DANIEL.

Solemnem contractum init Anno 1216. cum Bertolfo de Dirmſtein ſuper allodio in Scharra; at longe utiliorem, cum Præpoſito Eccleſ. Colleg. S. Andreæ Anno 1218. pepegit, quando tranſitum Nicri fluminis, ſeu potius trajectum juxta Heidelberg monaſterio ſuo acquiſivit. Hinc mutua exorta eſt inter utraque Collegia fraternitas tenebanturque monachi quotannis *magnum officium defunctorum* recitare; tum quilibet ſacerdos, miſſas XX; quilibet inferioris ordinis monachus, Pſalteria X; quilibet converſus mille, & quingentis vicibus, *miſerere mei Deus.*

CHRISTIANUS.

Tranſigit Anno 1220. cum Nobilibus de Hirtzberg, ſuper jure advocatiæ in Schriſſheim.

BERTOLDUS.

Occurrit Anno 1225. in quadam Notitia Civium Heidelbergenſium ſuper ſylva, dicta *Hegene.* Prudens ac vigilans Oeconomus; obiit Anno 1232.

CONRADUS.

Teſtis adhibetur Anno 1233. in diplomate Henrici VI. Regis pro monaſterio Brumbacenſi; tum & in litteris Conradi de Stralenberg, quibus hic Anno 1240. renuntiat omni juri quod habere videbatur in villa Schrieſſheim.

ULRICUS.

Conrado ſurrogatus videtur ſub Annum 1242. quo decimas in Bruchhauſen, & Blickersforſt, monaſterio ſuo acquiſivit.

RUDOLFUS.

Anno 1245. amicabilem compoſitionem init cum Friderico & Marquardo de Bonvelt ſuper vado Heidelbergenſi. Tum & ortum Anno 1249. dirum Schiſma in Eccleſ. Wormatienſi extinguere conatur. Vixit ſub eo Conradus de Reyſenberg, qui abdicato Hildesheimenſi Epiſcopatu, Ord. prædicatorum amplexus fuerat, ac dein ad Schonaugienſe monaſterium ſecedens illic Anno 1248. pie obiit.

HENRICUS.

Rudolfo Succeſſor datus, ſubſcribit Anno 1251. Teſtamento cujusdam Civis Worm. adhuc ſuperſtes Anno 1256.

EBELINUS.

Memoratur in charta Eberhardi Electi Worm. per quam hic donat

Anno 1259. Cœnobio Schonaugiensi partem prædii Lobenfelt. Cæterum Ebelinus tradit Anno 1263. in emphiteusin curtem quandam sui Cœnobii, existentem Wormatiæ.

OTTO.

In hujus favorem renuntiat Anno 1268. Joannes miles de Wynheim jure suo quod super bonis in Virnheim habere videbatur. Exstat & Ottonis charta sequens.

„Frater OTTO, dictus Abbas Schonaugiæ —— statuimus ut deinceps in „perpetuum Camerarius Domus nostræ annuatim quatuor servitia de albo „pane, piscibus & vino Franconico, conventui nostro memorato fideliter „amministret, quorum unum dabit in anniversario quondam Merhardis „conjugis Jacobi, bonæ memoriæ, monachi domus nostræ &c. ——

„ Acta sunt hæc Anno Dom. MCCLXX.

WERNHERUS.

Insigne diploma protectorium obtinet Anno 1282. a Ludovico Palatino Comite. Dein prædia quædam in Wiblingen sibi vindicat Anno 1287. per interventum Henrici de Sachsinhusen, Ludovici Palatini supremi Magistri curiæ.

JOHANNES.

Hunc prodit charta sequens.

„ Nos Frater JOANNES dictus Abbas de Schonaugia profitemur, quod „religiosa mulier Domina MECHTILDIS Begina de Spira contulit nobis „CLXIII. Libras Hallens. &c. Actum Anno MCCXCIV.

PETRUS CLEMAN.

Occurrit in litteris anni 1304.

JACOBUS.

Hujus mentionem faciunt diversæ litteræ contractûs Annis 1312. & 1315.

ENGELBERTUS.

Contractum init Anno 1327. cum Abbatia Lobenfelt.

DRUTWINUS.

Anno 1350. Executor Bullæ Clementinæ constitutus ab Balduino Trevirensi Archiepiscopo adversus Caroli IV. hostes.

HEILMANNUS.

Occurrit in contractu cum Joanne milite de Dalsheim An. 1363. inito.

PETRUS.

Exstabat olim hujus Epitaphium in peristylio monasterii Eberbacensis, ubi sepulturam repererat, in hæc verba sequentia compositum.

„Anno

„ Anno Domini MCCCXCV. Nonas Octobris ob. venerabilis Pater „ Dominus Petrus quondam Abbas Monasterii Schonaugiensis.

EBERHARDUS.

In Petri locum substitutus videtur. Vixit is Anno 1405.

CONRADUS.

Transigit Anno 1423. cum plebano in Oppaw, super minuta decima ibidem loci percipienda. Adhuc superstes An. 1437.

JACOBUS.

Hic ætate jam gravis, dignitatem ultrò posuit Anno 1520. die 21 Junii.

MARCUS.

Prædecessoris sui Jacobi vestigia secutus, susceptum onus à se abdicavit Anno 1523.

NICOLAUS.

Vacantem ex Marci libera demissione dignitatem adiit.

LAURENTIUS.

Memoratur in litteris Anni 1527. Obiit vero Anno 1529.

SEBASTIANUS.

Electus est die 11. Januarii Anni 1529. adstititque deinceps variis Electionibus quales fuêre, *Wendelini* Abbatis Erbacensis Anno 1535. Item *Caroli* ibidem Anno 1537. Item *Joannis* ibidem Anno 1539. Item *Andreæ* ibidem Anno 1542. ac denique *Palladis* ibidem Anno 1553.

WOLFFGANGUS CARTHEISER.

Monasterii sui Abbatum ultimus; sæviente enim per Palatinatum Hæresi, exulare coactus est; secessit itaque cum suis Wormatiam, ubi paulò post mœrore contabuit; sepultus in medio navis Ecclesiæ S. Andreæ, sub sequenti hac Epigraphe.

„ Anno Dom. MDLXIII. die XXIIII. Augusti ob. Reverend. Pater „ WOLPHGANGUS CARTHEISER, filius Conventus Wormatiensis & „ Abbas Schonaensis, in vera antiqua Religione persistens.

VI.

Monasterium Sunßheimense Ord. Can. Regg. S. Augustini.

CRAICHGOVIÆ Comites hoc Coënobium antiquitus fundasse, stabilitâ in eodem Sancti Augustini Regulâ, passim perhibent scriptores; quin & JOANNEM Spirensium Præsulem, nec non Illustris illius stirpis progeniem

Eyſengrein Chron. Spirenſ. pag. 197. & Eccard. Script. Tom. II. Chron. Spirenſ.

niem ultimam, poſtquam locum hunc, qui eatenus Dioëceſis Wormatienſis fuerat, inito certo quodam concambio, ſibi, ſuisque ſucceſſoribus acquiſiviſſet, deductos inde Anno MC. ſeu, ut alii volunt, Anno MCII. Canonicos Regulares, in æde divo Germano ſacra collocaſſe Spiræ, dum Ord. S. Benedicti Monachos qui Baſilicam hanc incolebant, in Sunſſheimenſe illud Cœnobium tranſtulit; illic ſepultus poſt obitum Anno MCIIII.

Verum temporis ſucceſſu, hunc ipſum locum, Sancto Michaëli ſacrum, ſimul cum attinentiis ſuis univerſis, in Jus ac dominium Epiſcoporum Wormatienſium rediiſſe, vel exinde patet evidenter, quod eundem ſibi Anno MDLXV. a Palatino Electore ablatum, repetierunt ſemel, iterumque, actione etiam coram Cæſare, ac Ordinibus Imperii deſuper inſtituta.

Ex loci Abbatibus memorantur.

EGGEHARDUS.

Teſtis adhibitus in charta Guntheri Epiſcopi Spirenſis pro Cœnobio Limpurgenſi Anno 1149.

HENRICUS.

Occurrit in contractu quodam Anno 1182. inito.

BOLLANDUS.

Hujus mentionem faciunt litteræ Anni 1274.

DIETHERUS de URBACH.

Contractum quendam cum Engelhardo de Franckenſtein Anno 1286. iniiſſe reperitur.

CONRADUS.

Hic Jus patronatus Eccleſiæ in Richartshauſen tranſtulit Anno 1327. in Decanum, & Capitulum majoris Eccleſiæ, Worm.

EBERHARDUS.

Memoratur in litteris Anno 1341. & 1348.

FRIDERICUS de VENNINGEN.

Obiit is Anno 1409. die 1. menſis Junii.

APELO de FINSTERLOCH.

Partem villæ Steinfort à Wiperto de Neuhauſs acquiſiviſſe reperitur Anno 1419.

Ex Decanis vero, poſtquam nimirum idem Coënobium in Eccleſiam Collegialem converſum fuit, occurrunt WERNHERUS de NOTTHAFFT, & JOANNES - CUNO de MORSHEIM; prior in litt. Anni 1556. alter obiit Anno 1571. fueratque ſimul majoris Eccleſiæ Worm. Canonicus.

MONA-

TAB. IV.

Fig. I. & II. ad pag. 161.





Fig. III. pag. 162.

HIC · PAV
SAT · COR
PUS · AZO
UUALUNI · CV
IUS · ANIMA
GAUDET · IN ·
CAELO ·

Fig. IV.



MONASTERIA VIRGINUM.



I.

Monasterium S. Mariæ Magdalenæ, vulgò Berg-Closter, extra muros Wormatienses; olim Ord. S. Augustini, nunc S. Dominici.

Juxta Wormatiam, ad suburbii caput, locus sacer est, in colle positus, qui omnium ferè censetur antiquissimus; Nam fama sæculorum propagatum, tres Virgines illic pro Christi fide simul cæsas, quo tempore Barbararum Nationum copiæ Regionem hanc inundaverant. Certe earum corpora ibidem in tumbâ lapideâ, Gothico opere elaborata, ac his inscriptâ nominibus: S. Embede; S. Warbede; S. Wilbede; adhuc asservata esse, pie credunt; an autem, qui proxime adjacet, Vitalius Rex, cum Placidia Regina, eandem cum ipsis sortem subierit; aut quo fato amborum corpora, huc quoque post obitum, pervenerint, prout id eorum Lapides sepulchrales, quos in æs incidi curavimus, indicare videntur, ob documentorum penuriam ignorare cogimur. vid. TAB. IV. Fig. I. & II.

Hoc certe constat, Berenharii Wormatiensium Præsulis, in ordine secundi, ossa, hic loci olim fuisse deposita; Quin & successorem ejus Burchardum, sæculo XI. ineunte, insigne Canonicorum Collegium, sub S. Andreæ Ap. Titulo erectum, exinde in urbem transtulisse.

Luxit aliquamdiu amissum decus suum vetus Basilica, solo parochiali jure deinceps nota, donec tandem Anno MCCXLIII. eam Gerhardus supradicti S. Andreæ Collegii tunc Præpositus, ad quem ex dignitatis suæ prærogativa spectabat, oportune solatus est, dum requisito prius ad hoc Landolfi Episcopi sui consensu, universam loci structuram simul cum Prob. 136. attinentibus ædificiis, in coënobium, quod Virgines S. Mariæ Magdalenæ ordinem professæ, hoc est: a voluptatibus sæculi ad saniorem mentem redeuntes, excolerent, convertit.

Stabilitâ itaque eum in modum novellâ Familiâ, quam Præpositi secundum Divi Augustini Regulam in cunctis sedulò dirigebant, census, ac vectigalia ejusdem, ex frequentibus Fidelium oblationibus,

haud parum cepêre incrementum; quin & Monasterium ipsum, quoties id necessitas exigere videbatur, sua continuo dignati sunt protectione tam Reges, quam & Imperatores, quomodo ex iis WILHELMUM Anno MCCLV. RUPERTUM Anno MCCCCVIII. CAROLUM V. Anno MDXLI. ac denique RUDOLFUM II. fecisse comperimus, quo postremo, nullus auxilium tulit efficacius, aut oportunius: nam, præterquam quod jam Anno MDLXXVII. omnia ac singula prædecessorum suorum privilegia, eidem loco olim concessa innovaverat, ac simul confirmaverat, ea quanti faceret ostendit, dum ejectas Anno MDLXXXIII. die XXIII. Septembris, per civium Wormatiensium insolentiam, sanctimoniales fœminas, sedibus suis illico restitui, ac in cunctis juribus & possessionibus suis manuteneri voluit.

Proh. 142. & 249.

Cæterum, ex Asceterii hujus Præpositis, qui, quemadmodum ex Priorissis, nobis pauci occurrerunt, unam hic commemorare libet HENRICUM de SUGEN, aliàs SIGEN, qui inter alia Templum instaurasse videtur; proin, sepulchrale monumentum promeritus est, cujus inscriptionem, aliqua sui parte vitiosam ac mutilam, sic legendam esse censemus.

„ *Anno Domini MCCCXX. in Festo Georgii Ob. Frater* HEINRICUS *de* SU-
„GEN *Præpositus Ordinis nostri, & noster specialis benefactor,*

Inductæ autem loco primitùs Augustini Leges, specialem suum habuêre Inspectorem, qualis fuit, inter cæteros, Wernherus, qui in quodam contractu Ann. MCCLXIX. inito, hunc titulum præfert: W. *miseratione Divinà Generalis Præpositus Monasteriorum S. Mariæ-Magdalenæ, Ord S. Augustini & sedis Apostolicæ Capellanus &c.* Facta dein mutatione aliqua, sanctimoniales, retentâ priori Regulâ, habitum Ordinis S. Dominici induerunt, quem & hodiedum gestant. Ad Priorissarum seriem spectant sequentes.

CATHARINA de PETERSHEIM Ann. 1390.
EVA de SAUVELENHEIM Ann. 1454.
ELISABETHA WEGLIN de DIRMSTEIN Ann. 1508.
MARIA MAGDALENA FIGELIN Ann. 1676.
MARIA ELISABETHA VAILLANT ob. 1703.
MARIA ROSA KRESSIN ob. 1724.
MARIA JOHANNA ALTWAGERIN. hodiedum superstes.

Observavimus de cætero, interiori Ecclesiæ solido parieti insertum vetus marmor quoddam, continens in latitudine palmas II. in longitudine vero IV. sequenti hac notatum Epigraphe.

Hic. Pausat. Corpus. Azduaiuhi, Cujus.
Anima. Gaudet. in. Cœlo.

vid. TAB. IV. Fig. III.

Venerandæ illud antiquitatis monumentum, quod unà cum sacris Reliquiis, seu Roma ex Catacumbis, seu aliunde, huc olim transmissum portamus, curiosorum oculis sistere duximus non incongruum.

II. Mo-

II.

Monasterium S. Mariæ in Enkenbach,

Ord. Præmonstratensis.

Condiderat Vir quidam Illustris, HUNFRIDUS nomine, haud procul Lutra-Cæsarea, sat grande ædificium, quod unà cum districtu suo, Divo Norberto sacratum esse voluit; hujus itaque instituti, ac Regulæ Viris ex Monasteriensi, vulgò Munster-Dreysa, Coënobio, accitis, postquam illud tradidisset incolendum, mutata mox sententiâ, optavit ut ipsi Otterbergensibus in eo locum facerent. Hinc lis inter utriusque Coëtus Abbates desuper orta est, quam demum Anno MCXC. CONRADUS II. Worm. Antistes, supremus ab HENRICO Rege ad hoc judex constitutus, diremit, Prob. 93. ac secundùm Monasteriensem pronuntiavit.

Imposita tunc loco selecta Virginum Ord. Præmonstratensis ejusdem Colonia, cujus præ-primis benefactores exstitêre, hinc Wormatiensium Præsul HENRICUS Anno MCCXXI. inde WERNHERUS de BOLANDIA, ejus- Prob. 111. que frater germanus PHILIPPUS de FALKENSTEIN Anno MCCLIV. ab iis Prob. 139. enim Jura patronatus in Egersheim, & Freinsheim, cum omnibus emolumentis processerunt; quin ad absolvendam universi Claustri structuram, haud parum opis contulerunt EBERHARDI Worm. Episcopi litteræ commendatitiæ, eum in finem Anno MCCLXV. emanatæ, dum idem ipse, ut locum Prob. 152. quietiorem redderet, contestatum jam ab Anno MCCXXIV. Jus advocatiæ, Prob. 113. sibi, suisque in Worm. sede successoribus Anno MCCLXXI. acquisivit. Prob. 156.

Verum; sævis postmodum ingruentibus temporibus, tantum æris alieni contraxêre sanctimoniales, ut eo solvendo plane impares cum essent, di- Prob. 160. stractis pro rei necessitate ac exigentia, jam aliquot prædiis, quod reliquum superfuerat, hoc unà secum in protectionem FRIDERICI Worm. itidem Episcopi commisere Anno MCCLXXVIII. Factum probante Abbate in Munster-Dreysa, quà loci directore.

Ex Præpositis hujus Asceterii occurrunt DUDO, & BERTHOLFUS, quorum ille testis occurrit in litteris Anni MCXC. alter vixit sæculo XV. ineunte.

Ex Magistris, seu Priorissis, non nisi duas comperimus, & quidem unius, ejusdemque nominis: AGNETEM enim præferunt litteræ tum Anni MCCLXXVIII. tum Anni MCCCXCVII.

III.

Monasterium S. Mariæ in Fischbach,

Ord. S. Augustini.

Patribus Monasterii Hegenensis Ord. Canonicorum Regg. S. Augustini, commissum ac donatum fuerat Anno MCCCLXXXIX. vetus Oratorium

quoddam in loco Fischbach, intra districtum Parochiæ Hochspyr, Dioec. Worm. situm. Hoc dum varie excultum, sub almo B. Mariæ Virg. patrocinio ut plurimum deinceps coepisset efflorescere, quin & multis inclarere miraculis, ita ut languentis populi ad illud undique confluxus magis ac magis in dies augeretur, visum est ædiculam arctis hactenus circumscriptam limitibus, novis ampliare structuris; Factum inprimis probantibus nec non simul promoventibus Friderico II. & Reinhardo I. Wormatiensium Episcopis, quorum ille locum Anno MCCCCXXXII. indulgentiis ac vectigalibus a se auctum, supra memorato Hegenensi Cœnobio incorporavit, alter condendi in eodem novi Parthenonis autor exstitit.

Prob. 269. Re itaque sub Annum MCCCCLXXI. maturo consilio pertractata, mox operi manus admota fuit; interea vero adscitæ advenerunt ex Lippia, Westphaliæ Oppido, sanctimoniales, Regulam Divi Augustini dudum professæ, quibus locus, ubi primùm suis numeris absolutus stetit, ad inhabitandum traditus est, non sine fructu, siquidem adhuc Anno MDLV. *Anna* de *Brechtelen* Magistræ officio in eodem fungebatur.

IV.

Monasterium S. Stephani in Franckenthal,
Ord. Can. Regg. S. Augustini.

Absoluto, quod Erkenbertus, & Rilindis, pii, nobilissimique conjuges, sub Annum MCXIX. conjuncta manu ædificare coeperant, Franckenthalensi Canonicorum Regularium Coenobio; mox alterius pro Foeminis jacta fuêre fundamenta; cum enim prius illud Fundator per semet regendum suscepisset, ejus exemplo permota Fundatrix, jugum Domini & ipsa subiit. Quapropter, condito haud procul inde Asceterio, quod Anno MCXXXIX. absolutum, Buggo Worm. Episcopus, Divo Stephano Protomartyri dicavit, in illud secedens matrona religiosissima, præclarum Antistitæ munus inter ejusdem Ordinis S. Augustini Virgines implevit, sanctioreque disciplina honoratam exercuit senectutem.

Substitit autem novellum hoc plantarium usque in Ann. MCCCCXXXI. quo eliminatis inde, ob mores corruptos, sanctimonialibus, Eugenius IV. Pont. universos ejusdem proventus, supradicto majori Franckenthalensi Monasterio unitos voluit.

SERIES MAGISTRARUM.

Adelheidis.

Contractum quendam iniisse reperitur Anno 1263. cum Wolframmo de Lewenstein.

Bertradis.

De consensu Gudæ Priorissæ, totiusque Conventus sui, bona quædam alienat An. 1296.

Demudis.

Bertradim in regimine excepit, parique cum ipsa, necessitate pressa, de prædiis sui monasterii quædam divendit Anno 1299.

Agnes

AGNES.

Occurrit in litteris Anni 1333.

HUSELA de HOHENHART.

Transigit super lite quadam cum Wernhero Colb de Wartemberg An. 1351.

ADELHEIDIS de WATTENHEIM.

Exstant ejusdem litteræ Emphiteuticæ datæ Ann. 1364.

MARGARETA.

Omnium, ut videtur, postrema; siquidem ejus mentio recurrit ad Ann. 1419. quo tempore disciplina regularis paulatim imminui coëpit; ac in totum evanescere.

V.

Monasterium Hagenense Ord. S. Augustini.

In notitiam hujus quondam Parthenonis, siti juxta Bolandiam, nos inducit charta sequens.

„ Ego BEATRIX, Magistra, & reliquæ Dominæ in *Ecclesia* HAGE-„NE, Ord. S. Augustini *Worm. Diœcesis*, recognoscimus —— quod nos, ac-„ cedente consensu venerabilis Patris D. CYPRIANI, Abbatis, & Conven-„tus in Franckenthal, *ad quos spectat gubernatio, & regimen domus nostræ,* „ agros nostros apud Geroldsheim &c. D. Abbati, & Conventui Monasterii „ Schonaugiensis concessimus jure hæreditario possidenda &c.

„ Dat. Anno MCCLXXXV.

Præterea; exstat syllabus sanctimonialium quæ in eodem illo Asceterio simul vixêre ad Annum MDXV. sub regimine MARGARETÆ N. Abbatissæ, quem hic subjicere visum est.

MARGARETA a LAUTERN.
SCHOLASTICA ab HOHENECK.
ELISABETHA de LAUTERN.
MARGARETA de ENGELSTAT.
CATHARINA de STEIN.
GERTRUDIS de WINTHAUSEN.
CATHARINA de HOHENSTEIN.
ELISABETHA de SOETERN.
CLARA de SOETERN.

Ex his MARGARETA de ENGELSTAT, in Abbatissam creata fuit circa Annum MDXL. an autem tristi Monasterii sui fato supervixerit, quando nimirum GEORGIUS Dux Palatinus, lineæ Simmerensis, illud sibi usurpavit, habemus incompertum.

VI.

Monasterium S. Mariæ in Heddesheim,

Ord. Cistercienfis.

Discimus ex Visitatione Dioëcesana, jussu Joannis Dalbergii, Wormatiensis Episcopi Anno MCCCCXCVI. facta, exstitisse olim hìc loci vetus Virginum Asceterium Ord. Cistercienfis, sub directione Abbatum S. Disibodi; Verum illud tunc temporis jam inter rudera disjectum, nihil pristini splendoris, seu potius existentiæ suæ, ostentasse præter Oratorium divo Prothomartyri Stephano sacrum, cujus Jus Patronatus supradicti Abbates sibi retinuerant.

Locus ipse Filialis erat Parochiæ in Colgenstein, sub decanatu Rurali Neo-Leiningensi comprehensus.

VII.

Monasterium Cœli-Coronæ in Hocheim,

Ord. Can. Regg. S. Augustini.

Thyrolfus Smützel, Vir genere nobilis, sed religione, caritateque christiana clarior, dum, quod animo dudum conceperat, Monasterii alicujus instituendi propositum, Agneti conjugi aperuisset; illa mariti sententiam ardenter amplexa, suis & ipsa juvit opibus; sicque amplissimam, quam in villa Hocheim, haud procul urbe Wormatia possidebant hæreditatem, Jesu Christo, ejusque Virgini Matri integre dicarunt; tum Prob. 161. condito ibidem, sub annum MCCLXXVIII. ex Friderici Worm. Antistitis autoritate, Cœnobio, cui nomen Coeli-Corona mox inditum fuit, castis Virginibus, Divi Augustini regulam profitentibus, quas tamen prior, seu alius Fratrum Ord. Prædicatorum, in spiritualibus perpetuo dirigeret, illud incolendum tribuêre.

Coëptam deinde Templi fabricam strenue urserunt, pii conjuges, qua demum Anno MCCXCIII. absoluta, earum Filia unica Agnes, quam interea susceperant, primam se se Deo viventi hostiam obtulit, ac in novum Parthenonem recepta, reliquis sociabus suis opere ac exemplo ad obitum usque præluxit. Ejus tumulo sequens inscripta legebatur Epigraphe.

Anno Dom. MCCCXXI. in crastino Sancti Andreæ Apostoli ob. Soror Agnes, *Filia Dom.* Tyrolfi *militis, Fundatoris hujus claustri.*

Filiam autem religiosissimam parens optimus Anno MCCCXVIII. die vero X. Julii ad beatam æternitatem jam præcesserat, ut ejus quoque Epitaphium nos edocet.

Miles hic insignis, quem laudibus excolo dignis
Coeli-corona; *bonum Patrem, propriumque Patronum,*
Mille trecenteno, sexto anno cum duodeno,
Astra petit, decimo Julii; Cælo receptus, ab imo.

Visi-

Visitur præterea ibidem in navi Ecclesiæ Tabula ænea, quæ operæ fusorio versus sequentes exprimit.

DYROLFF *vir gnarus, operum fulgedine clarus,*
Hæc loca plantavit, protexit, atque rigavit,
Bis sex millenis Libris, annis quadragenis.
Forcior mens in Eo, poeiorque Jude Machabæo;
Hinc cæleste Forum, sibi poscunt vota SORORUM.

Unde discimus, virum munificentissimum integro XL. annorum spatio, quo post fundatum a se monasterium, superstes vixit, quotannis XII. Librarum millia ad opus ejusdem, liberali manu contulisse. Huc quoque spectat ipsius Testamentum.

Nos DIROLPHUS, miles, & AGNES, conjuges, Cives Worm. fundatores Claustri ad COELI CORONAM in Hocheim, Ord. FF. prædicato-Worm. Dioecesis, ad honorem omnipotentis Dei, & B. Virginis Mariæ, & omnium sanctorum, & in remedium animarum nostrarum, & animarum omnium progenitorum nostrorum, de mille, & trecentis maldris siliginis mensuræ Worm. quæ in certis & perpetuis redditibus habuimus in villis, & terminis infrascriptis, testamentum nostrum ordinavimus in hunc modum; Primo quidem ordinavimus centum viginti maldra pro dote altarium quæ in Ecclesia dicti claustri consecrata sunt &c. apud eandem Ecclesiam in Choro sororum sepulturam nostram elegimus, quam immutabilem esse volumus —— item ordinavimus XL. maldra pro anniversaria videlicet mei Dirolphi militis prædicti, CAROLI, & EVÆ, parentum meorum, item AGNETIS prædictæ, conjugis meæ, CONRADI, & AGNETIS parentum suorum, AGNETIS, & EVÆ, filiarum nostrarum, item; CAROLI & MARGARETÆ, DIROLPHI, & EVÆ, item; CONRADI & GUTÆ, RICHERI, & HILDEBURGIS, avorum nostrorum, & aviarum nostrarum; item; HUNOLDI Patrui mei, & LUDOVICI Patruelis mei, item sororis ALEIDIS Priorissæ, quæ pro tempore hujus ordinationis officium suum XVII. annis tenuerat laudabiliter & honeste ——

Datum Anno MCCXCIX. IV. Kal. Maji Anno XX. a Fundatione Claustri.

Secuta est demum conjux conjugem, eique in cœlis consociata; quod ipsum innuere videtur ejus sepulchralis Inscriptio.

Anno Dom. MCCCXXIX. V. Kalend. May ob. Domina AGNES. *Uxor Dni* DYROLFI *militis, pia Fundatrix hujus loci.*

Cæterum fata, quæ splendidum ac sumptuosum opus illud deinceps exagitarunt, eadem videntur fuisse, quæ circumjacentium cœnobiorum, nisi quod inductâ sub annum MCCCCXXX. ex Schonen-Steinbach nova Virginum Coloniâ, in melius fuit reformatum, quanquam postmodum unà cum reliquis in Palatini Electoris manus devenit, jure, an injuria? nec hìc quærimus. Certe postremis illis temporibus locum hunc amplissimis adhuc instructum fuisse vectigalibus, vel exinde colligimus, quod totidem fere quot in fundationis suæ primordio videlicet XXII. virginibus sacris alendis suffecerit, ut ex sequenti notula Anno MDXVIII. confecta constat, quam & proinde hic visum est apponere.

BAR-

Barbara a Bach. *Priorissa.*
Guda Camerissa de Wormatia.
Appolonia a Mersbach.
Margareta a Mersbach.
Anna Kranch a Kirchheim.
Elisabetha Steiff.
Adriana vom Velt.
Margareta a Falkenstein.
Dorothæa Blick a Lichtenstein.
Otilia ab Ernberg.
Margareta a Flersheim.
Catharina a Montzingen.
Anna a Cronberg.
Catharina a Mosbach.
Clara a Landau.
Apolonia a Wachenheim.
Elisabetha a Dirmstein.
Margareta a Dirmstein.
Margareta a Dalsheim.
Elisabetha Camerissa de Wormatia.
Anna de Sauvelenheim.

Exſtitit inſuper hic loci, prope coëmiterium parochialis Eccleſiæ, Clusa Beguinarum, cum Oratorio, quam Margareta de Rimichem ex Colonienſi ditione oriunda, *ad laudem omnipotentis Dei, beatæque Virg Mariæ, & omnium ſanctorum ædificari fecit*, ut habent Innocentii VI. Pontificis litteræ confirmatoriæ Anno MCCCLXII. deſuper emanatæ. Hanc Fratrum Prædicatorum curæ pariter commiſſam, cum Reinhardus Worm. Præſul ſub annum MCCCCLVI. ſupradicto Cœnobio ſanctimonialium unitam ac incorporatam vellet, obniti coëpere contra Decanus, & Canonici Eccleſ. S. Andreæ; aſt interveniente Calixti III. Pont. auctoritate partes invicem conciliatæ ſunt.

SERIES PRIORISSARUM.

Adelheidis. Præfuit annis XVII.
Jutta.
Margareta.
Clara.
Metza de Wynheim. Vixit Anno 1388.
Elisabetha de Boppardia. Ann. 1391.
Anna de Rodenstein. Ann. 1395.
Erlandis I. de Frisenheim. Ann. 1408.

N..

N.. de RODENSTEIN. Obiit Ann. 1414.

ELISABETHA de FRISENHEIM.

AGNES de MOGUNTIA. Vixit Ann. 1417.

ERLANDIS II. de FRISENHEIM. Obiit Ann. 1427.

GUDA CAMERISSA de WORMATIA. Hæc ultro cessit honoribus.

CATHARINA de MOGUNTIA. Hæc sub Ann. 1429. Ascetерii sui reformationi sedulo intendit; arduumque opus illud perfecit.

MARGARETA ZORN. Hæc dignitatem sponte abdicavit.

CATHARINA ab HIRSCHHORN.

HILDEGARDIS ab HIRSCHHORN.

ELISABETHA de FLERSHEIM.

MARGARETA de GEMMINGEN. Obiit Ann. 1473.

ANNA de RODENSTEIN. Obiit Ann. 1476.

MARGARETA LINERT. Obiit Ann. 1482.

JOANNA de SICKINGEN. Rem auxit oëconomicam, ac monasterium variis ædificiis ornavit. Obiit Ann. 1493.

ANNA de SCHOTT. Breve regimen ejus vix menses VI. adimplevit.

CATHARINA a BACH. Obiit Ann. 1497.

GUDA CAMERISSA de WORMATIA. Electa in priorissam Ann. 1497. feria V. post pascha, confirmatur anno eodem die ultima Martii.

BARBARA de BACH. Vixit Ann. 1518.

VIII.

Monasterium Horti S. Mariæ vulgò Kirschgarten, Ord. Cisterciensis.

Locus erat ad urbis Wormatiensis moëmia positus, situ peramoenus, nec non simul censu dives; hunc cum annexa piscinâ, quam præterfluens Ysenna rivus efformabat, postquam Anno MCCXXVI. ab HENRICI II. Worm. Episcopi munifica manu accepisset Camerarius ejus RICHEZZO, feudi lege deinceps possidendum, coëlestibus aliquando desideriis inflammatus, coëpit cum AGNETE conjuge super sacri alicujus loci constructione frequens inire consilium, dumque sic ambo pergunt in proposito, placuit tandem ex supradicto Fundo Coënobium sanctimonialium constituere.

Prob. 130. Impetrato itaque LANDOLFI Antistitis sui prævio ad hoc consensu, opus magno ardore inchoatum, pii Fundatores intra breve tempus absolverunt, illudque circa annum MCCXXXVII. Virginibus Cisterciensium disciplinam profitentibus præbuère incolendum, a quibus simul ipsi, sanctitatis ac vitæ exempla purioris haurirent.

Tunc loco, quem Abbas Otterbergensis tam suo, quam Successorum suorum nomine, regendum suscepit; Titulus: HORTUS S. MARIÆ, seu quod cerasorum maxime ferax esset, HORTUS CERASORUM, vulgò KIRSCHGARTEN, inditus fuit; multisque eum prædiis ac beneficiis locupletarunt
Prob. 129. & 134. EBERHARDUS Comes de EBERSTEIN Anno MCCXXXVI. SIFFRIDUS de STARKENBERG Anno MCCXL. ARNOLDUS Dapifer de WINNENHEIM, ejusque uxor AGNES Anno MCCLXXII. tum & WERNHERUS Archiepiscopus Moguntinus, qui Ecclesiam in Munzheim, donum quondam
Prob. 158. HENRICI Comitis Gemini-pontis, ejusque Conthoralis AGNETIS, eidem Asceterio, simul cum universis juribus ac proventibus suis incorporavit Anno
Prob. 174. MCCLXXIII. accessit Ecclesia in Haselach, ex Liberali munificentia ADOLFI Regis, quando jam præcesserat RUDOLFI I. Diploma protectorium Anno MCCLXXXII. Oppenheimii emanatum, juxta quod CAROLUS IV. Imp. suum pariter Anno MCCCXLVIII. iisdem monialibus gratiose indulsit, Wormatiæ.

Floruit autem sic per aliquot sæcula continua locus sacer, multisque interea vectigalibus auctus est; ast ubi, laxatis aliquando disciplinæ pristinæ habenis, cuncta in pejus ruere cœperunt, nec emendationis spes affulgeret ulla, FRIDERICUS a DOMNECK Wormatiensium Præsul, enatum inde grave scandalum diutius non sustinuit, sed, eo radicitus sublato, novam Canonicorum Regularium S. Augustini Coloniam Anno MCCCCXLIII. vacuo Parthenoni induxit, quæ tamen posteris temporibus, & ipsa inde avulsa, nec non penitus destructa fuit.

SERIES ABBATISSARUM.

BEATRIX.

Hæc, teste anonymo kirschgartensi, una ex primis fuit quæ sacri hujus loci regimen gesserunt.

HILDEGARDIS.

Exstant hujus litteræ emphiteuticæ, datæ Anno 1269. quarum initium sic habet: *Nos* HILTIGARDIS *Abbatissa, totusque conventus monialium ad Hortum beatæ Virg. extra muros Worm. Cisterciens. Ordinis &c.* Sub ea primævi instituti fervor in tantum viguit, ut coëtum tam pulchrè ordinatum suis dignum gratiis judicaverit Rex Adolfus siquidem Anno MCCXCIIII. Jus patronatus Ecclesiæ in Haselach, quod tunc unà cum proventibus ad Imperium feudi lege spectabat, eidem contulit, accedente etiam Friderici Spirensis Episcopi, utpote loci Diœcesani, consensu.

LUTGARDIS.

Hildegardin in dignitate videtur excepisse, prout id innuunt ejus litteræ datæ Anno 1303. per quas anniversariam Ditzonis de Bussingen militis, nec non Gudæ ejusdem collateralis memoriam condit.

CLA-

CLARA.

Bona quædam in Nittesheim alienasse reperitur Anno 1330. de consensu Henrici Abbatis Otterbergensis.

MECHTILDIS.

Hæc quoque bona quædam sui Asceterii divendit Anno 1359.

CATHARINA HOLDERBAUM.

Occurrit in litteris Anni 1385. pro Ecclesia Collegiata S. Martini Worm.

MARGARETA SPENNE.

In Catharinæ locum surrogata, haud diu in eodem superstes remansit.

AGNES de KEDENHEIM.

Successit Margaretæ sub annum 1389. sitque adhuc ejus mentio in litteris Anni 1392.

BENIGNA.

Hæc contractum quendam cum Capitulo Ecclesiæ Colleg. S. Andreæ Worm. iniit Anno 1417.

GUDA de BUCHES.

Vixit Anno 1435. videturque omnium fuisse ultima: quandoquidem Anno 1443. ex autoritate Episcopi Worm. locus cessit Canonicis Regg. S. Augustini.

IX.

Monasterium Sanctæ Mariæ Virg. in Liebenavve,
Ord. S. Dominici.

Exstabat olim ad lævam vici Neuhausen, vetus ædificium, quod passim *Columbarium* vocabatur. Hoc postquam Cives Worm. Anno MCCLXXXVIII. per seditionem devastassent, ac evertissent funditus; rudera a Neuhausensis Ecclesiæ Canonicis sibi acquisivit JACOBUS ENGELMANNI, dictus HOLDERBAUM, vir dives, sed improlis, proinde locum ipsum in pios usus convertere statuit. Oblatis itaque CHRISTO cunctis opibus suis, de Parthenone in ipsius, nec non divæ Matris ejus, honorem Prob. 181. rite instituendo, unice fuit sollicitus. Jam, positis fundamentis, surgere coëperant claustrales ædes, templumque iisdem cohærens, magna sui parte stabat absolutum, quin & loco sacro fundis ac vectigalibus abunde dotato, nomen LIEBENAWE a LIEBA, supradicta Jacobi conjuge jam inditum fuerat, quando Fundator optime meritus, in medio velut operum conatu, Anno MCCC. ad cœlestia præmia evocatus est.

Hanc tam eximiam Civis sui pietatem in vanum cedere, non tulit EBERWINUS, Wormatiensium Præsul, sed, ut erat animo ad Divinum cultum promovendum pariter intento, manum intermisso operi admovens, tum illius, tum & propriis expensis quod reliquum fuerat ædificiorum explevit; accitâque mox ex ordine Divi DOMINICI (cujus tunc maxima ob disciplinæ mores ac pietatem celebritas erat) sacrarum Virginum Coloniâ, iis locum tradidit excolendum.

Quam felicibus autem auspiciis novelli illius Asceterii res ac status, deinceps processerint, quantaque apud omnes existimatione effloruerit, testantur Inscriptiones, & monumenta sepulchralia, quibus olim ejus Basilica decorata fuit. Hic enim loci conditæ fuerunt post obitum duæ IRMENGARDES, lectissimæ virtutis matronæ, quarum illa ADOLFI Palatini Comitis relicta uxor, LUDOVICI vero Comitis OETINGENSIS ex AGNETE WIRTEMBERGICA Filia, S. Dominici institutum arripiens, pudicitiam, genus, opes, & formam, CHRISTO consecravit, felicius cœlesti sponso imposterum sociata, sanctimonialis obiit; alteram cum fama sanctitatis mortuam celebrant scriptores; utriusque Epitaphium hic accipe.

Anno Dom. MCCCLXXXIX. in die S. Leonhardi conf. obiit inclyta Domina, soror IRMIGARDIS, *quondam legitima Sereniss. Principis, Domini* ADOLFI, *Comitis Palat. Rheni, & Ducis Bavariæ, cujus parens Dominus* LUDOVICUS *de* OETINGEN, *Mater vero de* WIRTENBERG, *de Illustribus Comitibus, quæ floruit in ordine Prædicatorum XL. annis, multis virtutibus.*

***

Anno Dom. MCCCLXXI. Kalend. Januarii obiit devota Domina ARMEGARD *Comitissa de* NAZZAW.

His Adolfi, Infantis, Bavariæ Ducis, ac Comitis Palatini Rheni, tum & quæ aliarum Illustrium personarum fuere Inscriptiones funebres, pariter visum est subjicere.

Anno Dom. MCCCLVIII. in die Apostolorum Philippi & Jacobi Ob. Nobilis Dux ADOLFUS, *puer trium annorum.*

***

Anno Dom. MCCCCLXVI. in die Sancti Clementis Ob. Inclyta Domina MARGARETHA *Filia legitima Sereniss. Principis, Domini* LUDOVICI *Comit. Palatini, Ducis* BAVARIÆ *ex* MARGARETA *de* SABAUDIA.

***

Anno Dom. MCCCCLXXIX. in Vigilia beatæ Mariæ Magdal. Ob. Nobilis Dom. MARGARETA, *soror Ord. prædicatorum velata; Filia Domini Comitis* UDALRICI *de* WIRTEMBERG *legitima.*

***

Anno MDIII. quinta die mens. Septembris Ob. devota soror MARGARETA *de* HANAW, *generosi Domini Comitis* PHILIPPI *de* HANAW *Filia inclyta.*

Cæ-

Cæterum; inclinatam aliquando hic loci regularem disciplinam, feliciter instaurasse fertur PETRUS de GENGENBACH cui pio operi cum fuisset immortuus, talem promeritus est Epigraphen.

Anno Dom. MCCCCLII. XVI. Kalend. Januarii Ob. Reverendus Dom. Pater, Frater PETRUS *de* GENGEBACH, *hujus monasterii Reformator, Filius Conventus Argentinensis. Ord. Prædicat.*

SERIES PRIORISSARUM.

MARGARETA.

Acquirit bona quædam ab Ulmanno de Flamborn Anno 1370.

AGNES SCHEULREN.

Hujus mentionem faciunt litteræ Emphiteuticæ Ann. 1393.

ELISABETHA SCHENCKIN de ERPACH.

Transigit Anno 1410. cum Joanne de Wachenheim super lite quadam.

DOROTHEA.

Fuit hæc RUPERTI Rom. Regis, ex OTTONE fratre Com. Palatino de MOSBACH Neptis; reliquos titulos præfert ejus Epitaphium, quod quondam tale exstitit.

Hic jacet Bavariæ Ducis OTTONIS, *ex* JOHANNA *conjuge de Bavaria, atque Austriæ Regiæ propaginis Filia; hujus Sancti Coenobii celebris Priorissa; quæ obiit Anno Dom. MCCCCLXXXII. idus May Ascens. Domini.*

Salva sit O! DOROTHÆA, *anima tua:*

BARBARA GOLTHUS.

Hæc quoque, serie aliquantum interrupta occurrit. Diciturque obiisse Anno 1502.

URSULA de WESTERSTETTEN.

Sub hac Anno MDXV. simul & semel vixisse reperiuntur sanctimoniales Numero XIII. omnes genere nobiles, quas proinde hic recensere juvat.

ANNA a WACHENHEIM.
ELISABETHA de BETTENDORFF.
ELISABETHA a WACHENHEIM.
ELISABETHA de GEISPITZHEIM.
APOLONIA GOELER de RAVENSPURG.
CATHARINA de RODENSTEIN.
OTILIA GOELER de RAVENSPURG.
CHRISTINA de UDENHEIM.
WALPURGIS de BETTENDORFF.

 BAR-

Barbara de Hentschuesheim.
Apolonia a Schawenburg.
Gertrudis de Wolffskeel.
Elisabetha a Dalsheim.

Obiit autem ſupradicta Prioriſſa Anno 1535. ut conſtat ex ejus Epitaphio.

Anno Domini MDXXXV. die VIII. Decembris Ob. devota & nobilis Mater Ursula *de* Westerstetten *Prioriſſa hujus lobi.* *C. A. R. I. P.*

X.

Monaſterium S. Mariæ in Lobenfelt,
Ord. Ciſtercienſis.

vid. Prob. 81. Quo tempore, Anno videlicet MCXLV. Megenlahus de Obercheim, vir Illuſtris, conjunctâ manu Fratrum ſuorum Wolprandi, & Hermanni, quaſdam communis ſubſtantiæ ſuæ res, monachis Schonaugienſibus fruendas tradidit; prædium Lobenfelt in proximo pago Craichgowo ſitum, quod tunc ſolus poſſidebat, Divino pariter cultui agendo dicatum eſſe volens, in Franckenthalenſi cœnobio ad aram Principem Chriſto, ejusque Virgini Matri obtulit.

Inſigne, ac nobile donum, coram univerſa ſacri loci Congregatione Burchardus, hujus nominis II. Wormatienſium Antiſtes, & ipſe præſens, ritu ſolemni ſuſcepit, nec non juxta piam Fundatoris mentem, in puellaris monaſterii conſtructionem totum convertit: Verum, adſcitæ ex Divi Auguſtini Familia ſanctimoniales Virgines, pedem vix in eo fixerant, cum obeunte Megenlaho, Conradus III. Rom. Rex idem prædium Lobenfelt, atque adeo ipſum Aſceterium jure hæreditario ſibi evincere propoſuit, eviciſſetque, ni Divinum honorem ſuo præferre duxiſſet ſatius; proinde ſolita uſus benignitate, novellam plantationem, in Fundo controverſo, non ſolum confirmavit, ſed & eandem ſimul cum univerſis attinentiis ſuis, Regia, ſeu Imperiali protectione perpetuum gaudere voluit, nec alterius cujuscumque ſubjacere judicio.

Hinc, ubi ſub annum MCLXXXI, Boppo Comes. de Louffen ex amica ac mere gratuita defenſionis opera, quam parens ejus Boppo, Parthenoni huic, dum viveret, multoties impenderat, jus quoddam Advocatiæ elicere, illudque ſibi arrogare præſumpſiſſet, ſtitit juvenis audaciam Fridericus I. Cæſar, eumque coram ſe citatum, nec non a Conrado II. Prob. 92. Wormatienſium Præſule injuriarum convictum, eo adegit, ut prætenſum jus ſuum ultro a ſe abdicarit.

Cæterum; quæ loco primitus inductæ fuerant Auguſtini Leges, ſeu infeliciter procederent, ſeu temporum id exigeret ratio, in iis abrogandis egiſſe videtur Eberhardus I. Epiſcopus, ſiquidem poſt annum MCCLXX. quo adhuc in viris exſtitit, nulla Aſceterii hujus *Magiſtrarum* amplius mentio fit, ſed illud per *Abbatiſſas* regulam Ciſtercienſium profeſſas, regi deinceps

ceps solitum testantur reliquæ chartæ superstites, notanter LUDOVICI IV. Rom. Regis Diploma, datum Heidelbergæ Anno MCCCXXVI. die XVI. Kal. Julii, per quod omnia ac singula ejusdem privilegia a novo stabilit; quanquam successu temporis labescente rursum disciplinæ vigore, hunc Anno MCCCCLIX. erigere, ac in pristinum statum revocare opus habuit REINHARDUS itidem Worm. Præsul, donec tandem per sequiora fata plane concidit, & locus sacer in solitudinem conversus fuit.

SERIES ABBATISSARUM.

ADELHEIDIS.

Hujus mentionem faciunt litteræ certi cujusdam contractus Anno 1272. cum Schonaugiensibus initi.

SOPHIA.

Possessiones quasdam acquirit Anno 1327. a Boppone de Steinach.

MARGARETA de HELMSTAT.

Transigit Anno 1331. super lite quadam cum Bertholdo de Aglasterhausen.

MECHTILDIS.

Ablata per vim nonnulla Asceterii sui bona, ope, ac potenti protectione Ruperti, & Rudolfi Palatinorum Comitum, adjuta, feliciter recuperat Anno 1337.

ANNA de BETTENDORFF.

Occurrit hæc, serie ut plurimum interruptâ, ad annum MDXL. fuitque Theodorici Wormatiensium tunc Episcopi soror germana.

XI.

Monasterium S. Bartholomæi in Nevv - Burg
Ord. S. Benedicti.

Stabat paulò supra Heidelbergam, in adverso Nicri fluminis littore Arx quædam, sub Laurisheimensis Abbatiæ dominio posita; hanc postquam ANSELMUS Abbas, deducta illuc, circa annum MXLIIII. monachorum suorum colonia, in Cellam, seu Præposituram, Divo *Bartholomæo* dicatam, convertisset, prius nomen *Arcis-novæ* vulgo *Nuvven-Burg*, eo quod haud ita pridem condita fuisset, simul retinere jussit; dum tamen insequenti tempore etiam *Nova-Civitas* interdum dicta est, ut vel ex LUCII II. Pontificis bulla protectoria constat, quam is MARQUARDO *Præposito Ecclesiæ Sancti Bartholomæi de* NOVA-CIVITATE, *ejusque Fratribus Regularem vitam professis &c.* Anno MCXLV. reperitur concessisse. Helvvich. antiq. Laurissh.

Verum ob sævos illos, ac frequentes bellorum motus, qui regionem hanc, seu Tractum Nicri multimode deinceps agitarunt, vel potius ob male ad-

administratam oeconomiam, collabentibus sensim ædificiis, etiam disciplinæ regularis vigor labescere coëpit; jamque locus propè desertus, ac Religione vacuus erat, quando CONRADUS Palatinus Comes, eundem instaurare proposuit, perpetuum Virginibus sacris futurum domicilium.

Solemni itaque cum Laurisheimensibus Tractatu desuper inito, manum operi admovit, illudque intra breve tempus absolvit. Ac tunc demum aggregato illic sub annum MCXCV. nobilium puellarum, ordinem S. Benedicti profitentium coëtu, Filiam suam CUNIGUNDIM eidem præfecit Abbatissam; Ne autem rei feliciter peractæ seriem subsecutura ignoraret posteritas, visum est eam, sub illustri Testimonio, litteris commendare in modum, qui sequitur.

„ SIGEHARDUS, Dei gratia, Laurensis Ecclesiæ Abbas, dilectæ in „Domino Filiæ, CUNEGUNDI, Abbatissæ de Nuwenburg, eique regulari„ter substituendis, in perpetuum.

„ Ad pastoralem curam, autore Deo, ideo vocati sumus, ut Ecclesiæ „nostræ honorem & utilitatem propagare vigilanti sollicitudine tum per Nos, „tum per alios, quantum Dominus donaverit, justis quibuscumque modis „possumus, intendamus. Eapropter, religiosis desideriis CUNRADI Illu„strissimi Palatini Comitis Rheni, & ejus nobilissimæ conjugis IRMINGAR„DIS, faventes, cum beneplacito Fratrum, & Fidelium, ac ministerialium „Ecclesiæ nostræ, concedimus: ut in cella nostra NUWENBURG liceat eis „Conventum sanctimonialium coadunare, sub Abbatissa, secundum Regu„lam Sancti Benedicti viventium; &, ut petunt, ejusdem cellæ melioratio„nem commendamus, ad hoc, ut quia pro ipsis congregationis numerum „admittimus, nobiscum manum apponant in ejus ædificationibus & facul„tatum ampliationibus, quatenus idem locus honesto conventui fiat accom„modatus, ut dum Deo famulantes inibi spiritualibus incumbunt exerci„tiis, temporalibus non destituantur auxiliis; Ne vero de jactura calumnie„mur quasi de corpore nostri monasterii hanc cellam amputaverimus, peti„tionem istam pro Divino obsequio ibidem ampliando, ipsâ tamen cellâ a „Dominio Laurensis Ecclesiæ jam alienatâ, admittimus; sane hoc distin„guentes, ut Abbatissa, & sorores cum ea venientes, a suo Magisterio „emancipatæ, solummodo respectum ad nos, & Monasterium Laurense de„inceps se noverint habere, pro eo, quod unum in vinculo Fraternitatis „a modo erunt nobiscum; cum Abbatissa eligenda fuerit ab ipsa congrega„tione secundum Dei timorem, ac beati Benedicti Regulam eligetur, & per „Abbatem Laurensem investietur, & ei faciet ore, & manu, obedientiam „secundum Regulam. Provisor idoneus per Abbatissam, & sorores, pro „beneplacito earum, de quo ordine voluerint, assumatur, qui respectum „ad Abbatissam habebit. Quod si ad benedicendam Abbatissam, vel Vir„gines Domino dicandas, Episcopus vocandus fuerit, per nos, & Abba„tissam illud procurabitur. Monachatum eis, cum visum fuerit, exhibebi„mus, quod nulli alii Abbati facere concedimus, sancientes: ut ordo, & „ vestium habitus hujus Inchoationis, per nullum in perpetuum immutetur. „Si quæ præcipua ordinanda illic fuerint, vel si quæ mota fuerint, quæ for„te Abbatissa diffinire non potuerit, protinus nos invitabit. Igitur, post „omnia, quia Deo placere credimus, ut merito & numero, servientes ei au„geantur, auctore Deo, felicibus auspiciis, dominæ Abbatissæ & ejus San„ctæ Congregationi præfatum locum cum suis pertinentiis, promptissima vo„luntate assignamus; & ne tractu temporis, oblivio Facti convalescat, præ„senti testamento confirmamus, & sigilli nostri solennitate roboramus.

„Actum

„ Actum Anno Dominicæ Incar. MCXCV. Indict. XIII. Imperante „ gloriosissimo Rom. Imperatore HEINRICO.

„ Hi sunt Testes : CUNRADUS Decanus Laurensis , EHREMFRIDUS „ Præpositus de Alden-munster, ERHARDUS Camerarius ; ALEXIUS Præpo- „ situs de Michelnstat ; EBERHARDUS Præpositus S. Michaelis, Mengot Cu- „ stos , Simon Portenarius, Siffridus Cellarius, & de ipso Conventu plures.

„ De Nobilibus : CUNRADUS Palatinus Comes Rheni ; HEINRICUS „ junior , Dux Saxoniæ; BOBBO Comes de LOUFFEN , EBERHARDUS Co- „ mes de EBERSTEIN , Jolphus Præpositus &c.

„ Liberi : Marcolff; Menger ; CUNRADUS de HIRZBERG ; Heinric. „ Ministeriales Laurensis Ecclesiæ : Herbordus , Burchardus &c. Ministeria- „ les Palatini Comitis : Bertholdus, Phungo HERTWICUS de LINDENFELS, „ & alii plures.

Reliquum fuerat , ut juxta quod præcedentia ferebant pacta , Conradus, novelli Parthenonis fundos ac redditus ampliaret; at morte præventus Princeps, quæ eum in finem animo conceperat , exequi haud potuit. Hinc re familiari paulatim extenuatâ , *nimiam* Sanctimonialium , etiam *in necessariis , paupertatem* misertus aliquando Laurisheimensis Abbas CONRADUS, eisdem benigne subvenit , collatis in commune ærarium proventibus , qui ratione juris patronatus Ecclesiæ Weinheimensis, sibi, suoque monasterio prius competebant. vid. supra in Diœcef. Worm. art. Weinheim.

Accessit deinde , etiam jus patronatus in Swetzingen , quod unà cum universis suis attinentiis, RUDOLFUS , & LUDOVICUS , Palatini Comites iidemque Bavariæ Duces, Lege concambii, in sæpedictas Abbatissam, & moniales Newburgenses Anno MCCCV. transtulerunt , quo tempore ob jurisdictionem spiritualem cum Episcopo Wormatiensi, ejusque majori capitulo, aliquantum collisæ erant: quanquam litis mox pertæsæ eorundem arbitrio sese submiserunt in hæc verba sequentia: vid. ibid. art. Swetzingen.

„ Nos ABBATISSA & CONVENTUS Sanctimonialium in NUEMBURG, „ omnibus ad quos præsens scriptum pervenerit, salutem.

„ Cum nos, & monasterium nostrum, subsimus Ecclesiæ Worm. & me- „ rito tam Domini Episcopi, quam Decani , & Capituli Ecclesiæ Worm. debea- „ mus salubribus obedire mandatis —— promittimus , & nos adstringimus „ per præsentes , quod abhinc inantea nullum alterius professionis, seu Regulæ „ visitatorem seu confessorem recipiemus aut assumemus, absque consensu Do- „ minorum Episcopi , & Capituli præfatorum. Quod si contrarium facere „ nos contingat , volumus : ut jus patronatus Ecclesiæ in Swetzingen —— „ cum universa decima ad eandem pertinente, nobis , & monasterio nostro in- „ corporata, sine qualibet contradictione, omni jure , quo possidemus, trans- „ eat ad Dominos Decanum & Capitulum Ecclesiæ Worm. prædictæ ——

„ Datum Anno Domini MCCCV. Feria VI. post Festum Apostolorum „ Petri & Pauli.

Certe firmas imposterum hæsisse in proposito Sanctimoniales fœminas; nec alium, præter Wormatiensem Episcopum tam in ordinando, quam & reformando, agnovisse superiorem, testantur inter cætera, FRIDERICI Electo-

ris Palatini litteræ Anno MCCCCLIX. editæ, quibus zelum, quem in hoc ipso REINHARDUS Præsul, assistente sibi EBERHARDO S. Jacobi Mogunt. Abbate, recenter adhuc demonstraverat, magnifice attollit. Quod utinam! & in reliquis Friderici successoribus mens eadem, præsertim orto jam fatali illo Religionum dissidio, perdurasset; staret fortassis etiamnum locus sacer, pristino suo splendore conspicuus, quando è contra per turbida fata varie distractus, vix dum integre aliquando in manus Patrum Societatis Jesu devenit, JOANNE WILHELMO, Electore Palatino, eundem unà cum juribus ac pertinentiis suis universis, ad opus Collegii Heidelbergensis liberaliter in perpetuum conferente, per litteras solemnes datas in Arce Bensberg die XXXI. Octobris Anni MDCCVI.

SERIES ABBATISSARUM.

CUNEGUNDIS.

Conradi Palatini Comitis ex Irmengarde conjuge, stirpis Hennebergicæ, Filia natu minor, Regimen novi Asceterii suscepit prima; idque circa Annum 1195.

IRMENTRUDIS de WEINHEIM.

Hujus mentio recurrit in litteris Anni 1273.

DEMUDIS de SPORO.

In Irmintrudis locum suffecta circa Annum 1280.

AGNES ULER de DIPPURG.

Vixit sub finem sæculi XIIII. visiturque etiamnum ejus Epitaphium, in hæc verba:

„ Anno Domini MCCCCVI. ipsa die Barbaræ Virginis ob. piæ memoriæ „Domina AGNES ULNERIN de DIEPURG Abbatissa hujus monasterii.

CATHARINA de ERLIKEIM.

Eam Anno 1513. Abbatissæ gessisse munus testantur diversæ litteræ.

CATHARINA.

Philippi Electoris Palatini Filia, priori videtur surrogata; siquidem jam Anno 1526. in vivis esse desiit, ut constat ex sequenti ipsius Epitaphio.

„ Anno Dom. MCCCCCXXVI. uf den XVI. tag Januarii ist verschieden „die Hochwurdig Durchleuchtig Furstin, Fraw KATERINA Abbatissin zu „Neuburg, geborne Pfaltzgrevin bi Rhein, und Hertzogin in Beyern. der Seelen Got gnade.

ANNA de FRANCKENSTEIN.

Occurrit in litteris Anni 1549.

HELENA de RIPPURG.

Annam in dignitate ac regimine excepit, haud diu & ipsa in utroque superstes.

BRI-

BRIGITTA.

Joannis II. Comitis Palatini, Lineæ Simmerenſis Filia, in Helenæ locum ſuffecta eſt Anno 1552. Obiit vero die ultima Aprilis Anni 1562. ætatis ſuæ 46. ab Orthodoxa Majorum Religione devia.

SABINA.

Domo PALATINA, Lineæ Bipontinæ, orta, Brigittam in Regimine excepit Anno 1562. quo ſupra, ut conſtat ex contractu quem ſub idem tempus ſuper bonis quibusdam iniit cum Eliſabetha de Nyppenburg Abbatiſſa in Seebach.

XII.

Monaſterium S. Mariæ vulgo Nonnen-Munſter extra Muros Wormatienſes Ord. Ciſtercienſis.

LUDOVICUM pium, CAROLI M. Imperatoris Filium, prima Aſceterii hujus fundamenta in quodam monte WALLENBERG nuncupato, jeciſſe, referunt Scriptores; hinc veteres profluxêre Rithmi:

Clauſtri Fundator LUDOVICUS *Induperator,*
Princeps egregius, cui det Deus poli jus.

Verum, quo in tempore illud inde translatum fuerit ad locum ubi nunc viſitur, non conſtat; hoc certum eſt, BURCHARDUM Wormatienſem Antiſtitem jam Anno MXVI. *Abbatiæ Monialium* S. MARIÆ, cui tunc germana ejus ſoror MECHTILDIS præerat, donaſſe, inter cætera, molendinum unum in Yſena rivo, qui communicato cum Abbatia hac alveo, mediam perluit Wormatiam Civitatem, juxta poſitam. Prob. 49.

Quod ſi ulterius in vitæ genus, ſeu vota inquirimus, quibus loci iſtius Virgines olim adſtrictæ erant, nec id facile aſſequemur; proinde noſſe ſufficiat, earum mores ſæculo XIII. ineunte, jam plurimum fuiſſe diſſolutos, ſiquidem ad Canonicarum ſæcularium ſtatum deflexerant, unde & LANDOLFUS Præſul Anno MCCXXXVII. curis omnibus ad Diœceſis ſuæ dignitatem, nec Prob. 131. non ſimul diſciplinam retinendam converſis, malo huic præprimis remedium adferre aggreſſus eſt.

Salutaribus itaque legibus, ſeu ſtatutis, eum in finem a ſe editis, emollitam dudum monialium illarum vitam ad eorum normam ſedulo exegit; at ubi impenſus labor omnis in vanum ceſſit, viſum eſt Landolfo collegium diſſolvere. Quam rem maturo judicio decretam, nec non unanimi majoris Capituli ſuffragio probatam, poſteaquam ſuis quoque litteris ratam habuiſſet GREGORIUS IX. Pontifex; placuit juxta ejusdem mentem, abrogata veteri, novam ex Ciſtercienſium ordine huc loci inducere Virginum coloniam.

Sic tandem deſolato Parthenoni priſtinum decus ſuum redditum eſt, quod & deinceps conſtanter retinuit; hinc bonis tam ſpiritualibus, quam tempo-

temporalibus abundare cœpit, *numerusque Sanctimonialium in Nunnen-munster* (quod notant chartæ veteres) jam Anno MCCL. *ultra solitum, in XX. erat feliciter augmentatus.* Suis quoque gratiis ac privilegiis locum eundem deinceps multimode ornarunt tum Romani Pontifices, tum Imperatores; nam præter
Prob. 163. NICOLAI III. Bullam protectoriam Anno MCCLXXIX. a sancta sede emanatam, exstant ejusdem tenoris plura, quæ Cæsares CAROLUS V. Wormatiæ die XXII. Junii Anno MDXLV. MAXIMILIANUS II. Augustæ Vind. die X. Maji MDLXVI. RUDOLFUS II. Viennæ, die ultima Julii MDLXXVII. FERDINANDUS II. ibidem die III. Novemb. MDCXXVI., tum & LEOPOLDUS Anno MDCLXXVI. ac denique JOSEPHUS die XVI. Julii Anno. MDCCVI. concessisse certum est. Iis autem omnibus merito accensemus
Joan.Script. Rer.Mogunt. tom. I. pag. 955. ANSELMUM CASIMIRUM, Archipræsulem Moguntinum, siquidem ad opus prædicti Asceterii contulit Anno MDCXLIIII. redditus universos, qui quondam ad Cœnobium in Gummerscheim spectabant.

SERIES ABBATISSARUM.

MECHTILDIS.

Antiquior hac occurrit nulla; vixit adhuc Anno 1025. inscripta veteri Necrologio his verbis:

II. Kalend. Februarii obiit MECHTILDIS *Abbatissa, soror beati* BORCHARDI, *Episcopi Worm. & requiescit corpus ejus in antiquo choro nostro.*

AGNES.

Ex Ordine Cisterciensi prima, post inductam reformationem, loci hujus Abbatissa; Regimen suum, de Landolfi Præsulis autoritate, auspicata est Anno 1240. Obiit Kalend. Aprilis Anni 1254.

JUTTA I.

Agneti surrogata; alienat Anno 1265. jus patronatus in Gartach; idque de consensu Ebelini Abbatis Cisterciensium. Obit Anno 1296. die festo S. Joann. Bapt.

IRMENGARDIS.

Exstant ejus litteræ Emphiteuticæ, quas Annis 1305. & 1307. confecit sub beneplacito Joannis Abbatis in Hemmerode, conventus sui tunc Visitatoris.

JUTTA II.

Hujus obitus refertur in Annum 1334.

ANNA de FRIESENHEIM.

Memoratur Anno 1344. in Tabulis testamentariis Wernheri de Wattenheim diciturque obiisse Anno 1346.

CHRISTINA de WATTENHEIM.

Henrici militis de Wattenheim, ex Adelheide conjuge, filia, Annam in regimine excepit. Ab hac luce subtracta die 12. Maji 1365.

TRUDI-

TRUDELA.

In Christinæ defunctæ locum substituta, quædam bona in favorem Capituli S. Andreæ Worm. alienasse reperitur Anno 1366. sub testimonio Joannis Claræ-Vallensis, nec non Henrici Eberbacensis, Abbatum ibidem præsentium.

MARGARETA de KETTENHEIM.

Huic diuturnum regimen fuit, siquidem Trudelæ succedens, obiisse fertur Anno 1404.

BARBARA.

Post Margaretæ obitum in Abbatissam electa, præfuit Annis XII.

LIEBA ad ANNULUM AUREUM,
vulgo, zum GULDIN-RING.

Anno 1416. ad Regimen assumpta; sequenti hoc elogio post mortem decorata est.

„ Anno Dom. MCCCCLIIIL VII. mens. Decemb. Ob. honorabilis Domina LIEBA, quæ hanc Domum XXXVIII. Annis feliciter rexit.

ELISABETHA de LINDENFELS.

Hæc pari, cum præcedente, felicitate rexit. Obiit Anno 1482. die 3. Kal. Martii.

CATHARINA de RUDESHEIM.

Vacantem, ex Elisabethæ obitu, dignitatem adiit, eique immortua est Anno 1500. die 10. Julii.

MARGARETA KREITZBERGER.

Francofurto oriunda, breve regimen habuit; defuncta Anno 1506.

APOLONIA.

Postquam Annis multis summa cum laude præfuisset, rediens ex balneis amesiacis, quæ valetudinis recuperandæ causa inviserat, ac ad Eberbacense Ord. sui monasterium ex itinere deflectens, illic vitæ finem, ac simul tumulum reperit cum hac Epigraphe:

„ Anno MDXXXI. Sexto Calend. Junii Obiit venerabilis Domina „APOLONIA Abbatissa in Nonnen-munster Wormat.

MARGARETA HALBQUERTIN.

Diem clausit supremum Anno 1543.

ELISABETHA HERDIN.

In Margaretæ locum substituta; obiit & ipsa Anno 1562. 3. Kalend. Aprilis.

MARGARETA KIESSLIN.

Hujus obitus refertur in Annum 1590. diem vero 7. Kal. Aprilis.

EVA SENGERIN.

Electioni de se factæ consensit quidem, sed eodem ipso Anno 1590. dignitatem ultrò posuit.

MARGARETA SEYFRIDIN.

Annis 22. continuis clavum tenuit. Obiit ætate gravis, Anno 1612. die 23. Januarii.

MAGDALENA KREUSIN.

Obiit Anno 1620. die 20. Decembris.

MARGARETHA LOTHRINGSHAUSEN.

Eligitur in Abbatissam Anno 1621. die 24. Januarii. Obiit Anno 1659. die 18. Junii ætatis suæ 71.

MARIA SALOME LASSERIN.

Margaretæ surrogata, præfuit Annis 14. Obiit Anno 1662. die 12. Octobris.

MARIA URSULA BENDERIN.

Spirensis; præfuit Annis 26. Obiit Anno 1698. die 6. Novembris, ætatis suæ 70.

ANNA BARBARA KOLBIN.

Eligitur Anno 1698. die 23. Novembris; obiit verò Anno 1703. die 25. Aprilis, ætatis suæ 53.

MARIA GERTRUDIS ECKENHAGEN.

Patria Coloniensis. Succedit in dignitate Abbatiali Anno 1703. supradicto, die 30. Aprilis; etiamnum superstes.

XIII.

Monasterium Dives, vulgo Reich - Convent.
Ord. Can. Regg. S. Augustini.

Erant DAVIDI de GUNTHEIM, militi, ædes amplissimæ, haud procul a Palatio Episcopali Worm. retro S. Stephani Oratorium conditæ; in has cum pro hospitis humanitate simul & pietate, admissæ aliquando fuissent Virgines, Tertiam Regulam S. Francisci professæ, crevit sensim earum numerus, ac in tantum profecit, ut jam Anno MCCXLVIII. sub titulo *Conventus Sororum ad S. Crucem* coëperit innotescere; ast ubi quidam GUDILMANNUS,
Prob. 178. Vir dives, omnia bona sua, tam mobilia, quam immobilia, Anno MCCXCIIII. huic loco contulisset, prioris benefactoris nomen, per novum hunc paulatim obliteratum fuit, & locus ipse deinceps haud aliter, quam *Conventus Gudelmanni*, seu *dives* audiit.

Hunc

Hunc, REINHARDUS à SICKINGEN, Wormatiensium Præsul, ad perfectiorem statum adducere aliquando aggressus, sanctimonialibus in eodem commorantibus, S. Augustini Regulam triplici, eoque solemni Religionis voto, firmatam, proposuit, obtinuitque feliciter Anno MCCCCLXIX. Prob. 268. ut juxta eandem, nomen ac habitum profiterentur, quotquot prioris instituti tunc supererant.

Perstitit itaque his imbuta legibus docilis Congregatio, usque in annum MDLXXXIII. quo pene avulsa ac destructa fuit: nam, ignis ex improviso erumpens tanta sæviit ferocia, ut brevi tempore Basilica simul cum Claustralibus ædibus seu ædificiis, in bustum consideret. Hinc dum Virgines sacræ, errantes ac palabundæ, refugio locum aliquem quærunt, ambustas parietes illico occupavêre Cives, seseque per fas ac nefas in Territorii, quaqua late patebat, possessionem intromiserunt.

Non tulit audax, ac iniquum facinus, qui Wormatiensem Cathedram tunc regebat GEORGIUS Episcopus, sed querela desuper ad RUDOLFUM II. Cæsarem delata, decretum de restituendo spolio impetravit tantò facilius, quod constitutio, haud ita pridem, videlicet Anno MDXLVIII. Augustæ Vindelicorum, ex mente omnium Imperii Ordinum confecta, id videretur potissimum intendere; Reluctari quidem, ac moras nectere conati sunt Cives, quin & blandis verbis egêre apud sanctimoniales, ut jus suum sibi cederent, Magistræ præter XVI. frumenti modios, L. florenos promittendo, reliquis alia ad necessariam sustentationem quotannis ad dies vitæ præstituri.

Verum obstinatos eorum animos simul fregit, ac artificium omne sustulit rigida Anno MDLXXXVII. die XXX. Decembris ex Imperiali Camerâ emanata sententia; cui postquam factum fuisset satis, etiam jacens disjectum inter rudera monasterium erigi cœpit, in quod plene tandem instauratum, moniales solemni ritu reductæ, ac reimmissæ fuerunt, perstantque hodiedum in divino obsequio assiduæ ac ferventes.

Ad Seriem MAGISTRARUM, spectant.

AGNES de FRISENHEIM, Ann. 1343.
ELISABETHA de HEIDELBERG, Anno 1467.

Cæterum; huic Asceterio contiguum olim erat *Brigittinarum* aliud, in gratiam Viduarum, a nescio quo Fundatore, conditum. Ejus mentionem adhuc faciunt litteræ anni MCCCCXCIV.

XIV.

Monasterium S. Mariæ in Ramosa.

Ord. Cisterciensis.

Haud procul ab arce Stauffensi, celebre quondam exstitit virginum coenobium, cui nomen Ramosa, corrupte Ramsoa, vulgò Ramssee; ut quidem discimus ex litteris Anni MCCCXCV, per quas *Habela* de *Zvvcyn - bruckke*, loci Abbatissa, alienat Curtem quandam sitam in Pedersheim, idque de consensu Godefridi Abbatis Schonaugiensis, cui tunc Visitatoris officium incumbebat.

Præter unicam illam notitiam (nam ob documentorum penuriam, etiam ipsum Fundatoris nomen ignorare cogimur) alia nulla superest, nisi quod ferunt Parthenonem illum sæculo XVI. ob ingruentes undique varias calamitates, Religione vacuum, simulque ruinis suis proximum, destruere quam resarcire visum oportunius, ejusdemque facultates, ne in totum diriperentur, aut perirent, mensæ Episcopali Worm. ex auctoritate Joannis VIII. supremi Pontificis, fuisse unitos, id quod testantur inprimis Joannis III. Worm. Episcopi litteræ, per quas Anno MCCCCXC. Petro Hoën fructus omnes exinde colligendi curam demandat.

XV.

Monasterium S. Mariæ in Valle Rosarum,

Ord. Cisterciensis.

Insignis, quin & simul hæreditaria fuit, veterum Eebersteinensium Comitum, præsertim erga Ordinem Cisterciensem, pietas; hanc, cum munificentia conjunctam, dum Eberhardus, & Otto, ambo illustri illo stemmate progeniti, sub medium sæculi XIII. strenue promovent; tandem gloriosum Fundatoris nomen ac titulum utrimque ambientes, prior ex ipsis illud, de quo hic agimus, Virginum Asceterium, in Dioëcesi Wormatiensi, haud procul ab Arce Stauff, erexit; alter vero, Albæ - Dominarum Coënobii in Ducatu Wirtembergico, conditor exstitit.

Certe, dum Nos præmemorati Vallis - Rosarum, monasterii rudera aliquando curiose lustraremus, deprehendimus ad dextrum Basilicæ latus, juxta semidirutum altare, Lapidem sepulchralem, luto, ac pulvere sordidum, sed qui mox lotus, eâ, quam in Tabella expressimus, formâ, se conspiciendum præbuit. vid. TAB. III. Fig. IV.

Epi-

TAB. II.




Fig. II.




Fig. III.



Fig. IV. ad pag. 184.




Fig. V.



Epigraphen sic legimus: XII. KALEND. APRILIS, FERIA II. PROXIMA POST JUDICA Ob. EBERHARDUS COMES de EBERSTEIN FUNDATOR HUJUS ECCLESIÆ.

Optandum fuerat, ut præter diem emortualem, etiam annum adscribi curassent gratæ moniales, quo facilius in tanti benefactoris notitiam pervenire potuisset posteritas. Cæterum; a scuto ejus gentilitio, quod Rosam præfert, VALLIS-ROSARUM nomen, Parthenoni, in amœna valle sito, inditum fuisse, nostrum non vanum est augurium.

SERIES ABBATISSARUM.

MECHTILDIS.

Hæc Anno MCCCXXXV. quædam bona reperitur alienasse in favorem Capituli Maj. Ecclesiæ Worm. idque de consensu Wilhelmi Abbatis Eberbacensis, tanquam directoris ejus Asceterii.

ELISABETHA.

Sorte similiter improspera, Regimen tenuisse videtur, siquidem & ipsa Anno 1359. certos quosdam annuos proventus divendidit, quos in villa Hocheim, ex liberali donatione Ditzonis de Bettenberg hactenus possederat; ejus litterarum desuper confectarum, tenor talis est.

„ Nos ELISABETH Abbatissa, totusque Conventus monasterii in „ROSENDALE, prope Castrum vulgariter Stauff; Ord. Cister. Worm. Dioë-„cesis —— profitemur; quod cum Nos, & dictum nostrum monasterium, „essemus periculosis debitorum oneribus multipliciter prægravatæ, quibus damna gravia accreverunt, nos indempnitati prospicientes &c. Act. An. MCCCLIX.

ANNA de LOFSTAT.

Dilapsam rem oëconomicam sensim instaurare cœpit, dum inter alia insigne prædium acquisivit a Joanne Kolb de Wartemberg Anno 1452. visitur etiamnum ejus sepulchrale monumentum, hac circum inscriptione apposita.

„ Anno Domini MCCCCLXXXV. VII. Kalend. Februarii obiit Do-„mina ANNA de LOFSTAT, quondam Abbatissa Vallis Rosarum. C.A.R.I.P.

MARGARETA de VENNINGEN.

Hujus mentio fit in litteris Anni 1497. eamque constat obiisse Anno 1505.

BARBARA de GÖLER in RAVENSBURG.

Margaretam in regimine excepit Anno 1505; occurrit deinceps in contractu quodam Anno 1512. cum Joanne de Odenwalt, Decano Lutrensis Ecclesiæ, inito.

RELIGIOSI
ORDINES.



Collegia Patrum Societatis JESU.

Wormatiæ.

Prob. 329. Domicilium in hac urbe invenerunt Patres Anno MDCXIII. munificentiâ Wilhelmi ab Effern, Episcopi Wormatiensis, qui, suffragante simul summæ ædis Collegio, eos ad erudiendam Juventutem, aliaque ipsis incumbentia munia obeunda accersivit.

Heidelbergæ.

Bello durante Bohemico, hic sedem fixerunt Patres sub auspiciis Maximiliani Bavariæ Ducis Anno MDCXXII. variisque deinceps fatis expositi fuère. Nam tertiùm exulare coactos, tandem firmo pede stabilivit Anno MDCXCVIII. Joannes-Wilhelmus Elector, Collegiumque a fundamentis erectum, etiam Neuburgensis quondam Asceterii redditibus dotavit Anno MDCCVI.

Manhemii.

Recentissima est Collegii hujus fundatio, quæ Caroli-Philippi Electoris Palatini profusæ liberalitati tota debetur.

Conventûs FF. Ord. S. Dominici.

Wormatiæ.

Adsciti sub annum MCCXXVI. Fratres Prædicatores Wormatiam, mox in ipso suo introitu dissentire coëperunt cum Henrico urbis Antistite; at, litem motam Decanus, Cantor, & Scholasticus, Ecclesiæ Metrop. Trevirensis quà delegati a sede Apostolica Judices, amicabili compositione
Prob. 125. terminarunt Anno MCCXXXIII. perfectis itaque intra breve tempus claustralibus ædificiis, templum eisdem annexum, non nisi Anno demum MCCCXIII. absolutum stetit; illudque Wolframmus de Fleckenstein, Emerici Worm. Episcopi in pontificalibus Vicarius in honorem S. S. Trinitatis, nec non B. Virg. Mariæ, tum & S. S. Jacobi Maj. Apostoli, Mariæ Magdalenæ, Nicolai, & Dominici, ritu solemni consecravit; quomodo instauratum aliquando idem templum Joannes Schadlandius Wormatiensis Præsul Anno MCCCLXIIII. propriis manibus, a novo dedicasse memoratur. Squallet hodie semirutus, ex ultimo urbis excidio, locus sacer, amissasque pristini sui splendoris notas queritur, quas inter merito recensebantur hæc, quæ sequuntur, sepulchralia monumenta, uno, eodemque anno ibidem erecta.

Aloy-

„ Aloysio Marliano Mediolanensi.

„ Episcopo, & Domino Tudensi.

„ Viro undecunque doctissimo, cujus prudentia & fide, Carolus „Cæsar, cum valetudine conservanda, tum in reliquis Imperii negotiis „utebatur.

„ Obiit VI. Iduum Maji Anno MDXXI.

***

„ Hic jacet Dominus Joannes-Gundisalvus de Meneses; artium, „& Medicinæ Doctor Episcopus Almeriensis; serenissimique Dom. Ferdi„nandi Infantis Hispaniarum, Archiducis Austriæ &c. Magister.

„ Obiit Anno MDXXI. die XXVII. Aprilis.

***

„ Philippo Manueli, Hispaniæ Nobilitatis viro, Alcantaræ Mili„tiæ Commendatario Portugalesæ, nec-non Caroli V. Cæsaris, Hispa„niarum Regis, ab aula, dum Cæsarem sequitur, in Germania vita functo.

Amici Ben. Mer. posuerunt.
Obiit XV. Maji MDXXI.

Wimpinæ.

Engelhardus Senior ex Dynastis de Winsperg Anno MCCLXIX. FF. Prædicatoribus Cœnobium & Templum condidit ubi prius publicum exstabat patibulum, nihil veritus loci infamiam; hinc locum eundem sanctissimæ Cruci dicatum voluit.

Heidelbergæ.

Prima hujus conventûs fundamenta jecit Mechtildis de Sabaudia, Ludovici III. Palatini Comitis &c. conjux pientissima, quæ dum Anno MCCCCXXXVIII. immatura morte sublata fuisset, ulterioris sui propositi executorem habuit Fridericum Electorem Palatinum, qui coëpto operi coronidem imposuit circa annum MCCCCLXXI.

Exulare coacti Patres Anno MDLXIV. jussu Friderici III. Electoris Palat. totum ædificium in Nosocomium conversum fuit; at restituti tandem Anno MDCXXII. pristinum institutum ædibus suis indiderunt.

Conventus FF. B. M. Virginis de Monte-Carmelo.

Wormatiæ.

In suburbio illo, ad quod olim ducebat Porta-nova, oportunam usibus suis sedem nacti Carmelitæ, eandem sibi ab Emichone Worm. Episcopo confirmari obtinuerunt Anno MCCXCIX. dein Templum omnibus suis numeris absolutum, ritu perquam solemni consecravit Anno MCCCLXXXVII. Echardus, serus Emichonis in Worm. Cathedra successor. Nec minor fuit reliquorum Antistitum erga eundem locum cura ac sollicitudo; illum siquidem Reinhardus Anno MCCCCLVI. per speciales litteras Prob. 264. in protectionem suam recepit; cumque sub annum MDCXXXII. exu-

exustus fuisset ac devastatus, sacris ejus Incolis Hugo-Eberhardus Anno MDCLVII. liberale ac honorificum inprimis hospitium intra palatii sui Episcopalis septa assignavit, donec eorundem Monasterium simul cum Ecclesia splendori pristino, religionique restitutum fuit.

Weinhemii.

Conventus hic Fundatores agnoscit Nobiles de Swende, quorum generosa stirps sub sæculi XV. initium penitus exstincta est.

Hirschorn.

Joannes & Eberhardus, milites de Hirschorn, germani Fratres, nec non Conradus de Hirschorn, Alberti filius. Conjuncta manu huic Carmelo initium dedêre sub annum MCCCCVI.

Heidelbergæ.

Carmelius est FF. Discalceatorum, quibus pietas Sereniss. Electoris Palatini Ecclesiam S. Jacobo Ap. sacram in suburbio assignavit;

Conventus FF. Augustinianorum.

Wormatiæ

In hanc urbem adsciti venerunt S. Augustini Heremitæ Anno MCCLXIIII. sedes suas ibidem fixuri. Locum habitationi aptum assignavit Eberhardus Episcopus, quin & perfectis ædificiis claustralibus, ubi Basilica pariter absoluta stetit, ejus simul consecrandæ curam in se suscepit; Verum unde Wormatia nova pietatis sentire incrementa debuerat, inde grave aliquando scandalum hausit; orto enim fatali Religionis dissidio, dum plures ex monachis extorres fiunt, aut metu dilabuntur; solus in suo illo Worm. Conventu superstes Wendelinus, infamis apostata Anno MDLXVII. ignem eidem supposuit, ut occasionem inde sumeret ambustum ac desolatum locum tradendi in manus Magistratûs Civici.

Heidelbergæ.

Quem hic quondam incoluêre locum Fratres supradicti, is nunc eversus, ac funditus sublatus est. Ejus antiquitatem designat sequens sepulchrale monumentum quod in templo ibidem olim visebatur.

„ Illustriss. Principum, Equitum auratorum, Rudolfi & Ludovi-„ci, Com. Palatin. &c. ac sacri Rom. Imperii Archidapiferorum, & Electo-„rum, lamentabilia deposita, altare quod cernis, recondita tenet. Lubri-„ca sors rarum favorem brevitate gloriæ ac vitæ compensavit, & hunc tan-„tum ex tantis fortunis rudem, etsi sanctum tumulum concessit. Quorum „prior tota patria illachrymante, acerbo funere raptus est Anno Dom. „MCCXCIIII. die II. Februarii, alter Anno MCCCXIX. die XI. Au-„gusti.

Con-

Conventus FF. Minorum.

Wormatiæ.

Familiam ex S. Francifci ordine defumptam primus Wormatiam induxit Henricus hujus nominis II. Epifcopus, civibusque liberaliter operam fuam conferentibus, habitationem ei attribuit Anno MCCXXIX. juxta Oratorium S. Nazarii. Verum; five anguſte nimis ibidem degerent Fratres, feu incommode populus eò conflueret, in meditullium urbis migrarunt, fixumque illic habuêre domicilium usque ad turbida Lutheri tempora, quæ dum Magiſtratus Civicus in ufus fuos vertere ſtudet, locum ut Religione, fic habitatoribus pene vacuum, Anno MDXXXIII. in fuam redegit poteſtatem; exfoluto prætio CC. Libl.

Heidelbergæ.

Conventum Francifcanorum extra oppidi hujus mœnia condiderat fub annum MCCXLVIII. Herbrandus de Neckraw, Vir Nobilis; at poſtquam cafu fortuito conflagraffet, palabundos Fratres recollegit Mechtildis Naffowica, Ruperti Senioris Palatini Comitis ac Electoris parens, iisque Anno MCCCXXXI. novum in ipfa urbe domicilium condidit; Conventualibus, qui primi fuêre loci facri Incolæ, fubſtituti funt Obfervantes Anno MCCCCXXVI. ac his demum minores recollectæ. Adhæferat olim Templo elegans Oratorium, nunc per bellorum injurias funditus deſtructum: conditæ in eo jacuerunt Friderici III. Victoriofi mortales exuviæ, fub fequenti Epigraphe.

„ Fridericus Bavariæ Dux, Comes Rheni Palatinus, S.R. Imperii „ Elector. &c. Salus Patriæ, prædonum Fulmen, Tres illuſtres Ho„ ſtes vicit, Principatum auxit & pie vivis exceffit Anno Dom. „ MCCCCLXXVI. pridie idus Decembris.

Fuit ejus vitæ virtus focia,
Gloria mortis Comes.

Lutræ - Cæsareæ.

Sancta Francifcani cœtus confuetudine captus Imperator Fridericus II. cum uberem ab eo fperaret fructum; Domicilium ei ſtatuit in urbe fua Lutrenfi circa annum MCCXX.

Oppenhemii.

PP. Francifcanos, fertur, antiquiffimam hìc loci habuiffe fedem. Id conſtat, eos Reformationis Leges fubiiffe Anno MCCCCLXIX.

Sunsheimii.

Locum ac domicilium fæculo fuperiore Francifcanis juxta hoc oppidum ſtatuit Fidelium quorundam pietas.

Domus Hospitalis S. Spiritus Wimpinæ.

Præter *Guntherum* quendam, qui Domui huic Anno MCCCXVIII. præfuisse reperitur, occurrit & Joannes, ad annum MCCCLXIIII. in litteris super Oratorio S. M. Magdalenæ juxta Wimpinam oppidum sito, quarum hoc est initium: *Wir bruder* Johans, *gnant Trutznit, Meister, und der Convent gemeinlich des Hospitals zu Wimpffen des heiligen Geists orden*, thun kunt &c. Et hæc quidem ad brevem notitiam. Hodie unicus, ibidem loci, degit ordinis monachus, qui oeconomiæ ac simul templi sat elegantis curam gerit.

Conventus S. Remigii Ord. S. Guillelmi.

Guillelmitarum, qui Wormatiæ in veteri illo, nunc diruto, suburbio quod Moguntiam ducit, ædes ac domicilium suum olim fixerant, jam mentio fit in testamento Wilhelmi de Wattenheim Canon. S. Andreæ ad annum MCCCXLIIII. Locum expressis verbis curate designant litteræ cujusdam contractus Anno MCCCCI. ex parte Prioris, & Conventus ejusdem initi, quæ sic ordiuntur: *Wir* Johann *gnant* Bynger, *Prior des Convents, und des Huses zu den* Reymern, *gelegen zu Worms by der Pharren zu sant Amanden bekennen &c.* hodie, præter Oratorium intra ædes (quæ corrupte *Reymeyer-Hoff* etiamnum indigitantur,) inclusum, nihil pristinæ religionis superest: siquidem cuncta in privatorum usus cesserunt.

Conventus FF. Capucinorum.

Ord. S. Francisci.

Wormatiæ.

Marte suecico cuncta per Germaniam devastante, plurima loca sacra, notanter Wormatiæ, cultu remansere vacua hinc Georgius-Antonius, Wormatiensium Præsul, damnis illis reparandis intentus, adscitis sub annum MDCXXXVII. Patribus Capucinis, desolatum parrochiale S. Amandi templum, unà cum adjacente territorio, iis incolendum tradidit. At vero, dum in aptando sibi hoc domicilio lente admodum procederent, visum est eosdem patres collocare juxta Divæ Virginis Ecclesiam, sitam in proximo, ut vel sic peregrinorum, aliorumque illuc confluentium hominum vota, pietatemque obsecundarent. Itaque tractatu cum loci Canonicis Anno MDCXLII. desuper inito, cesserunt deinceps in Patrum usus duæ ædes claustrales, cum annexo Oratorio S. Jodoci, ad Peristylii introitum condito; ubi nunc sedem obtinent. Factum per omnia probante, ac ratum habente supradicto Episcopo, per litteras datas Moguntiæ die VI. Martii Anni MDCXLII.

HEIDELBERGÆ.

Admissi in hanc urbem Anno MDCXXX. pro domicilio obtinuêre curiam quæ ad Episcopos Worm. spectabat. Inde fuêre ejecti Anno MDCXLIX. per turbida Religionis ac bellorum motus; at insequenti tempore iterum reducti quietis nunc mansionibus fruuntur.

LADEBURGI.

Sedem quam illic habebant FFr. Capucini in parochiali Ecclesia, evertit ac inde eos expulit Elector Palatinus Anno MDCLI.

MANHEMII.

Initia sua hìc loci sumpsit Conventus FFr. Capucinorum sub annum MDCXCVIII. sumptus pro ædificiis ad hoc liberaliter subministrante Joanne Wilhelmo Elect. Palatino.

FRANKENTHALII.

Capucini a Milite Hispano huc loci invitati sub ann. MDCXXIIII. annuente Worm. Episc. aream illam pro domicilio obtinuerunt, quam olim occupaverat conventus sanctimonialium Ord. S. Aug. ibidem.

GRÜNSTAT.

Postquam Philippus-Ludovicus Comes de Leiningen Westerburg unà cum patre suo Ludovico-Eberhardo, fidem catholicam Anno MDCLXXIII. fuisset amplexus, Patribus Capucinis, quos prius in arce sua receperat, domicilium condidit in Grunstat Anno MDCXCVIII.

Congregatio Sanctimonialium sub Tit. Visitationis B. M. Virg.

HEIDELBERGÆ.

Fundatio hæc debetur JOANNI-WILHELMO Electori Palatino sub Ann. MDCC. qui sanctimonialium coloniam, è Bonnensi conventu accitam, hìc loci collocavit.

MANHEIMII.

Fratris germani pietatem imitatus CAROLUS-PHILIPPUS Elector Palatinus, deductæ ex suprascripto Heidelbergensi Asceterio Virginum sacrarum Coloniæ, in metropoli sua Domicilium statuit Anno MDCCXXII.

HISTO-

HISTORIÆ
EPISCOPATUS WORMATIENSIS
PARS II.

DE
EPISCOPORUM WORMATIENSIUM
JURIBUS, PRÆROGATIVIS,
AC
PRIVILEGIIS.

Fundi amplissimi, telonia, census, vectigalia, homines & mancipia utriusque sexus, cæteraque id genus plurima rerum dominia, nec non simul opum accessiones æquissimæ, quibus illustriores Germaniæ Ecclesias passim ornarunt, ditaruntque, hinc liberali sua munificentia Reges, ac Imperatores; inde suis erga eosdem, ac Rempublicam universam promeritis, ipsimet Ecclesiarum Præsules; tum & Fidelium reliquorum pietas, sacra illa diversis in Provinciis constituêre Patrimonia, quæ congruis deinceps honoribus, juribus, ac privilegiis aucta, temporum successu, totidem Imperi status feliciter composuerunt.

Etenim; ubi primum in Principes Ecclesiasticos, etiam Rerum summa, quæ olim penes solos Reges erat, derivata est, & tota Jurisdictionis ratio ad eosdem translata, exclusis Comitibus, qui delegata dumtaxat ad hoc utebantur potestate, exeruit se se mox utendi, fruendi, disponendi, omittendi, omniaque in Territoriis suis ex beneplacito agendi plena simul libertas; hæc autem cum Superioritatem Territorialem, vulgo: Lands-Fürstl. hohe Obrigkeit, manifeste innuat, ac in se complectatur, necesse est, ut cui ex jam dictis Principibus, fidam Imperio operam adpromittenti, illa omnia sub nomine Regalium, solemni ritu, prout fieri consuevit, confirmantur, hic tam quæsitum, quam & fundatum Jus habeat, vigore cujus, non modo omnium in Territorio suo comprehensarum urbium, locorum, bonorumque, sed & in eisdem commorantium personarum cujuscumque status, aut conditionis existant, sit Dominus; quin & immedietas illa, seu Superioritas Territorialis, unà cum juribus sibi adnexis, usque adeo eidem integra salva, & illæsa inhærere debet, ut eam infringere, usurpare, aut aufferre, si inobedientiæ, aut feloniæ casus excipias, ne Imperatori quidem liceat.

Facessant igitur inficeti Nugatores illi, qui Urbes *in Territorio* alicujus Principis Ecclesiastici sitas, *de Territorio* neutiquam censendas esse contendunt, eademque fronte, summa imis confundentes, non verentur ex Principe, & Magistratu, unum simul corpus efficere, ac si ille potestatem suam habens a Cæsare, administrator solummodo foret rei alienæ, nec ullus daretur in Germania aut potentatus, aut superioritas, sed jurisdictio Principis pro nutu & arbitratu Cæsaris ubique esset vicaria.

Verum enim vero; quod tot sæculorum retro serie, bona fide possessum, quod primæ vetustatis monumenta, & annalium memoria liquido probant, quod usus & consuetudo assidue confirmarunt, quod & ipsimet sæpius agnoverunt Cæsares, iis non prævalebit quæ homines partium, quam veritatis studiosiores, absque testimoniis conjectando dumtaxat effutierunt? unum profecto, ex multis, Exemplum, in rem nostram, hic juvat adducere.

Fuerat FRIDERICUS, hujus nominis II. Imperator, si quis decessorum suorum alius, qui Episcoporum Autoritatem variis artibus impetere, quin & simul deprimere conatus est, quod livido forsitan oculo cerneret, eadem ipsos jura potentatûs sibi tribuere, quæ Principes Ordinis sæcularis; proinde, quod prava consuetudine tunc quasi inoleverat, ut defunctorum Episcoporum exuvias, & Clericorum spolia Fiscus Cæsaris tolleret, id ipse omnium severissime exegit, nudas ac corrasas Ecclesias eorundem successoribus relinquens, quin & simul veteres prærogativas, & privilegia altius investigans, nihil non egit ut ea infirmaret; præterea motus seu dissidia, si quæ in eorum urbibus oriebantur, ea clanculum fovebat, quod in spem venerat, Urbes illas legitimo subducendi Dominio, ut Imperiales faceret, quanquam statim initio Regiminis sui amplissimum Wormatiensis Ecclesiæ Præceptum ab ipso retulerit; per quod
Prob. 106. ejus tunc Antistiti LUPOLDO omnia Jura, tam Ecclesiastica, quam sæcularia, quæ etiam in ipsa *Civitate Wormatia* hactenus habere consueverat, jussit perpetuum esse illibata.

Verum omnis illa Cæsaris hujus machinatio, in brevi concidit; siquidem Libertatum ac Jurium suorum vindices Episcopi, rem eò deduxerunt, ut Fridericus Anno MCCXX. in publicis Comitiis Francofurti celebratis, non modo in pristinam cum iis concordiam redierit, sed & luculento diplomate, quod inte-
Prob. 110. grum vulgati Codices servant, plurima sanciverit sibi, quemadmodum posteris serio observanda. Nam Principum Ecclesiasticorum Exuvias, horum successoribus deinceps unice reservandas, reliquis omnibus interdixit. Monetæ, quemadmodum & Teloneorum jura, in eorundem Territoriis, quaqua late patent, firma voluit ac inconvulsa; Jura item Clientelaria, nec non universas Ecclesiarum possessiones, ubique tueri præcepit; Homines quocumque genere servitutis Ecclesiæ addictos, in Civitatibus seu Oppidis Imperatoriis recipi pro Civibus haud licere statuit; Communione ab Episcopis depulsos, seu interdictos, si notorii sint, post elapsum VI. septimanarum spatium proscribi jussit; Castra, munitiones, propugnacula, aliaque ejusmodi ædificia a quoquam in Ecclesiæ fundo, Dominis invitis, erigi prohibuit; denique, & Friderici I. Imp. vestigia secutus, speciali Edicto cavit, ne quis ex Cæsareis ministris unquam in Civitate Episcopali jus dicere, vectigalia, aut Telonia exigere, nec imperare præsumat, excepto solo illo Octiduo ante, & post quemlibet Conventum, in ejusmodi urbe jussu Cæsaris indictum: Quod si alio, quam Curiæ nomine Cæsar ad urbes illas accedat, nihil & ipse Jurisdictionis in iisdem attingat.

Paca-

Pacatis eum in modum animis, rediit nihilominus haud diu post ad pristinum ingenium Fridericus, & novas artes, Proposito suo aptas, procudens, hanc inprimis ad effectum perducere cogitavit.

Coëperant jam ab aliquo tempore Civitates in Imperio crescere ad amplitudinem, eo quod Nobiles, nec non inferioris ordinis homines, in easdem sese magno numero recepissent, reciperentque in dies, communi fœderis lege cum periculis Civitatis sua quoque communicaturi; qui usus cum ex dominorum conniventia plus nimium convalesceret, magnum deinceps fuit seditionis & licentiæ incitamentum: nam populus, ejusmodi potentum Civium accessione insolescens, factusque ad turbida pronior, justo ac assueto Imperio sese paulatim subducere enituit. Præsenserat hæc Fridericus; quapropter, ut turbida turbidis oportune misceret, cunctis opificibus, artificibusque, qui ruri agebant, in circumvicinas urbes transmigrare jussis, novam illam hominum prope innumerabilium multitudinem in diversas Tribus, & Collegia, seu potius coëtus, & factiones distributam, variis cohonestavit privilegiis, fovitque in tantum, ut amodò non nisi suis auspiciis, suoque protecti Clypeo, vitam & operas agerent. Hinc enata ipsis audacia, qua dominos territoriales despectui habere, Magistratui frontem obvertere, partiri inter se Reipublicæ munera, quærere præsidia externa, omniaque ea facere non sunt veriti, quæ apertam rebellionem indicant.

Hâc tristi rerum tempestate exciti præ aliis Episcopi, quod eidem obsistere minus fortasse valerent, recurrunt ad HENRICUM, Friderici filium, qui dudum in spem Imperii inunctus, Parentis, in Transmarinis partibus occupati, vices tunc in Germania gerebat, eique multis de Civium suorum pertinacia conquesti, rogant, siquidem hos ab eorum obsequio dilapsos, nec monitis amplius, nec comminationibus revocare potis sint, velit suamet autoritate in ordinem redigere, ac simul impedire quominus Episcopalis nominis honos tam indigne conculcetur.

Henricus, ut erat Princeps omnis pacis, ac æquitatis amans, justis exponentium querelis faciles aures præbuit, reque simul cum ipsis, Wormatiæ, Anno MCCXXXI. in solemni Conventu, mature discussa, statuit, atque Prob. 119.
omnium ore edixit: ut nulla civitas, nullum oppidum, adinventa nuper hæc Tribulium Collegia, opificumque conventicula, quibuscumque demum nominibus, legibus, ac institutis, inter se colligata essent, deinceps sustineret, aleretque amplius; sed eisdem penitus abrogatis, quisque pro sui status conditione, sibique injuncto munere, ac officio, pacem, ac tranquillitatem sectaretur, justisque Dominorum imperiis morem gereret.

Redierat interea ex Palestinæ oris Fridericus Cæsar, atque in Italiam delatus, dum hanc iisdem legibus, quibus nuper Sarracenos, sibi subdere cogitat, pervenit ad aures ejus factum Filii, quo non parum contristatus, eum quantocyus ad se evocat; imperati itineris ratio haudquaquam obscura erat; unde & utriusque ordinis proceribus serio, ac incessanter invigilandum fuit, ut libertas eorum recenter asserta, adversus Cæsaris machinationes in tuto quoque collocaretur, neve Pater tolleret in Italia, quod Filius, se absente, recto animo decreverat in Germania. Itaque, ad concordiam, mutuamque voluntatum ac animorum consensum invicem hortati, jurejurando sese insuper adstringunt, quemcumque demum casum sors tulisset, unà subire, atque pro avitis sedibus, juribus, & sacris, decertare fortiter;

icto ad hunc modum inter se fœdere, Henricum Regem iter suum ingredientem, frequenti Comitatu prosequuntur, & alpibus superatis, simul omnes Ravennæ in Friderici conspectum veniunt. Hìc Majestatem Numinis ejus, pro more, venerati, mox postulant indici Comitia; quæ dum ineunte Anno MCCXXXII. ibidem loci placuisset celebrari, recensita fuêre primùm longo ordine mala, quæ, veluti sopita summi Principis autoritate, Rempublicam eatenus agitaverant, atque hæc inter Coëtus illi, & Conventicula, quibus ad res novandas, & Civitates perturbandas abusi fuerant Populares, dum pro ingenio ac libidine in proprios dominos, proculcata omni reverentia, insurrexissent; urserunt proinde Cæsarem communi petitione Optimates, ut quidquid tum circa hos, quam & plures alios ejusmodi excessus, pro tuendis ac conservandis eorum juribus, Filius ejus, Imperii Provicarius, nuper Wormatiæ, Comitiali Decreto statuerat, id omne Parens, sua quoque auctoritate, confirmare velit.

Cæsar, etsi de causæ æquitate, & postulatorum recta ratione plane convictus, infelicem nihilominus hunc propositi sui exitum ægre tulit; at, conceptum exinde dolorem prudenter dissimulans, solemne Filii decretum, Prob. 120. quod tacite improbabat, publicis Tabulis ratum habuit. Ne quid autem in his invitus fecisse videretur, ea quæ ulterius in Wormatiensi illo Conventu ordinata fuerant, etiam circa eorundem Procerum in suis respective Ci- Prob. 121. vitatibus & Territoriis jura, non modo probavit, sed & in sequentibus Comitiis hoc ipso Anno apud Sibidatum, in Ducatu Foro-juliensi, celebratis, nonnulla haud exigui momenti capita prioribus adjecit, quæ tamen beneficii, aut concessionis loco haberi voluit idem Fridericus, quanquam in iis sanciendis non tam suam, quam Majorum suorum mentem aperuit; proinde antiqua magis reddidisse, quam nova creasse censendus est; siquidem Proceres ea omnia jam tenebant jure primitivo ac originario.

Rem latius non prosequimur; quandoquidem ea totius Instituti nostri scopus sit; id unum hìc monuisse sufficiat: tribus illis supra memoratis Comitiis præsentem interfuisse Henricum è Comitibus Sarapontanis, Wormatiensium Præsulem, qui & cuncta in iis actitata suffragio suo probavit, ac subscriptione firmavit, cum pro magnitudine Jurisdictionis, nec non dominatûs sui, tantâ in Imperio tunc polleret autoritate, quantâ vel quisquam reliquorum Germaniæ Procerum; alios enim non habuit Wormatia Dominos, quam pleno jure Episcopos; Quod utinam! assidue recoluissent Posteri, ac in eorum animis ad nostra usque tempora perdurasset, non mihi jam demonstranda foret superioritas illa, quæ, ex primævis Imperii institutis, Wormatiensem Episcopum jurisdictionis Dominum facit, non administratorem; Nec mihi insuper inquirendum in graves illos ac frequentes nimium conflictus, eâ potissimùm occasione motos, quos non tam hominum malitia, quam temporum suscitavit infelicitas. At, ipsum Opus nunc aggredimur.

CAPUT

CAPUT I.

De Episcoporum Wormatiensium Libertate, Immunitate, nec non Exemptione, omnimodis.

INter multifaria onera, ad quæ olim in Imperio tenebantur indiscriminatim omnes, notiora sunt, quæ Missis, seu Legatis Regiis, præstanda erant, videlicet: ***Foderum***; quod est frumenti commeatus, ***Parata***, seu ***Angariæ***: sumptus ad transvehenda impedimenta, nec non reficiendos pontes, & vias; ***Mansionaticum***, locus ad excipiendos Legatos, necessario adparatu instructus. His proxime accensebantur ea, quæ in usus bellicos seu expeditiones militares cedebant, qualia erant: ***Hostenditium***, & ***Parafredum*** dare, seu equum bellatorem, cum mancipio, quod eum curaret. Hùc quoque spectabat ***Fredum***, mulctæ genus, quod delinquentes Fisco pendebant, unde & ***Weregeldum***, ***Nuingeldum***, ***Truingeldum***, aliæque plures ejusmodi pecuniarum exactiones originem suam sumpserunt. Ab his autem omnibus in totum eximi, inter insigniores gratias merito reputabatur.

Quapropter, dum suis adhuc versata incunabulis, Wormatiensis Ecclesia, tali privilegio per DAGOBERTUM Regem jam Anno Christi DCXXXVIII. affici promeruerat, quando ejus Immunitatem per omnia stabiliendo, cunctas villas & loca, ac quicquid ad ipsam Civitatem Wormatiam aspicere videtur, eadem frui voluit; quid mirum? si quos ille postmodum in Imperio successores habuit, ejus pietatem, religionis zelum, ac simul munificentiam æmulati, eandem Ecclesiam suo quoque favore prosequi, quin & ob insignia Præsulum suorum erga se merita, altius etiam evehere, ac novis in dies augere prærogativis non destiterunt. Asserti hujus nostri Testes adducimus, præter SIGEBERTUM, CHILDERICUM, & PIPPINUM, Reges, ipsum CAROLUM M. hujusque filium LUDOVICUM, Cæsares, quorum ille, per diploma suum, datum Valentianis Anno DCCXCVIII. ortam inter Fisci Exactores, & Ecclesiam Wormatiensem, controversiam, in hujus favorem diremit. Nec enim Wormatiensis Ecclesiæ initia tam prospera fuêre, quin & suos invidos, æmulosque experta sit, qui Exemptionem, aliaque ejus privilegia interturbare ausi sunt; proinde idem Imperator, ritu Majorum, omnes ejus libertates innovando, si quæ damna fortassis jam perpessa fuisset, additis nonnullis possessionibus abunde compensavit, dum, in beneficiis præstandis, Parenti haudquaquam dissimilis Filius *ipsam*, BERNHARII Wormatiensis Episcopi, SEDEM, (quam Wormatiam Civitatem ritè interpretamur) *sub plenissima defensione, & Emmunitatis tuitione* recepit; ulterius per solemnes Tabulas, Anno DCCCXIIII. Imperii sui primo, Aquisgrani editas, præcipiens: ut ***nullus Judex publicus***, aut *quislibet ex judiciaria potestate*, in Ecclesias, loca, agros, seu reliquas ejusdem possessiones, *in quibuslibet pagis, & territoriis* sitas, ingredi præsumat, ***ad causas audiendas, freda***, vel ***telonia exigenda***, ***mansiones***, ***vel paratas faciendas***, ***Fidejussores tollendos***, ***redibitiones requirendas***, ***homines etiam tam ingenuos***, ***quam & servos***, ***distringendos***. Quo facto spem Fiscis deinceps omnem ademit, eaque simul ejusdem Ecclesiæ homines libertate donavit, ut ipsos noluerit a quoquam in hostem duci, nisi id necessitas regia exigat, quo solo casu, unà cum *suo Episcopo*, pergerent in expeditionem.

vid. infra part. III. initio.

Prob. 1.

Prob. 3.

Idem deinde præstiterunt Ludovicus Germaniæ Rex, Anno DCCCLVIII. Prob. 6. & 15. tum & Arnolfus Imp. Anno DCCCXCVIII. quorum concessiones, ac immunitatum privilegia, in gratiam Wormatiensis Ecclesiæ emanata, suis quoque Prob. 20. & 26. præceptis firmarunt Otto I., hujusque Filius æquivocus Otto II., Cæsares; prior, Anno DCCCCXLVII. alter, Anno DCCCCLXXIII. quo postremo tempore Wormatiæ existens, solemniter inhibuit: *ne quis* Comes, *aut publicus* Judex, ullam potestatem exerceat, vel exactionem faciat in rebus, locis, aut personis, ad Ecclesiam Wormatiensem quocumque modo spectantibus, sed voluit: ut deinceps, *coram* Advocato *præfatæ Ecclesiæ, quasi coram* Regio Exactore, totum quod lex ab eis poscit, persolvant. Simili quidem edicti formula usus jam antea fuerat in supracitatis suis Tabulis, tum & in aliis Wimpinam specifice concernentibus, Ludovicus Germaniæ Rex, dum jus- Prob. 8. sit: ut in cunctis villis, quæ aut *per totum*, aut *ex maxima parte* ad Wimpinam, proinde ad Ecclesiam Wormatiensem, pertinere dignoscerentur, *nihil Regiæ potestatis, aut* Comes, *vel* Judex *retineat, sed totum ad manus* Episcopi, *ejusque* Advocati *respiciat*. At omnium optime in rem nostram Otto, hujus nominis III. Imperator; is enim, postquam Hildibaldo Wormatiensi itidem Episcopo, suoque tunc Cancellario, ad cujus interventum tot gratiæ, ac bene- Prob. 30. ficia, in diversas alias Ecclesias hactenus dimanârant, omne quod regiæ potestatis, tam infra, quam extra Wormatiam tunc reliquum fuerat, singulari diplomate Anno DCCCCLXXXV. Diusburgi edito, confirmasset, simul vetuit: *Ne quis* Comes, *vel* Judex, *aut aliqua judiciaria persona, in prædicta* Civitate Vuangione, *ullam deinceps exerceat potestatem, nisi is solus, quem Pastoralis Dignitatis sollertia præfecerit* Advocatum. Hinc certe constat evidenter, Reges, seu & Imperatores, dum Wormatiensem Ecclesiam a Fisci jure & exactionibus absolutam, insuper a Comitum, sive Judicum potestate liberarunt, omne rerum dominium, totamque simul jurisdictionem, ipso facto, in Episcopos transtulisse. Ecquid enim reliqui omnes, quotquot exstant hodiedum per universam Germaniam, Principes Ecclesiastici, ad probandam, in pari casu, illam suam Superioritatem Territorialem allegare aut exhibere poterunt amplius?

CAPUT II.

De Episcoporum Wormatiensium Jurisdictione omnimoda, seu mero mixtoque Imperio, tum & reliquis eorundem Juribus regalibus.

BAnnum Imperiale, ad eum, quem observavimus, modum, plene adepti Wormatienses Episcopi, addita potestate: ut illud seu per se, seu per substitutos exercerent, Viris fortibus simul ac præpotentibus ad hoc usi sunt, quibus pro lege, nec non constanti in omnibus regula fuit, ut fidem & obsequium servaturi, tum in jure dicundo, tum in Ecclesiæ possessionibus, ac facultatibus propugnandis, omnem locarent operam atque industriam. Is autem, qui huic officio præsidebat, nunc Wormatiensis Ecclesiæ Advocatus, nunc Comes, nunc Major-Domus, quin & interdum Vice-Dominus audiit. Quanquam passim hæc Vice-Dominorum dignitas ad solam urbis præfecturam restringebatur, & uni ex Collegio-Principe desumpto Canonico, conferri solebat. Hinc evenit, ut interdum duo Vice-Domini simul occurrerent, prout constat ex charta Buggonis Episcopi pro Ecclesia Sancti Andreæ sub data Anni MCXLI. cui

pariter

pariter subscribunt: SYMUNT, *Urbis præfectus*, & ERINBERTUS *Vice-Dominus*, tum ex privilegio FRIDERICI I. Imperatoris Anno MCLXXX. Civibus Wormatiensibus ad petitionem Episcopi concesso, ubi BURCHARDUS *Vice-Dominus* memoratur in contextu, & quidem inter eos, qui *Jus*, ac *potestatem in Cives habere* videbantur; alter vero EBERHARDUS *Vice-Dominus* in fine ejusdem diplomatis inter Testes adhibitus reperitur. Huc quoque facit charta alia supradicti Buggonis Episcopi, per quam An.MCXXXVII. majoris suæ Ecclesiæ Canonicis donat curtem suam Crigesheim, & *quidquid* (inquit) *in eadem villa habuimus, in* COMITATU PRÆFECTURÆ *Civitatis nostræ*, sitam, quod est: in districtu, seu Territorio præfecti Civitatis Wormatiensis; nam Advocati, seu Comitis jurisdictio longe amplior, se se per universam ditionem extendebat. Hujus autem excellentissimi muneris antiquitatem commendant inprimis NOTHINGUS, & GRIMOLDUS, illius siquidem mentio fit in charta præstaria Theotolachi Episcopi sui, Anno MCCCXCVI; alterum, qui ex competente sibi prærogativa, *Advocatus Sancti Petri*, nuncupatur, produnt donationis Tabulæ cujusdam Geroldi, serius aliquantùm, puta sub annum DCCCCXLVII. conditæ; his insuper annumerandi sunt STEPHANUS *advocatus*, & CHUNO *Vice-Dominus*, quos ambos Adalbertus Episcopus in litteris suis Anni MLXVIII. reponit inter Testes; denique, huc quoque facit SIMON, ex Comitibus Sarapontanis ortum trahens, qui certum quoddam concambium Anno MCLV. quà *Advocatus majoris Domus Wormatiensis Ecclesiæ*, suo calculo probasse reperitur. Prob. 91. Freher. in Lupodun. in Append.

Cæterum; nova illa Wormatiensis Ecclesiæ Advocatorum ab Episcopis erectio, quantum reliquis per circuitum Comitibus displicuerit, vel exinde facile est colligere, quod hi, delegata sibi a Cæsaribus potestate abutentes, in Familiam, ac res Sancti Petri, contra quod vestitum fuerat, quaquâ data occasione, jus pristinum resumere, eamque diris modis exagitare præsumpserunt; quanquam audax facinus haud diu continuatum fuit; siquidem Henricus Imperator, ubi primùm illud ex Burchardi Episcopi querelis intellexit, mox, ut rem *injustam*, ac *irrationabilem*, condemnavit, statuens inter cætera per præceptum suum desuper Anno MXIIII. emanatum: ut si quis deinceps *ex Familia Wormatiensis Ecclesiæ, furtum, vel pugnam, aut ullam aliam* CRIMINALEM CAUSAM, *in eadem Familia perpetrasset, ad manus* EPISCOPI, SUO ADVOCATO *componat:* si autem *extra Familiam, cum Extraneo aliquo rixam habuerit, si raptum peregerit, si furtum commiserit*, ADVOCATUS SUUS, COMITI *pro eo justitiam faciat.* De cætero Reus, toties quoties, pro gravitate cujusque delicti, plectendus, nunquam potestati Comitum subjiciatur; nisi forte in Legali, hoc est: publico ac generali Placito, cui Missi, seu Legati Regii, præsidere solebant, palam in furto deprehensus fuisset, quo solo casu, in compede Comitis sit, donec Scabinionum sententia recte judicetur; ut habent verba diplomatis. Prob. 47.

Terminata autem in hunc modum controversia, recruduit nihilominus iterum Anno MLV. sub Henrico hujus nominis III. Rege. Ast hic, ut erat pacis ac Justitiæ cultor eximius, insolescentem illam Comitum potentiam auctoritate sua coërcuit, iisdemque, quas olim prædecessor ejus statuerat, legibus, circumscribere duxit necessarium; quando interea ex pravo hoc adversariorum conamine nihil quidquam præjudicii in Ecclesiam Wormatiensem redundavit; Nam, præterquam quod supradictus Præsul Burchardus, post perfectam ac absolutam a se Anno MXVI. Sancti Pauli Basilicam, unà cum adjacente Canonicorum claustro, cujus circumscripti limites se se Prob. 48.

longe

longe lataque per urbem diffundebant, tale Edictum tulit, videlicet; ut infra illum terminum, *nec* Comes Civitatis, *nec aliquis* Judex, *aliquid agere, vel exigere præsumat*, excepto Episcopo &c. hæc autem verba cum sint Imperantis (quæ constitutis aliquis hìc loci a Cæsare Comes, sive etiam Judex, docili aure haud quaquam accepisset) consequens est, utrumque unicè ab Episcopi dependisse arbitrio. Certe, dum sub annum MXXIII. Rex Henricus secundus, ratione supremæ suæ in Imperio potestatis imploratus fuit, ut enata tunc temporis inter Wormatiensem & Laurisheimensem
Prob. 50. Ecclesias, dissidia tolleret, non alicui ex Comitibus, aut judicibus suis, quorum nihilominus sat multi in circumvicinia ad manum erant, negotium demandavit, aut causam hanc dijudicandam commisit: sed Legatos a latere suo desumptos, eo locorum direxit, qui cum utriusque partis Advocatorum *Consilio, & auxilio*, diuturnæ contentioni optatum finem imponerent. Nec præconceptam spem fefellit eventus, quin & insuper Burchardo nostro occasionem præbuit, insignes ac æquissimus illas Civibus suis præscribendi Leges, duobus & triginta articulis comprehensas, quas meritò æternum suspiciat ac veneretur posteritas: id autem eo potissimum fine a se fa„ctum testatur optimus Præsul, ne aliquis Advocatus, aut Vice-Domi„nus, aut Ministerialis, novi aliquid subinferre posset, sed unà, ea„demque Lex diviti, & pauperi, ante oculos prænotata, omnibus esset „communis.

Quali autem prærogativarum jure, quibusve emolumentis olim gavisi fuerint advocati, vel exinde libet colligere, quod cum Burchardi serus aliquantum in sede Wormatiensi Successor Adalbertus Episcopus, Comitis
Prob. 68. Wernheri *petitione, aliorumque* Optimatum Suorum *Consilio*, sub annum MCVI. Tribum, seu Collegium XXIII. Piscatorum certis conditionibus instituisset, lata est in Infractores mulcta trium Talentorum, de quibus duo Præsuli, unum *Comiti* persolverentur. Piscatores vero, quotannis tempore Rogationum tres salmones, duos Præsuli, tertium *Comiti*, vicissim offerrent, quo facto accepti beneficii confirmationem obtinerent. Huc quoque
Prob. 149. facit Decretum illud Anno MCCLXI. editum adversus eos, qui Paullini Aquæ-ductûs fluenta quovis modo obstruerent aut impedirent; ubi mulctæ inde provenientes cedere dicuntur pro medietate Comiti, & *Judicibus Civitatis.* Hinc patet, Comitis, seu advocati, dignitatem illam, quam veteres Sarapontani Comites hæreditario quasi jure per aliquot sæcula possedisse reperiuntur, diu in Ecclesia Wormatiensi perstitisse, & quidem præter morem aliarum Ecclesiarum, quæ munus hoc passim tunc abrogabant, eo quod hi, quibus vigore ejusdem incumbebat facultates Ecclesiæ a rapinis aliorum defendere in tantos ipsimet sensim prolapsi fuissent excessus, ut adversus nullos magis defensione opus haberent.

Solebant autem primario illi advocato, penes quem Jura sua, certis limitationibus residere sinebant Episcopi, quod solus oneri ferendo impar esset, præstantes aliquot virtute ac doctrina Viri, adjungi, ex quorum sententia consilioque, leges & momenta caussarum temperaret; dum ejus in rerum capitalium administratione officium, plerumque subibat Prætor Urbanus, quem a debiti & noxarum exactione *Scultetum* appellari placuit. Unde & priusquam Comitis, seu advocati munus illud ex Episcoporum autoritate penitus sublatum exstitit, hi criminalem jurisdictionem suam per Schultetum, seu Prætorem, jam tum censebantur exercere; id enim inter alia
Prob. 132. aperte demonstrat Friderici II. Diploma, quod Anno MCCXXXVIII. in

Comitiis Cremonensibus ab hoc Imperatore retulit Præsul Landolfus; ubi sub nomine Regalium expressis verbis comprehenduntur, *Officium Sculteti*, & *judicium sæculare*. Utrumque autem jus Gladii, sive *den Pann uber das Bluet zu richten*, importabat, de quo Wormatienses Episcopos investiri, styli ac moris erat antiquissimi.

Verum ubi ex singulari quodam eorundem Episcoporum favore, ne dicam nimia indulgentia, etiam jus illud cum Magistratu Urbano communicatum fuit, accepti tam insignis beneficii memoria apud hunc paulatim coëpit evanescere, quin & adjectas conditiones, seu pacta, quæ illud perpetuò inculcare debuerant, successu temporis aut negligere, aut in diversum sensum interpretari non puduit. Requirebatur autem inprimis agnitio Domini directi, videlicet: Episcopi, utpote, penes quem vitæ, necisque potestas primariò residebat, residetque etiamnum. Quapropter stipulatum fuerat inter cætera, ut quilibet capitis damnatus, seu aliàs ob delictum plectendus, priusquam ad supplicium raperetur, pulsante tertiùm ære campano Palatii Episcopalis, ducendus esset è Domo Civica, recto tramite, versus lapideum illum Cippum, qui juxta introitum immunitatis claustri majoris positus, passim *Niger* dicitur, aliàs *lapis sanguinis*; quo in gyrum salutato, idem reus haud procul inde pergeret ad Gradus Palatii, illic post relectam, ac publicè pronuntiatam sententiam, Episcopo sistendus. Præterea exstabant juxta idem Palatium certæ quædam ædes, vulgo *Gerichthauß* dictæ, in quibus simul convenire, ac pro Tribunali sedere tenebantur caussarum, seu rerum criminalium constituti Judices. Erant & in diversis locis tam intra, quam extra urbem notæ quædam stationes, ubi pro qualitate delicti a Reis sumebatur supplicium: sic, qui capite plectendi, aut quibus juxta veteres Burchardi Episcopi Leges Anno MXXIIII. editas, corium & capilli detrahendi erant, nec non utraque maxilla ferro candenti inurenda, deducebantur foràs muros ad Portam Sancti Andreæ; qui patibulo adjudicati erant, in via publica quæ versus Moguntiam ducit, fracto gutture enecabantur; funem autem, seu laqueum huic supplicio necessarium, requirebant ab Episcopo, Civitatis Consules, quem & ejus jussu, mox ubi ad Palatii fores perventum esset, collo delinquentis injiciebat unus ex Teloneariis. Nec mirum; siquidem & rotam, & scalas, lictori subministrare tenebantur Senatores, a qua cura non nisi per transactionem Anni MDXIX. se se opportunè exemerunt.

Prob. 336. Prob. 299. Artic. 26. Prob. 336. ibidem & Prob. 51. Prob. 299. Art. 31.

Cæterum Prætoris illud, seu Sculteti, officium, quod olim unà cum ministris suis, totum ex solius Episcopi dependebat arbitrio, non uni deinceps mutationi obnoxium fuit; siquidem in eo constituendo sibi quoque votum arrogavit Magistratus, & annuum donum II. Lagenarum vini, nec non II. cum dimidia Librar. denariorum Hallensium Episcopo exinde die festo S. Martini præstandum, ad tres florenos reduxit; dum interea reliquos census, ac reditus, quales EBERHARDUS Episcopus Anno MCCLXXI. in eodem hoc *Officio Sculteti*, NOSTRÆ (ut inquit) CIVITATIS, emisse reperitur, tum quos ejus Successores, notanter FRIDERICUS, & JOANNES, prior Anno MCCCCXXVII. alter Anno MCCCCLXXX. *uff dem Schultheissen, und vverentlichen Gericht zu Worms*; in feudum concessere, tempus edax rerum absumpsit.

Prob. 299. Art. 20. & 21. Item Prob. 309. Art. 2.

Ad omnimodam autem Wormatiensium Episcoporum jurisdictionem probandam, superest, ut quos in Criminalibus dominos jam observavimus, eos parem in Civilibus auctoritatem constanter obtinuisse, nunc demonstremus.

Si veterem judicii formam, quæ passim in Germania viguit, attendimus, eam simplicem fuisse ac rectam, nec ex adeo multis Ministris compositam deprehendemus. At vero crescente in dies subditorum multitudine, crevit & eorum numerus, quorum opera illis in officio continendis uterentur Principes. Hinc Scabinorum Tribunal invaluit, & Ministerialium Ordo innotuit, quos omnes utpote ingenuæ conditionis Viros, amplissimis muneribus ornare, insuper prædiis, ac possessionibus, feudi quidem lege, ditare opus fuit, ut rei gerendæ essent avidiores. Sane, dum sub sæculi XI. initium, emergentem ex ruinis Wormatiam suam novis legibus ac præceptis imbuit Burchardus Episcopus, jam non *Advocati* dumtaxat, qui cunctis Negotiis
Prob. 51. præsidere solebat, sed & *Vice-Domini*, & *Ministerialium*, seu *Ministrorum*, nec non *Scabinorum* mentionem facit, sub quibus stabat tunc tranquille Respublica, tantoque deinceps egit securius, quod Jus, legesque, pro sua Principis auctoritate, ita quoque curarent Burchardi successores reliqui, ut virtuti suus honos, vitio supplicium, Pax publico esset; unde & inter ipsos ADALBERTUS, postquam Anno MCVI. erectam a se Piscatorum Tribum,
Prob. 68. certis ornasset privilegiis, infractores eorundem *ante judices prostitui*, & *facto judicio*, trium talentorum mulcta affici jussit.

Verum labente ævo cum moribus, aliam post aliam Wormatia faciem induit, diuturnumque ejus otium, sæpius deinceps turbatum fuit, ac tunc quidem maxime, quando coëca ambitio se se etiam in Cives effundens, hos ad Magistratus honores aspirare fecit, rem promovente FRIDERICO I. Cæsare. Is enim postquam Anno MCLVI. specie quidem conservandæ Pacis publicæ, re vera autem ut Episcopalem dignitatem in aliquo imminueret, novum Wormatiæ erexisset Tribunal, Cives XXVIII. cum XII. illis Ministerialibus, qui hactenus pro Episcopo jus dicere assueverant, conjunctos, eidem præfecit: prout id alibi expendemus fusius.

Hinc Episcopis amplius aliquid curarum accrevit; siquidem ipsis invigilandum fuit seriò, ne XL. Judices illi, qui *Consules*, seu *Consiliarii* deinceps dicti sunt, se se jurisdictioni Civitatis immiscerent, neve capitalium rerum cognitionem attingerent, donec successu temporis in eum, quo reliqua Dicasteria, ordinem simul redacti, tandem probè intellexerunt: si quæ ad promovendam justitiæ administrationem, aliaque politiam concernentia decreta conderent, hanc facultatem ab Episcopis, velut fonte omnis jurisdictionis, emanare, ut patebit in sequentibus. Proinde hoc suum, qualecumque regimen sub longe graviori ac excelsiori consistere: quandoquidem summæ ac ulturæ cognitionis prærogativam, a majoribus acceptam, sibi soli reservassent Episcopi.

§. I.

§. I.

De supremo Dicasterio Aulico, seu Palatii.

Constans semper apud Wormatienses Episcopos cura ac solicitudo obtinuit, ne Prætor, Scabini, Judices, aliique Præfecti ab ipsis designati, quandoque nulla legum ratione habita, jus dicerent, neve quid damni ex lite æquo longius protracta, aut certe ex ipsius Justitiæ neglectû in populum sibi subjectum derivaretur: hinc & antiquissimum est Tribunal illud, quod juxta potestatem, sibi per Investituræ litteras a Cæsaribus hucusque confirmatam, videlicet: *das* HOFFGERICHT *zu besetzen*, a quo etiam ejusdem Præses, Prob. 189. HOFF-RICHTER, antiquis *Richter des Hoves*, ut in litt. anni 1315. passim audiit, in proprio Palatio erexerunt. Nam ad illud Civium quilibet sive Christianus is sit, sive Judæus, qui sibi jus quocumque modo violatum queritur, interjecta appellatione recurrere potest, quodque hìc loci de proposito causa dijudicatur, id ratum manet ac inconvulsum, ni ulterius provocetur ad Cæsarem, prout Articulo XXVIII. Transactionis An. MDXIX. Prob. 299. initæ conventum fuit, quando usus olim aliter obtinere cœpit; scriptum est enim in veteri statutario: *Non licebit alicui Civium ad* MAJOREM AUDIENTIAM, quam ad DOMINUM NOSTRUM EPISCOPUM *appellare.* Certe extra urbis muros Civis Civem ad Judicium evocare non poterat, sicut nec ipse a quoquam conveniri, evocari, aut compelli, juxta quod in eodem illo statutorum libro plenius continetur, in hæc verba: *si quis Civium suum concivem aliàs* EXTRA CIVITATEM, *quam coram* EPISCOPO, *&* SUIS, *ac* CIVITATIS JUDICIBUS, *super quacunque re traxerit in causam, ille dabit XXX. Solidos Worm. ad pœnam, & deponet patienti damna, quæcumque ab ipso sustinuerit, & tunc conveniet eum si voluerit pro causa sua. Habent itaque Cives a divis Imperatoribus, Regibus, & Episcopis, quod nullus Civis Wormatiensis suum concivem convenire debet, nisi coram suo Episcopo, & Judicibus Worm. & ad alium Judicem non potest appellare; hanc etiam gratiam Dominus Papa Civibus confirmavit.* Ubi postrema hæc se se referunt ad Bullam ALEXANDRI IV. Pontificis per quam Wormatiæ Incolis Anno MCCLX. similem favorem impertitus est, quo fruerentur quamdiu Catholicæ fidei adhærerent, videlicet: Prob. 146. ut per Apostolicas, vel Legatorum Apostolicæ sedis litteras evocari ad Judicium nequeant, dummodo coram Episcopo suo, seu ejus delegatis judicibus se se adversæ parti sistant. Illud autem privilegium ipsis de voluntate proprii Episcopi concessum fuisse, vel ex altero hoc, per quod Fridericus III. Imp. Anno MCCCCXLVII. ipsos pari modo a Rotweilensi, aliisque extra- Prob. 261. neis Tribunalibus exemptos declaravit idque ad requisitionem Reinhardi Præsulis; cùm Dominorum maxime intersit, ne subditi sui ad aliena judicia in præjudicium ordinariæ suæ jurisdictionis trahantur.

Licuit autem antiquitus supremum illud Episcopi Tribunal implorare, quoties in prima actione agebatur de re etiam levissima; Verum ex ipsis idem qui supra Reinhardus, Anno MCCCCLXXVII. communicato cum Magistratu Urbano consilio, edixit, ac statuit: rei litigiosæ, cujus infra XX. Prob. 270. florenorum summam valor esset, appellationem non debere admitti, sed ordinario judicio standum esse, ut vel sic evitaretur litium frequentia, & immortalitas; illa autem XX. flor. summa, postmodum vigore supra memoratæ Transactionis Anni MDXIX usque ad L. aucta est, qua limitatione hodiedum fixa manet.

Cæterum; cum Juris ordo, seu methodus quæ in ejusmodi appellationibus solet observari, eadem fere sit, quæ multis locis per Germaniam passim recepta est, eam hic non moramur; sed Inhibitorialium, nec non Compulsorialium litterarum formulas, etiam cum annexa arctiori clausula, & mulctâ XL. marcarum argenti: in casum non paritionis, aut actorum redhibendorum protractionis; quanquam hujusmodi paucæ admodum exstent, siquidem Magistratus (qui & ipse hìc in Judicium evocari potest) jussa Episcopi Principis sui in his cum omni debita submissione, & reverentia exequi soleat.

Prob. 338.

Prob. 339.

§. II.

De Dicasterio Urbanorum, aliàs Heinburgiorum.

Majoris ordinis Viri patricii XVI. ex omni Civium Wormatiensium universitate delecti; quos Teutonicè *Heinburger*, seu *Heimburger*, latinè verò *Urbanos* nominari placuit, peculiare illud constituebant Tribunal, cui pro Episcopo is præsidebat, qui simul Camerarii munere apud ipsum fungebatur.

His autem judicibus unice pro objecto erat salus Reipublicæ, quam modis omnibus promovere tenebantur. Unde, quoties ad Placita in Palatio Episcopali, ter quotannis, videlicet: Januario, Aprili, & Junio, mensibus, diebus vero: Martis post trium Regum; Martis post dominicam quasi modo-geniti; Martis post Johannis Bapt. respectivè celebranda, conveniebant; quilibet eorum, baculum manu tenens, a Camerario, cui ad hoc speciali Juramento obstrictus erat, rogabatur; ecquid sciret? quod contra jus fasque in Civitatis damnum ac perniciem fuisset aut esset perpetratum. Si quid erat; illico Camerarius, secundum relata ex mente assessorum sententiam ferebat, & pro qualitate causæ, seu delicti, dictabat mulctam infra III. Quindenas persolvendam.

Prob. 68. Cæterum instituti hujus antiquitatem, ac simul subjectionem non parum commendat charta Adalberti Episcopi, per quam jubet: ut si quis ex XXIII. Piscatorum Tribu illa, a se sub annum MCVI. Wormatiæ erecta, decessisset, nullos relinquens hæredes, locus ejus URBANORUM *communi Consilio* per alium suppleretur; præcipiens ulterius, ut pisces quos præter vetitum comparatos, hoc in casu ab emptoribus aufferri placuit, inter eosdem *Urbanos* æqualiter dividerentur.

Videtur autem hoc idem Tribunal demùm sæculo XIIII. in Senatum Civium fuisse receptum, ac eidem incorporatum; hoc pristinæ suæ originis indicio retento, ut qui *Magister Civium* audiret, hic solus baculum, vulgò *der Heimburger Stab*, deferret, perpetuum officii sui symbolum futurum, quo, post evolutum anni cursum, quando Magistratus pro more innovandus est, in manus Episcopi resignato, munus simul expirasse censebatur.

§. III.

De Dicasterio Monetariorum, vulgò Husgenossen.

Officinam monetariam ex veterum Regum concessione, seu privilegio, postquam in urbe sua erexissent Wormatienses Episcopi, jus cudendæ, signan-

nandæque pecuniæ, ſimul cum ipſa officina tranſtulêre per modum feudi, in illos ſuorum Civium, quos negotio huic exercendo idoneos, nec non ferendis ſumptibus ſuppares eſſe judicabant. Hinc a domo, ſeu officina illa monetaria nomen *Husgenoſſen*, vel etiam *Muntzgenoſſen* quod eſt: *Socii*, ſeu *Sodales domus* ſortiti ſunt, paremque cum ipſis denominationem vicus in quo olim domicilium ſuum fixerant, obtinuit; ſiquidem *Plateæ Monetariorum* jam Anno MXVI. Burchardus Epiſcopus, in Notitia ſua pro fundatione Prob. 48. Eccleſiæ Sancti Pauli, mentionem facit, & *plateæ* juxta *monetam* Adalbertus Prob. 66. in charta ſua Anni MLXXXIV. quin & integras Familias peculiare cognomen ſuum abinde mutuaſſe, teſtimonio eſſe poſſunt *Conradus*, & *Reuberus* de *Moneta*, quorum prior occurrit in charta Lupoldi Epiſcopi Anno MCXCVI. alter, in amicabili compoſitione quam Anno MCCXXVI. Henricus Epiſcopus cum Hartrado de Merenberg iniit. Sic & in litteris Anni MCCLIV. ſubſcriptus inter cæteros reperitur *Wernherus retro monetam*, tum in aliis Anni MCCLXX. *Hugo ante Monetam*, ambo Cives Wormatienſes.

Diſtinctum autem a Plebe Corpus conficiebant Monetarii, quibus pro Epiſcopo, ejus major Camerarius præerat; inſuper variis ac prorſus ſingularibus privilegiis ornati, officiorum publicorum partem potiorem adminiſtrabant, de reliquo; Argentariam facere, Nummum commutare, de Moneta adulterina cognoſcere, ipſis ſolis conceſſa facultas, dum eorum Magiſtro, qui ſub ſimplici titulo *Monetarii* locum inter Epiſcopi Miniſteriales conſtanter obtinebant (prout diverſæ chartæ ac litteræ fidem faciunt) id potiſſimum muneris incumbebat, ut ſtatis anni temporibus, tum & extra ordinem pro libitu ſæpius, aurificum ædes, mercatorumque Tabernas omnes circuiret, ac ſub unius ex conjudicibus, nec non duorum Civium fideli teſtimonio, ſtateras & ulnas diligenter inſpiceret, pondera ad libram exigeret, ulnas vero juxta veterem dimenſionem muro ſummi templi qua parte deforis chorum ambit, infixam, probaret. Quo rite peracto; eos quos in his fraudulenter egiſſe deprehenderat toties quoties coram ſe in Curia Epiſcopali citatos, condigna punitione afficiebat.

Hæc Monetarii præeminentia, nec non ſimul ſociorum ejus, quorum alii nobilitatis genere conſpicui, alii antiqua Patriciorum ſtirpe orti, opibus Prob. 215. inſuper floridi erant, ſingulares prærogativæ, non modo Plebejorum invidiam multoties excitarunt, ſed ipſos etiam Epiſcopos interdum ad indignationem provocarunt: ac tum vero maxime, cum id hominum genus, Dominorum imperio jam minus obſequens, rem monetariam pro ſuæ voluntatis arbitrio tractare præſumpſit, quin & eo ſimul inſolentiæ progreſſum eſt, ut, nonobſtante Rudolfi I. Cæſaris Edicto deſuper in Comitiis Briſacenſibus Prob. 167. ad annum MCCLXXXIII. emanato, ſe ſe in male cœptis manuteneri voluerint, prout ſuo loco oſtendemus in ſequentibus. vid. Part. III. ad hunc annum.

Inviſi itaque tam Epiſcopis, quam populo, dum libertatem, & jura immoderatius ſectantur, vix non a Senatu Worm. in ſervitutem redacti ſunt, Mich. Gaſſer. qua de re audiendus nobis eſt Author Synchronus, qui factum refert in hæc Chron. verba: Worm. M. S.

„ Anno Dom. MCCCCLXXXIX. Conſulatus Wormatienſis impetra„verat ab Imperatore Friderico Mandatum contra Miniſteriales Epiſcopi, „vulgariter *Husgenoſſen*, ſive *Muntz-Junkern* dictos; eo fine ut hi libertati„bus ac juribus ſuis renuntiarent, cui cum parere negarent, eos unà cum

„uxoribus ac pueris urbe excedere coegerunt Wormatienses; secedunt itaque, & perfugii locum quærunt Neuhusæ, ubi remanserunt, donec Imperator melius informatus, Comiti Eberhardo de Wirtemberg causam examinandam commisit; quo peracto, Domicelli illi, seu *Husgenossen*, restituti sunt pristinis honoribus.

Verum Senatus propositi tenax; quo tempore se se ipsemet à jurisdictione Episcopi eximere conatus est, hoc simul Monetarios illos ab eadem revulsit; Tractatu desuper Anno MCCCCXCI. cum ipsis inito, per quem communi Civium sorti ac conditioni, mediantibus ter mille florenis, in perpetuum accesserunt. Dum primævæ subjectionis suæ notas adhuc commonstrant veteres Episcoporum Wormatiensium litteræ clientelares, per quas hi Tributum sibi ex receptione cujusque Monetarii debitum, vasallis suis donare solebant, in hunc aut alterum fere sensum: item; *Wer* HUSGENOSS *vvirt, der gibt davon VIII. Unz, und VII. Heller.* Item, *vver ein* HUSGENOSS *zu Worms vvirt, oder das* HUSGENOSSEN-AMPT ufsholt, *der gibt iglicher ein halben gulden.* Prout inter plures Anno MCCCCXXVI. Philippi Boos de Waldeck, & Anno MCCCCLXXX. Emerici de Lewenstein litteræ reversales, fidem faciunt.

Prob. 176. 217. & vid. Client. Worm.

§. IV.

De eo, quod circa Judæos versatur judicio, vulgò Juden-Gericht.

Judæos cum antiquissimis Wormatiæ Incolis invicem comparare non hæsitamus: postquam enim a tempore, cujus non exstat memoria, in eandem cum ipsis Civitatem recepti sunt, eadem, quâ & ipsi, lege, Episcopis fuêre subjecti. Hinc quoties in horum litteris de Civium Wormatiensium universitate agitur, toties Judæorum simul mentio recurrit, in hunc ferè modum expressa: *unsere liebe burger*, JUDEN, *und* CHRISTEN; quomodo & Fridericus II. Imp. in diplomate suo Hagenoæ ad annum MCCXIII. edito, declaravit; nullam se *in Civitate Wormatiensi apud* BURGENSES, *sive* JUDÆOS, facturum exactionem nisi per solum Episcopum, utpote rerum Dominum. Hoc tamen Judæis inhærebat amplius, quod sub Episcopi continua ac singulari tutela positi, aliud præterquam ipsius non agnoscerent Tribunal, cujusmodi exemplum nobis in hoc subministrat inter plures Annus MXCVII. donec tandem utraque hac prærogativa, sed feudi lege, donati sunt majores Palatii Episcopalis Camerarii, in quorum Illustri Gente cognomine etiamnum perseverat, vigore litterarum clientelarium, quæ sequentem hanc clausulam: *das* JUDEN-GERICHT, *und die* JUDEN *zu schirmen, als das herkommen ist*; constanter præ se ferunt. Hinc quoties Judæi, ritu suo, aut nuptias celebrant, aut funera ducunt, adest Bacillifer, ex parte prædictorum Camerariorum constitutus, qui in signum perpetui illius patrocinii, lugubrem, seu hilarem concomitantium ordinem, utrobique præcedit, munusque inde debitum recipit.

vid. Part. III. ad hunc ann.

Nec his obstat Caroli IV. Imp. Privilegium illud, per quod postmodum Anno MCCCXLVIII. Judæos eosdem in Civitatis communes usus transtulit, quandoquidem corporali sacramento erga Principem suum Episcopum, juxta formam antiquitus receptam, adstricti, remaneant, eaque omnia sedulo adimplere ac observare pergant, in quæ olim erga eundem jam tenebantur, nec non quæ solemne pactum Anno MCCCXII. initum, ab iis ulterius exigit.

Prob. 337.

vid. Part. III. ad hunc ann.

exigit. Cæterum Judæos, præter jam dicta, speciali cuidam judicio fuisse quondam reservatos, innuunt Emerici de Lewenstein litteræ, quibus recognoscit se se Anno MCCCCLXXX. a Reinhardo Episcopo in feudum accepisse inter alia plura: *Das* GERICHT *uff dem* HOFF *von den* JUDEN; *da sulln vvir unser theil haben.* Nisi hæc de supremo Dicasterio Aulico intelligenda sint; nam juxta Artic. LV. Transactionis Anno MDXIX. initæ, tenentur insuper judæi, triplex Forum agnoscere, nimirum: in Criminalibus Consules, & Senatum Worm. in contentiosis Judicium ordinarium, in usurariis vero Consistorium Episcopale, quod postremum tanto rigidius adversus delinquentes solebat procedere, quod Episcoporum Wormatiensium vetus prærogativa, seu jus quoddam singulare, inter reliqua in Cæsareæ Investituræ litteris nominatim comprehensum, id exigeret, cui accessit insuper Anno MDXLVIII. Caroli V. Imp. Edictum, vetans: ne quis Judæus bona subditorum Ecclesiæ Wormatiensis immobilia, ex capite usuræ, aggredi, seu attentare in judicio præsumat. Hoc insuper notandum occurrit, quod in materia Appellationis tenentur Judæi se se coram Judicio Aulico Episcopi sistere, Civitate præterita; ac tunc appellans deponit nummum aureum, ea lege: ut si causa cadat eundem simul amittat, quod si e contra eam evincit, simul evincit nummum. Prob. 299.

§. IV.

De Jure Monetandi.

Inter alia plura, quæ JURIS REGALIS *infra Civitatem Wormatiam* olim censebantur, (ut habent vetera diplomata) contulit Samueli Episcopi Ludovicus Germaniæ Rex, Anno DCCCLVIII. MONETAM *ad integrum*, sive jus feriundæ, signandæ, conflandæque monetæ; quod idem, postmodum Anno DCCCXCVIII. Arnolfus Imp. aliique ex ejus successoribus nonnulli, Ecclesiæ Worm. a novo confirmarunt, atque in ipsius ornamentis commodisque perpetuum exstare voluerunt. Prob. 6. 15.

Quanta autem cura invigilaverint posteri, ne quid insigni huic privilegio decederet, aut certe in eo, etiam ex parte ipsorummet Cæsarum obreperet præjudicii, testimonio esse poterit vel unus Henricus, hujus nominis II. Worm. Episcopus, dum Anno MCCXX. Francofurti in publicis Comitiis, reliquorum per Germaniam Coëpiscoporum suorum caussam, suam propriam reputans, Fridericum II. adegit in hæc verba, videlicet: *novas monetas*, se se *in ipsorum Territoriis seu Jurisdictionibus*, eis invitis ac inconsultis deinceps non statuturum: sed *antiqua monetarum jura*, eorum *Ecclesiis concessa*, servaturum inconvulsa & illibata. Quin & in altero illo generali utriusque ordinis procerum Conventu Anno MCCXXXII. Ravennæ celebrato iterum institit; ut idem supradictus Cæsar Fridericus, speciali Edicto vetuerit ne quisquam in Civitate, ubi *moneta cuditur*, merces aut victualia aliquo *argenti pondere* emeret, seu venderet; sed ad hoc nummis uteretur illa in Civitate passim notis ac receptis; quando in subsequente Conventu Utinensi Cæsar ipsemet sancte promisit: nullam *novam monetam* se se in alicujus Principis Territorio instituturum, seu cudi facturum, per quam ejusdem Principis moneta in aliquo deterioretur. Prob. 110. Prob. 120. & 121.

Unde prælaudato Henrico nostro postmodum facile fuit, & in generali Curia, quam Anno MCCXXXIIII. supradicti Friderici filius Henricus Rex, Prob. 127.
Fran-

Francofurti celebravit, sequens hoc obtinere decretum, videlicet: nemini, præterquam actu in itinere seu peregrinatione constituto, licitum esse secum deferre auri, aut argenti massam: sed quicumque argentum haberet venale, illud *ad monetam*, quod est: *Officinam monetariam*, præsentare teneretur; qui secus facere, & argentum sive aurum extra Civitatem Wormatiensem ad nundinas seu altròve transvehere præsumpsisset, hic amissione ejusdem puniretur ab Episcopo. Aliam insuper pro conservatione hujus sui juris sententiam, ex Friderici Cæsaris ore in Comitiis Cremonensibus idem Præsul re-
Prob. 132. tulit Anno MCCXXXVIII. licet ea non tam ad rem monetariam, quam ad Tribunalium suorum auctoritatem restabiliendam opus habuerit.

Cæterum; ut *Marcarum*, ac *Talentorum*, sic *Librarum*, *Unciarum*, *Solidorum*, & *Denariorum Wormatiensium*, antiquissima, nec non simul frequens in chartis, ac litteris diversis, mentio recurrit; notanter: in Notitia Burchardi II. Episcopi pro fundatione Cœnobii Franckenthalensis facta Anno MCXXV. ubi Præposito loci injungitur inter alia, ut quotannis duos *denarios argenteos*, WORMATIENSIS MONETÆ, super majus altare S. Petri Wormatiæ offerat, in recognitionem accepti beneficii; tum & in contractu illo, quem cum Henrico VI. Imperatore iniit Anno MCXCVI. Conradus Episcopus, ubi XIIII. unciæ, *Wormatiensis monetæ*, marcam puri argenti constituere dicuntur; tum & in altero quodam venditionis contractu Anno MCCXVI. celebrato, vigore cujus Abbas Schonaugiensis comparasse fertur a Bertolfo milite allodium quoddam in Dirmstein pro L. marcis, & XX. *Libris Wormatiensibus*, numeratis insuper uxori venditoris, pro pallio, *Unciis XXVIII. Wormatiensibus.* Huc quoque spectat vetus ordinatio Friderici a Domneck Episcopi facta sub annum MCCCCXXVIII. quam ex veteri Cod. MS. eruimus in hunc, qui sequitur, modum.

I. Uncia Hallensium facit XV. Hallens. veteres.

V. Unciæ Hallens. faciunt VIII. Solidos. III. Hallens.

X. Unciæ Hallens. faciunt XVII. Solidos minus IV. Hall.

Medius Solidus Worm. facit VIII. Hallenses.

I. Solidus Worm. facit XV. Hallens. veteres.

V. Solidi Denar. Worm. faciunt VIII. Solid. III. Hallens.

X. Solidi Denar. Worm. faciunt XVII. Solid. minus III. Hallens.

I. Uncia Hallens. æquivalet I. Solido Denar. & quisque facit XV. Hallenses.

Media uncia Denar. Worm. facit XIII. Hallens. vet.

V. Unciæ Worm. Denar. faciunt XIV. Solid. minus uno Hallensi.

I. Denarius Worm. facit II. Hallenses novos.

IIII. Denarii Worm. faciunt V. Hallenses.

Ubi comparatæ inter se unciæ, nec non solidi Hallenses, cum unciis ac solidis Wormatiensibus, valorem, seu pretium illud denotant, quod pro auctoritate sua a majoribus accepta, determinavit, ac iisdem inhærere voluit supradictus Episcopus, utpote rerum Dominus, proinde monetæ, seu Nummorum Wormatiensium solus, ac legitimus æstimator.

§. V.

§. V.

De Jure Telonii, Vectigalium, Censuum &c.

Francorum Regum munus omnium antiquissimum, quod in Ecclesiam Wormatiensem redundavit, jus fuisse TELONEORUM, testantur ipsimet Ludovicus, & Lotharius Cæsares, in Tabulis suis, per quas Anno DCCCXXIX. Prob. 5. Jus idem Richowico Episcopo ejusque successoribus confirmarunt. Auxit deinde proventus & commoda Ludovicus alter Germaniæ Rex, dum Anno Prob. 6. DCCCLVIII. præter omne Telonium, & vectigal, nec non quæcumque infra, vel extra Wormatiam in dominicum Fiscum redigi poterant, adjecit modii Regii exactionem. Similiter fecit Arnolfus Imperator, quando Fiscalinos servos, seu homines censuales, quorum magnus tunc usus erat, tum quidquid Wormatiæ Fiscus ejus in servitoribus debito servitio mancipatis, seu reliquis etiam Prob. 14. utriusque sexus mancipiis adhuc possidere videbatur, in prædictæ Ecclesiæ & 15. potestate deinceps esse voluit, duplici præcepto Annis videlicet DCCCXCVII. & DCCCXCVIII. desuper edito. Quæ omnia, postquam & Otto I. Imp. Anno DCCCCXLVII. nec non filius ejus æquivocus Otto, Anno Prob. 20. DCCCCLXXIII. suis quoque Tabulis rata ac firma habuissent, visa est super- & 26. esse adhuc Teloneorum tertia pars, quam Regio Fisco hactenus reservatam, tunc in feudum obtinebat Otto Dux, supradicti Ottonis II. Imp. ex Lukarda sorore nepos. At vero, ut gratiæ ac beneficii residuum illud, nunc tandem coalesceret cum anterioribus, effecêre Hildibaldi Præsulis nostri apud eundem Ottonem merita, prout ex hujus Filii Ottonis III. Augusti diplomate constat, Prob. 30. quod Anno DCCCCLXXXV. prodiit Duisburgi.

Concessi autem tam divitis, tamque insignis Telonei districtum, non urbem solam complecti, sed ab extra, etiam in Rhenum usque sese diffundere, ac illic intra fluvii hujus utramque ripam, certis quidem ac determinatis; sed longe protensis limitibus, cum omnimoda jurisdictione, nec non cunctis utilitatibus, quocumque nomine censeantur, comprehendi, docent nos tum chartæ veteres, tum Cæsareæ Investituræ instrumenta, quotquot horum exstant; de reliquo, varias vectigalium species, quales sunt: *Portorium*, quod in ipso civitatis ingressu penditur; *Forense*, quod de eduliis in foro venum expositis, solvitur; *Pecuarium*, quod de omni pecude præstatur; *Nauticum*, *Pedagium*, aliaque id genus plurima, ab uno, eodemque fonte promanantia, hic sigillatim referre, aut recensere duximus superfluum. Quandoquidem Telonii generale jus illud, cum superioritate territoriali conjunctum, Episcopis Wormatiensibus sat autoritatis tribuebat, ut sub multiplici nomine, quamquam legitima semper ratione suffulti, de rebus quibuslibet commercio aptis, emolumenta, ac utilitates suas tam a subditis, quam & exteris, quærere potuerint, prout certe quæsierunt. Hinc passim inter vetustiores Ecclesiæ Wormatiensis Ministeriales, sub simplici TÉLONEARII nomine, occurrunt: *Gerbodo* ad Annum MCXXVII. *Henricus* Annis MCXXXVI. & MCXLII. *Wernherus* Anno MCLII. aliique plures, in diversis Episcoporum Worm. chartis seu litteris comprehensi, quibus munus illud ab his fuerat demandatum.

Verum enim vero; postquam Telonium & vectigalia illa, etiam ad civium manus devenerunt, factum est per sequiora tempora, ut quibus hactenus titulo conductitio dumtaxat, aut certe pignoratitio usi fuerant, ea deinceps sibi in pro-

prium retinere conati fuerint; cujus afferti nostri sat luculentum indicium
Prob. 91. præbet vel unicum illud Friderici I. Diploma, per quod Anno MCLXXX. idem Imperator Cives prædictos de expresso consensu ac voluntate Conradi Episcopi a Jure manus mortuæ, quod odiosum ac grave nimis videretur, tum & a censuum, quos in singulas Familias & capita pendere solebant, solutione eximens, voluit insuper, ut eorum nemo invitus a Magistratu super *Telonium navium* constitueretur, ne *servitium*, tam sibi, quam & EPISCOPO WORMATIENSI *exinde debitum*, minui fortassis contingeret.

Erat itaque tunc penes Magistratum Civicum, si non totalis, saltem aliqualis Teloneorum ad Cæsarem, & Episcopum, in commune spectantium, administratio; & quidem (quod verba diplomatis innuunt) non sine periculo defraudationis. Ast ubi iidem Reges, seu Imperatores, Privilegiorum a prædecessoribus suis olim concessorum haud satis memores, jura Ecclesiarum & ipsi cœperunt minuere, *nova Telonia* in earum Territoriis erigendo, quin & *nova Fora*, & *Banna Nundinatoria*, cogendo, aliena ab earum dominatu; quæsitum tandem est urgenti jam plus nimium malo remedium; & primò quidem in Comitiis Anno MCCXX. Francofurti celebratis; dein & in aliis successivè, tum Ravennæ, tum Sibidati, Anno MCCXXXII. in eundem finem indictis; nec a proposito destiterunt Episcopi, donec præjudiciis, ac novitatibus, in totum sublatis, antiqua jura Ecclesiis suis fuêre restituta; quanquam sorte ac fortuna minus prospera in hoc usi sunt Wormatienses Episcopi: siquidem, haud diu post, vetus collectandi, seu exactiones & angarias constituendi Jus, quo hactenus soli gaudebant, communicandum cum Civibus, quin & Telonium, aliaque ejusmodi emolumenta, denuo ex Imperatorum manibus fuêre requirenda, quæ proinde, non nisi incisa ac imminuta recuperare licuit.

Prob. 110. 120. 121.

Prob. 246. art. 13.

Sic sensim periêre splendida illa Wormatiensis Ecclesiæ decora: Nam quod ex iis reliquum permansit, id Cives sibi quærere, ac retinere modis omnibus studuerunt; quasi parum esset, quod in opprimenda Episcoporum suorum auctoritate hactenus fecerant, nisi & hoc quoque fructu eos privarent. Hinc largam caussa hæc litigandi materiam semper præbuit, præbetque etiamnum; dum insuper effecit, ut in singulis fere subsecutis Transactionibus, Teloniorum, vectigaliumque frequens recurrerit mentio, sed plerumque odiosa; cum, nescio quo ducti fato, Cives, adversus Ecclesiæ jus illud antiquissimum nihil tentaverint unquam, quod seu vi, seu clam, seu precario, non obtinuerint; prout id fusè demonstrabimus in sequentibus. Quando tamen in idem hoc suum Regale, ipsosmet Cæsares intendere, illudque integre servare, oportuerat; qualiter ex ipsis Maximilianus hujus nominis, non certe I. sed II. fecisse reperitur, dum per speciale diploma, die XIX. Septembris Anni MDLXVII. edito, Wormatiensibus publicas Nundinas tempore Pentecostali quotannis celebrandas, indulsit, hac lege: ne quid Episcopo circa Teloniorum jura ipsi ab antiquo debita exinde decederet.

Prob. 256. 257. 299. & 309.

vid. Part. III.

Prob. 321.

CA-

CAPUT III.

De Episcoporum Wormatiensium supremo, directo, & utili in Cives, & Civitatem Wormatiensem, Dominio.

Wormatia, sive sub veterum Romanorum potestate, sive sub Francorum Regum Imperio constituta, Jus Reipublicæ nullum, proinde superioritatem nullam, Regimenque ex se nullum habuit, sed omni prorsus jurisdictione destituta, primùm per Præsides, dein per Comites, vicaria utrobiquè potestate, gubernata fuit, donec qui Civitati antiquissimæ dati fuerunt Episcopi, spiritualia jura sua temporalibus conjungendo, ejusdem, necnon circumjacentis Regionis, quæ conjunctim cum ipsa Territorium clausum ac separatum effecit, simul Domini facti sunt; quemadmodum id in superioribus jam demonstravimus; nec alio fine ea latius hic prosequimur, quam ut novis exemplis ostendamus: Episcopos Wormatienses, Jura omnia Civitatis constanter obtinuisse; ut enim ab ipso Fundo, seu Territorio ordiamur, nihil profectò in rem nostram facit evidentius, quam quæ de Burchardo hujus nominis I. ante annos DCC. in membranas retulit Autor Synchronus, dum Præsulem hunc consepultæ ruderibus suis Wormatiæ, velut instauratorem præcipuum deprædicat, quodque insuper Turribus & Propugnaculis universum ejus solum occupaverit, simul Dominum manifeste innuit.

Equidem; post perpessam Anno DCCCXCIII. ex Normannorum incursu vastationem, quam Hunnorum, seu Hungarorum duplex illa, annis videlicet DCCCCXXIII. & DCCCCLIIII. subsequentibus, excepit, usque adeo desolata jacuit Wormatia, ut (teste anonymo nostro) non *usui Hominum*, sed *ferarum, & maxime Luporum latibulis, aptissima esset: planities enim valli, & destructio muri, Latronibus & feris facillimum præbebat introitum* Quam tristem florentissimæ olim urbis sortem miserti præ-primis illorum temporum Antistites Theothelacus, Richowo, & Hiltibaldus, ejus instaurationi non parum videntur insudasse; siquidem jam Anno DCCCCLXXXV. in diplomate, quod postremo huic Rex Otto III. concessisse reperitur, simul Wormatiæ *novæ*, & *antiquæ*, mentio recurrit. Quanquam Hiltibaldi proximus Successor antedictus Burchardus, hoc amplius laudis ac gloriæ promeruit, quod intentatum eatenus moëniorum opus, cujus præclara vestigia etiamnum supersunt, aggressus, stupenda in omnem posteritatem celeritate, intra quinquennium absolvit; nec satis: sed, ut erat vir maxime providus ac circumspectus, jussit simul: ut si quid imposterum labis, aut damni ingens illa ac vastissima moles, seu temporum injuria, seu alias contraxisset, id urbis Incolæ, nec non circumvicini Accolæ pro sua cuique assignata parte quantocyus instaurarent. Edictum ipsius perpetuum desuper in Tabulas redactum hic subjicere lubet.

[Marginal notes: Contin. Regin. Marian. Scot. & Annalista Saxo. — Prob. 30.]

„ De loco, qui dicitur *Frisonen-Spira*, usque ad Rhenum, ipsi FRISO„NES restauranda Muralia procurent.

„ RIEDELESHEIM, VUINESHEIM, EICHANA, HAM, METTEN„HEIM, a supradicta *Frisonum-Spira* usque ad locum, qui *Rheni-Spira* vo„catur, provideant.

„ *In eodem latere Civitatis*, FAMILIA SANCTI LEODEGARII, *portam* „*quandam* reædificare debent.

„ Deinde, usque ad *Pavonum portam*, URBANI, qui Heingeriden vo„cantur, operando pervigilent.

„ Hinc usque ad *Angulum meridianum*, BOBENHEIM, LIGRICHESHEIM, „ROXHEIM, AGRESHEIM, & omnes juxta Rhenum habitantes, usque ad „HEMMINGERESHEIM prævideant.

„ Media pars de RUCHEIM, & sic omnes ab alia parte Rheni habitantes „usque ad fluvium, qui Karlebach vocatur, *in occidentali angulo* terminum „operis ponant; de quo angulo incipientes ex utraque KARLEBACH, usque „KIRCHEIM, & *usque ad Sancti Andreæ Portam*; ab hinc omnes ex utraque „parte fluvii, qui YSANA vocatur, sedentes, usque ad MERTESHEIM, muros „civitatis usque *ad portam Martini*, procurent, de qua, omnes juxta utramque „fluvii partem, qui PRYMMA vocatur, quousque MALESBACH eundem fluvium „influit, usque ad jam dictam *Frisonem-Spiram*, provideant.

Præterea: de media parte MUNTZENHEIM usque ad DIENHEIM, tam hi, quam omnes, infra ambitum prædictorum fluviorum & villarum habitantes, eandem Civitatem cum propugnaculis, & omnibus necessariis, prout tunc temporis locus exegerit, incessanter insistant.

Insigne profectò antiquitatis monumentum! & ad plenum Episcopi Dominium, tam intra, quam extra urbem Wormatiam asserendum, evidens nec non simul efficax argumentum; quod cum Fridericus Zornius, & Andreas Wilckius, ambo licet civico Regimini addicti, in sua quoque MSS. Chronica Wormatiensia referre non dubitarint, fidem meretur tanto majorem.

Urbe itaque, in eam, qua sese effert amplitudinem, a novo efformata, civibusque, adhuc pro magna parte palabundis, ad pristinas sedes feliciter revocatis, dum Burchardus noster, pro utroque munere suo, saluti ac commodis singulorum intendit, magnaque potentia renascentem Rempublicam stabilire pergit, Ottonis Principis invidiam in se concitavit. Erat is alta Ducum Wormatiensium ortus progenie, qui non dominio, aut proprietate loci, aut jure aliquo ita passim nuncupabantur, sed simplici titulo, eo quod prædium cum palatio, sibi beneficii vice a Cæsaribus concesso, Wormatiæ possiderent. Hæc autem nobilis ædificii moles, cum esset firmissima, crebris exinde infestationibus Clerum simul & populum usque adeo divexare coëpit idem Otto, ut vincula & servitutem, vulnera & prædam quasi quotidie quererentur. Non tulit iniquam Tyrannidem Episcopus, sed ut se, suosque valide adversus eandem tueretur, quod incolebat palatium, in Castelli formam redactum, turribus munitionibusque adauxit, dein firma, tam ministerialium, quam & Vasallorum manu undique accersita, vim vi repellere, quin & ulteriores intestini hostis excursiones fortiter reprimere, eumque vicissim modis omnibus defatigare non destitit; donec tandem ad æquas pacis leges adegit. Verum cum nec sic Hospes sibi tutus videretur ab Hospite; in hoc seriò intendit Burchardus, quomodo civitatem suam ab imminenti jugo, nec non quotidiano metu liberaret; jamque in eo erat, ut circumducto muro, nidum illum unà cum habitatoribus excluderet, quando Ottonis III. Imp. mors interveniens, oportunius aliquod huic malo remedium attulit; nam, qui eidem mox successor designatus fuit Henricus, Bavariæ Dux, præstitam sibi in adipiscendo

Vid. part. III.

piscendo Imperio non levem antistitis nostri operam compensare, ejusque simul votis satisfacere cupiens, inito sub Annum MII. cum duce Ottone concambio, huic Bruchsellam pagi Creisgowiæ caput, nec non quas Burchardus ipse pecunias de suo in eundem finem adjecerat, perpetua donatione contradidit, ea lege: ut quidquid idem dux, seu beneficiario seu proprietario jure hactenus in urbe Wormatia obtinuisset, id omne cum universis attinentiis ipse in potestatem ac dominium Burchardi Episcopi, hujusque successorum transfunderet; quod pium Henrici Regis factum, singulari etiam diplomate a se confirmatum, in Annales suos referens Ditmarus Merseburgensium tunc temporis inclytus Præsul, sequentibus hisce versibus celebrare duxit operæ prætium. Prob. 41. Ditmar. Chron. lib. V. in fine.

URBS WORMACENSIS *gaudet temporibus istis*
Libertate sua, cujus manebat in umbra
Hactenus; atque Ducum fuerat sub lege suorum.
BURKARD *Antistes lætatur, & inter Heriles,*
Ex animo, Proceres, quod non timet amplius Hostes;
Nunc ex contiguo longe semotus ab illo,
Aula Ducis, Domini domus est; jam prædia CHRISTI,
Et Judices varios Clerus nunc deprimit illos.
Hoc Rex HENRICUS *fecit pietate coruscus,*
Hanc propriis rebus solvens, CHRISTO*que remittens.*
Annuit ista pius OTTO *Dux, atque benignus*
Munere regali, concessit abunde teneri.
Ex hoc lætantes sint semper quique Fideles.

Enimverò Burchardus, *Wormatiâ*, sic demum *in potestatem beati Petri* integre ac absolute *redactâ* (ut ipsemet loquitur) nihil habuit sollicitius, quam ut Ducis palatium illud, sibi suæque civitati olim tam noxium, everteret funditus. Ne autem humanæ vindictæ plus aliquid in hoc tribuisse videretur, insignem sumptuoso opere Basilicam eodem in loco erexit, eamque XX. Canonicorum collegio instructam, nec non amplissimis ditatam redditibus, Divo Paulo, Gentium Doctori, sub Annum Christi MXVI. propriis manibus dicavit; tum beneficia beneficiis cumulando, etiam Ysenæ Rivi fluenta a fonte deorsum, simul cum ejus alveo qui per mediam ducit Civitatem, nec non cunctis utilitatibus exinde provenientibus, in eorundem Canonicorum proprietate, perpetuum esse voluit. Nec hic stetit Præsulis sanctissimi zelus, sed æde principe in eam qua se se spectandam præbet formam ac pulchritudinem a fundamentis instaurata, Collegialem Ecclesiam Sancto Andreæ Apostolo sacram de foris sitam, intra urbis suæ mœnia recepit, & loco, qui sibi ad hoc visus est oportunior, non sine ingenti expensarum mole, collocavit. Prob. 48. Prob. 49.

Sedulus Burchardi imitator exstitit, qui & eundem postmodum in sede Wormatiensi excepit Adalbertus. Hic enim tum ejus, tum aliorum suorum Prædecessorum egregia facta, nec non ordinationes publicè aliquando collaudans: *inter cætera* (inquit) *secundum quod* CIVITATEM NOSTRAM *ab ipsis divisam, in quatuor accepimus Parochias, nos Parochiam Sancti Pauli terminavimus.* Prob. 66.
Dein hujus limitibus in diploma suum Anno MLXXXIIII. desuper editum, ordine relatis, simul Canonicorum Sancti Pauli commodis ut plurimum inten-

intendit; siquidem ipsis *duas Portas*, nec non *duo foramina* PER MURUM CIVITATIS indulsit, serio prohibens: ne quis ea in parte (ubi certa ac indubitata concessi privilegii etiamnum exstant indicia, cum uni etiam ex illis portis, nunc præclusis, superposita S. Pauli statua adhæreat) *exitum* eorum, suis necessitatibus oportunum, *per terram*, vel *per aquam* obstruere vel arctare præsumat.

Audiendus & nobis est ex Adalberti Successoribus Henricus, hujus nominis II. dum in Fratrum Ord. Sancti Dominici, quos sub Annum MCCXXXIII.
Prob. 125. Wormatiam invitaverat, admissione ita loquitur: *Præbuimus ipsis assensum & auctoritatem bonæ voluntatis nostræ, emendi locum, sive areas, ad construendum* CLAUSTRUM *&* ECCLESIAM, *cum aliis officinis, & inhabitandum* INFRA MUROS CIVITATIS NOSTRÆ, *ubicumque potuerint, excepto eo loco, quem dicti Fratres primitus occupaverunt, quem quidem locum accipient ad censum debitum.* Simili fere consensus formula Eberhardus Episcopus usus est erga Divi Augustini, nec non & Divi Francisci Familias, nisi quod his fundum domiciliis suis exstruendis necessarium gratuitò assignavit, ut testatur vetus autor anonymus in hæc plane verba:

„ Sub Domino EBERHARDO venerabili Episcopo intraverunt Fratres „ Sancti Augustini, & Fratres de Saccis, Civitatem Wormatiensem, licentiati „ a Domino Episcopo, *Civibus* totaliter *irrequisitis.* Acta sunt hæc Anno Do„ mini MCCLXIV. mense Decembri ante Natales.

Utriusque autem monasterii fundum, Magistratus urbanus, in sæva illa temporum perturbatione, quando religio jam prope exulare coacta fuit, a residuis Fratrum illorum putidis aliquot membris præsenti pecunia acquisivit, ac in usus suos convertit.

Huc insuper faciunt litteræ Emichonis Episcopi Anno MCCXCIIII. ab ipso editæ, quas proinde integras proferimus.

„ EMICHO Dei gratia Wormatiensis Episcopus universis præsentes „ litteras inspecturis salutem in omnium salvatore.

„ Pro eo quod honorabiles Viri, DECANUS & CAPITULUM Ecclesiæ „ Sancti MARTINI Wormatiensis, de quadam Curia in eorum Parochia „ sita, quam quondam bonæ memoriæ WILHELMUS, ejusdem Ecclesiæ San„ cti Martini Decanus possedit, quam ANSHELMUS de OPPINHEIM judeus „ comparasse dinoscitur, preces nostras favorabiliter admiserunt, eis pater„ na sollicitudine providere volentes: *ne ullus judeus inanteà aliquam Curiam,* „ *sive domum, in dicta Parochia debeat comparare*; quod qui facere præsum„ pserit, Cameræ nostræ XX. Ecclesiæ Sancti Martini XX. & Civibus Wor„ matiensibus XX. marcas argenti pro pœna persolvet &c.

Ex his enim discimus, Judæos olim per urbem sparsim habitasse, nec non Episcopi dominio in totum fuisse subjectos; quandoquidem (quod aliunde constat) pro solo jure domiciliii, annuum XL. librarum Hallens. censum ipsi pendere solebant. Exstant & aliæ ejusdem Præsulis litteræ, tum
Prob. 182. pro fundatione Ecclesiæ Collegitæ S. Mariæ, quam, utpote in *suburbio*
& 183. *suæ Civitatis* factam, Anno MCCXCVIII. necessaria autoritate corroboravit; tum pro receptione Fratrum Ord. B. Mariæ de monte Carmeli, quibus Anno

Anno proxime sequenti MCCXCIX. domicilium firmum & stabile indulsit in hæc verba: *concedimus, ut in loco, quem nunc* EXTRA MUROS CIVITATIS, NOSTRÆ WORMATIENSIS, *recepistis & possidetis*, ECCLESIAM, ORATORIUM, *&* CLAUSTRUM &c. *habeatis. Quod si sedem mutare contingat; consensum & auctoritatem impertimur, ut Ecclesiam* INFRA MUROS CIVITATIS NOSTRÆ *prædictæ, domos, & loca pro Ecclesia, claustro &c. construendis recipere valeatis.* Et certe; postquam Mars Suevicus in Imperio jam turbasset omnia ipsi Fratres Anno MDCLVII. coënobio suo exusto, in urbem migrarunt, protegente, nec non liberaliter eos habente Hugone Eberhardo, tunc temporis Episcopo, donec pristinis sedibus fuêre restituti. Prob. 332.

Longior forem quam ratio postulat, si singula Oratoria, Templa, nec non Opera, seu ædificia publica hic recensere pergam, quæ eadem autoritate in oculis ac conspectu Civium erecta fuêre; cum vel pauca illa jam a nobis commemorata, satis superque innuant, Episcopos Wormatienses non curasse in his populi subditi suffragium, sed urbis suæ, ut & fundi ejusdem constanter fuisse Dominos, siquidem & suos in ea habuerint *Præfectos.* Hinc toties in ipsorum chartis seu diplomatibus recurrit illud *Civitas nostra*; quo, præter antedictos Præsules passim in chartis, seu litteris suis usi sunt BURCHARDUS II. Anno MCXXXVII. LUPOLDUS Anno MCCXVI. RICHARDUS Anno MCCLIII. EBERHARDUS Annis MCCLXI., MCCLXII. & MCCLXXI. EBERWINUS Anno MCCCVIII. ECHARDUS Anno MCCCLXXXIV. tum & ex recentioribus fere omnes, notanter uterque REINHARDUS I. videlicet, & II. quibus hæc præsertim clausula: *Datum in Civitate nostra Wormatiensi*, nec non hæc erga Consules, & Cives Wormatienses apostrophe: *unser lieben Getrevven*, quod est: *dilecti nostri Fideles*, usitatissimæ fuerunt. Quo sensu etiam *dilectos nostros cives*, seu alias *unsere lieben Burger, beide Christen, und Juden*; jam olim dixère FRIDERICUS Anno MCCLXXVIII. SIMON Anno MCCLXXXIII. EBERHARDUS Anno MCCXCIII. aliique eorum successores Episcopi, unde & ECHARDUS acceptam ab ipsis locutionem suæ quoque chartæ inseruisse reperitur, per quam Anno MCCCCII. recognoscit sibi de CCCL. florenis vigore certi cujusdam tunc initi contractûs percipiendis, ex parte Magistratus Worm. plene fuisse satisfactum: *des hant uns die egenanten Burgermeistere, und Rath der stat zu Worms*, UNSER LIEBEN GETREWEN, *die vorgeschriven vierthalb hundert gulden, gentzlich und gar bezalt.* Et quidem duplici ex capite *dilecti Fideles* imposterum audierunt, nimirum: quà subditi, & quà Vasalli, simul; nam posterioris hujus Tituli, seu potius qualitatis, testes exstant litteræ eorum reversales, omnium antiquissimæ, quas proinde integras hic lubet producere. Vid. supra Cap. II.

„ *Wir* BURGERMEISTER, *und* RADT, *der* STADT WORMS, be-
„kennen —— das von dem Hochwurdigen in Gott Vatter, und Hern,
„Hern JOHANS Bischof zu Worms, *unserm gnedigen lieben Herren*, der ersa-
„me Marx Morsheimer, gnant Wagentriber, unser Mitburger, von unser,
„und unser Stadt, und auch von unsern besundern geheiss wegen zu Lehen
„entphangen han, sin leptag uff, und nit further uff sin erben, die-
„se hernach geschriben gude: den Spanswerd, da der weg durch-
„ghet an das far, mit aller siner zugehorde obwendigk und indewendig des
„wegs, als er gelegen ist; ane alle geverde. und Er hat auch von Unser, und sinen
„wegen globt, gehuldt, und geswom, dem obgenanten unserm gnedigen Herren,
„und

„und finem Stifft, getruwe, holt, und gehorſam zu ſin &c. Datum uff „ſanẞ Barbaren tag, nach Criſti unſers Herren geburt MCCCCLXXXII. „Jare.

Hinc paſſim ſtylus Curiæ, etiam hodiernæ, *den Erſamen vveiſen unſern lieben getrevven Burgermeiſter, und Rath der Stadt Worms*, hucusque obtinuit, quando vice verſa idem Magiſtratus Epiſcopum ſuum, tum ſcripto, tum viva voce haud aliter quam Dominum ſuum *unſer Herr der Biſchoff*, quin & ſimpliciter, ſed rectius, *unſer Herr von Worms* ſalutarunt; idque olim, ſæculo titulorum parco: Nam poſteris temporibus idem Epiſcopus apud ipſos etiam gratioſus Dominus, *gnädiger Herr*, & *gnädiger lieber Herr*, audiit, auditque in præſens. Dum interea aliam, præter communem illam urbis: *der Stadt Worms*, ſive *der Stadt zu Worms* appellationem, Wormatia non habuit; nec in ullis actis, chartis, aut litteris, tam publicis, quam privatis: *Civitas Imperii*, dicta, ac nuncupata fuit ante ſæculi XVI. initium; ac tunc quidem tumultuarie ac arroganter ſatis; ut patebit in ſequentibus. Ea enim fuêre, ſuntque etiamnum Epiſcoporum Wormatienſium in ipſam ſuam Civitatem jura, quæ eandem, ſaltem cum reliquis per Germaniam Municipalibus, ut facile, ſic meritò confundant.

vid. Part. III. ad ann. 1508.

Etenim; qui, pro recepto aliàs more, Præſul deſignatus, confirmatusque, Urbem, ſolemni ritu, equo vectus ingreſſurus erat, huic adventanti ambo Conſules, vel unus ex ipſis, cum aliquot Senatorii ordinis viris, nec non lectiſſimorum Civium turma equeſtri, obviam procedebat, patentique campo, omnes Principi adventum gratulati, Conſul propius accedens, humilique voce Dominum reverentur ſalutans, rogabat eundem, vellet Civitati antiquas conſuetudines, privilegia, jusque id omne quod more majorum ſibi peperiſſent, confirmare; id poſtquam Epiſcopus dextra pectori adhibita palam teſtatus fuiſſet, ſplendido comitatu per urbem mediam, Civibus cum candela ardente in manu, utrumque plateæ latus ſtipantibus, deducebatur usque ad ſummi Templi penetralia; illic a Clero, religioſisque ordinibus exceptus, Equum, quem aſcenderat, permittebat excurrere, ut fieret primò occupantis, & ſi quis capitis damnatus forte in vinculis tunc detinebatur, hunc vita donabat. Poſthæc, mutata veſte, Præſul inter fauſtas populi acclamationes, nec non Cleri Hymnos, cantusque, ſolemni cum ſupplicatione ad aram maximam, inde vero, ſacris prius rite exſolutis, ad Palatium progreſſus, lætam pompam magnifico, ſumtuoſoque Epulo claudebat; tum die proxime ſequenti, ad trinum æris campani pulſum, convocatus in Palatium Magiſtratus, ibidem novo Principi fidelitatis Homagium, juxta veterem formulam conventionibus inſertam, præſtabat, ſe ſe, Remque publicam univerſam, quam circumfuſa Populi multitudo exprimebat, in ejus verba committendo.

Hic ille ſolemnis inaugurationis actus erat, quem, ob varios caſus, quibus videri poterat obnoxius, jam ab aliquo tempore intermitti quidem, non tamen idcirco aboleri placuit; cum id ab arbitrio Principis dependeat. Scriptum eſt enim: Wormatienſes, Epiſcopo ſuo, (Electo, an confirmato, non refert) una, eademque fidelitatis & obſequii lege perpetuum teneri in omnibus, ſive urbem, pro recepto aliàs more, ingreſſus fuerit, ſive non; cum & annis ſingulis, quo die Magiſtratus ordo innovatur, eodem ſe ſe erga ipſum ſubjectionis ſacramento adſtringant, quo erga Cæſarem, quanquam ſub diverſo reſpectu, medietatis videlicet & immedietatis; cæterum pro indubitatis

Prob. 299. art. 59.

Ibid. art. 57. 58.

tatis Episcopi sui, quà Domini Territorialis, subditis habendi sunt, quamdiu de eorundem exemptione legitime obtenta, non constat.

Unde; qui ad regendam Rempublicam, juraque temperanda, olim Wormatiæ, præter Comitem, adhibiti fuerant Judices XII. ex universo Ministerialium corpore, Episcopi arbitrio delecti; hi potestatem, ac autoritatem suam omnem haud ab alio, quam ab ipso mutuabant; idque juxta receptam passim in Imperio veterem consuetudinem, ipsius etiam Cæsaris Friderici II. calculo probatam, dum Anno MCCXXXII. in Comitiis Ravennatensibus, publice testatus est: *Quemadmodum retroactis temporibus*, ORDINATIO CIVITATUM, *& bonorum omnium, quæ ab Imperiali Celsitudine conferuntur, ad Archiepiscopos &* EPISCOPOS *pertinebat; sic eandem ordinationem ad* IPSOS, *&* EORUM OFFICIALES, AB EIS SPECIALITER INSTITUTOS, *perpetuo pertinere.* Quod enim Fridericus I. Imp. jam inantea anno videlicet MCLVI. ibidem Wormatiæ erexerat Tribunal, id pacis publicæ conservandæ causa fecit, ut supra jam ostendimus; proinde Cives illi XXVIII. quos antedictis XII. Ministerialibus in eodem assidere jusserat, intra mandatorum suorum fines rigide semper fuêre coarctati, nec ulla ipsis in urbe tum Civilium, tum capitalium rerum permissa cognitio, quoadusque tandem Episcopo debitam subjectionem voverunt; ac tunc quidem Nomen, ac titulum tam publicis quam & privatis notitiis seu instrumentis, sententiis, & ordinationibus præfigere, aut easdem suo testimonio roborare licuit, cujusmodi plurima exempla supersunt, ex quibus unum Anno MCCXX. ab ipsis promulgatum Edictum, sic orditur.

Prob. 120.
vid. supra Cap. II. §. 1.

„MINISTERIALES, JUDICES, & CONSILIARII WORMATIENSES; „ad honorem & profectum Civitatis propensius intendentes &c. præcipimus, „& SALVA INDEMNITATE DOMINI NOSTRI EPISCOPI, ratum esse volu-„mus, ut Barones, Comites, Milites &c. nullam in hospitiis pressuram, „vel incommodum ex concursu Jaculatorum sustineant &c. Ubi *indemnitas* seu libertas illa Principis, idem est quod *Superioritas Territorialis*, siquidem hæc per eam rite denotatur. Exstat insuper Lupoldi Episcopi charta confirmatoria cujusdam contractus Anno MCCXVI. initi; quæ facta dicitur WORMATIÆ, *adstipulantibus XL. consiliariis* NOSTRÆ CIVITATIS, *in Ecclesia sancti Stephani*; qui locus, Palatio Episcopali, ubi conventus suos agere solebant, proximus erat. Hinc & in alio simili contractu, finalis clausula sic habet: *Acta sunt hæc Wormatiæ* IN PALATIO EPISCOPALI *Anno MCCXIII. nonas Junii*; quanquam postmodum Anno MDXIX. concessum fuit conventus illos aliò transferre.

Frid. Zornii Chron. Worm. M. S.
Anonym. Kirchsgart. in Chron. M. S.

Substitit autem hic qualiscumque Senatus usque in annum MCCXXXII. quo iisdem cum plebe involutus Factionibus, easdem cum ipsa pœnas dedit, prout alibi expendemus fusius. Prodiit itaque ex subsecutæ tunc compositionis Legibus, in quas Episcopus, nonnisi fato quodam adactus, consensit, jam tertia Regiminis Civici forma, illustrium aliquot arbitrorum voluntate, nec non ipsiusmet Henrici Regis interventu, in hunc fere modum disposita: Penes Episcopum potestas esto deligendi ex universo Civium corpore, probæ notæ viros novem. His vero permissum sit deligere vicissim milites sex, de illorum numero, qui civitate donati, omnium visi fuerint præstantissimi, observata utrobique fide integra; horum autem XV. virorum, sub perpetuo Episcopi præsidio, id muneris sit: justitiam colere, ac simul bono publico invigilare; qui secus fecisse deprehensus fuerit, è reliquorum coëtu,

vid. Part. III. ad hunc Ann.
Prob. 123.

ejusdem Episcopi autoritate, ejiciatur, mox suplendus per alium. Insuper conventum fuit, ut simultaneo, tam Episcopi, quam & illorum XV. virorum voto, Prætor, cum Scabinis, aliisque Ministris suis constitueretur quotannis in festo S. Martini.

Unde velut spurias ac interpolatas meritò rejicimus chartas illas, seu Tractatûs jam dicti Exempla, quæ præter memoratos articulos, etiam sequentes continent, in hæc verba.

„ Item Dominus Rex ex IX. Burgensibus Consiliariis eliget unum in Ma„ gistrum Civitatis, commutando ipsum, si placuerit, de anno in annum, „ vel immutatus ab eo in eodem officio pro suæ voluntatis arbitrio permane„ bit. Nos vero de sex militibus unum eligemus in festo sancti Martini, & „ ipsum de anno in annum commutabimus. Item omnes Fraternitates Ci„ vium, *Husgenoz*, & *Wiltvverkere* illis exceptis, omnino penitus cessabunt. „ Præter hæc omnia quæ supra dicta sunt, nos jura omnia, omnia privilegia, „ bonas consuetudines Civitatis salvas conservabimus, confirmabimus, & „ meliorabimus.

Prob. 124. Siquidem, nec Rex, nec ipsi Cives, quorum tamen maxime intererat, fictitia pacta illa in chartis suis separatim editis, ne verbo quidem attingunt. Præterea, ut quid hic *Burgenses* vocantur, qui in genuino contractu haut aliter audiunt quam *Cives*. Et in decreta generali illa Tribuum, seu Collegiorum suppressione; cur hìc excipiuntur *Hussgenoz* seu monetarii, qui immediate dependebant ab Episcopi jurisdictione? cur denique *Wiltvverker* seu pannifici excipiuntur, cum tamen ab his, utpote numero ac opibus præstantioribus, plus imminebat in seditionibus periculi.

Duplex itaque deinceps fuit Consessus Senatorius, prior mixtim ex Equestris ordinis viris, ac Patriciis aggregatus; alter ex Civicis Tribubus adscitus; quomodò primitus factum fuisse discimus ex anonymo coævo.

„ Anno MCCXXXIII. Dominus HENRICUS Episcopus cum Clero Wor„ matiensi venit Nuhusam, & accesserunt Cives universi ad ipsum; illic pedes, „ & genua incurvantes super Terram, absolvit Dominus Episcopus ab Excom„ municatione, & sic cum gaudio omnes simul reversi sunt in Civitatem, & di„ vina continuo constituta, & statim cum Dominus Episcopus intravit Civita„ tem suam, continuo elegit sub forma prænotata novem Consules, & convo„ cato populo per campanam, coram in Stega sua, præsente Clero ipsos novem „ denominavit &c.

Hinc etiam duplex Litterarum initialis forma invaluit, nimirum: *Wir die* BURGERMEISTER, und der RAD, *gemeinlich der Stadt* WORMS; nec non: *Wir* SCHOLTHEIS, *und* SCHÖFFENN, *und das* WELTLICHE GERICHT *der stadt* WORMS. Verum, ut est mutabile semper vulgus; necdum anni multi effluxerant, quando supradictis illis XV. viris, unum superaddere, atque adeo XVI. urbanorum, seu Heimburgiorum Tribunal, de quo superius egimus, abrogare, ac in Magistratum civicum transfundere visum est, baculo dumtaxat ad honores retento; hunc siquidem, omnibus Heimburgiis olim communem, solus nunc, ab Episcopo acceptum, deferret Civium Magister, seu Consul primarius; nam sub simplici consulis nomine, olim quilibet ex Magistratu designabatur, quomodo inter alia sumenda sunt, quæ vetus autor notat his verbis:

vid. supra Cap. II. §. 2.

„ Anno

„ Anno MCCLII. Dominus REINHARDUS intravit in Civitatem Wor-
„ matiam in vigilia Cathedræ Petri, & ſtatim poſt ipſius introitum, *aſ-*
„ *ſumptis, & reſtitutis tribus* CONSULIBUS, *qui deceſſerant*, cum reliquis
„ conjunxit.

Nec ſic tamen ſtabile permanſit Reipublicæ regimen, ſed alias poſt alias mutationes ſeu vi, ſeu etiam precario accepit. Nam præter ſæpedictos IX. viros in officio ſuo ad obitum usque perpetuandos, cooptati fuere in ſenatum alii XVI. ex quatuor parochiis delecti, quorum poteſtas, quemadmodum illa Prætoris urbani, ejusque miniſtrorum ſeu officiatorum annalis dumtaxat. Certe ex Litteris amicabilis compoſitionis Anno MCCC. ſub Eberwino Epiſcopo initæ, conſtare videtur, viros XVI. ex parte Epiſcopi & Magiſtratus delectos, cum totidem viris aliis XVI. ex parte univerſitatis Civium denominatis, conjunctos, Magiſtratum tunc temporis compoſuiſſe; unde & Trithemius ad Annum MCCXCVIII. „ EBERWINUS *Epiſcopus Worm. ad* Trith. chron.
„ *inſtantiam Civium ſuorum conſenſit, quod XVI. viri de communitate ad ſenatus* Hirſaug.
„ *conſilium fuerunt admiſſi, quod antea fieri in ea Civitate non conſuevit.* Quan- tom. II.
quam idem Senatus haud alia uſus fuerit inſcriptione præter quam: *Wir der* pag. 73.
RAD, *und die* SECHSZEHENE *zu* WORMS &c. prout teſtantur inter plures, Litteræ anni MCCCXII. & MCCCXXXVIII. rem vero ipſam dilucide explanant vetuſtæ Ordinationes quædam, juxta quas univerſus ille Wormatienſis Magiſtratus quotannis ipſo Feſto ſancti Martini, in quemcumque diem illud incidiſſet, innovari ſeu inſtaurari ſolebat in modum qui ſequitur. Prob. 333. 334.

Congregato de mane ad præſtitutam diem, in aula palatii, ſenatu, illuc quoque invitatus per duos ex novem-Viris, quorum unus actu Conſul, alter mox Conſul futurus eſſet, adventabat Epiſcopus, cui ſub ſolio ſedenti, is qui inter XVI. viros Conſul delectus, eoque nomine ſecundarius fuerat, duos florenos, ex mulctis anni præterlapſi provenientes, reverenter offerens, ſimul gratias agebat pro munere ſibi eatenus concredito; accedebat dein & alter deſumptus ex Novem-viris Conſul, qui ſupra, ac baculo, officii ſui ſymbolo, in manus Epiſcopi reſignato, ſimul dignitatem ponebat; quod idem, pro more recepto, præſtabant unà cum prætore judices reliqui. Poſthæc accedens denuo ſecundarius Conſul, Epiſcopo ſchedulam exhibebat, nomina XXIII. virorum ex quatuor Civitatis parochiis, nec non quavis populari Tribu, pridie jam delectorum, in ſe complectentem; horum XVI, poſtquam, cæteris rejectis, ſuo probaſſet calculo Epiſcopus, ac unum inter ipſos, de quatuor ſibi ad hoc præſentatis, conſulem deſignaſſet, reliquum erat, ut cui ex novem-viris par dignitas obtigerat, ſua quoque autoritate, per traditionem baculi, firmaret, adjungeretque ipſis viros IIII. vulgo *Biſchoffs-männer* dictos, quod hi peculiari nexu ſibi adſtricti eſſent; denique, conſtituto Prætore Urbano, Epiſcopus ſimul ejusdem Tribunal innovabat; hisque omnibus rite peractis, inſigni auctus comitatu prodibat in publicum, ac ſtans ſuper Palatii ſui gradus, ſingulorum ex Magiſtratu officia & dignitates, eo, prout a ſe inſtauratæ fuerant, ordine, populo, ad æris campani ſonitum aggregato, annuntiari, ac per unum ex novem-viris alta voce recitari jubebat. Die autem ſequenti, poſtquam idem novus Magiſtratus in Palatio rurſum conveniſſet, dextra ſacris appoſita, primùm ſeſe erga Epiſcopum fidelitatis juramento obſtringebat, dein jurabat nullo ſe munere dato, promiſſove dignitatem ambiviſſe, ſine dolo

malo, integraque fide officium commissum administraturum, rationibus ærarii publici sincera cura prospecturum, & quæ his sunt similia.

Cæterum; hic Magistratum creandi ritus ab antiquo receptus, & qui integro sæculo XV. adhuc substitit, varias deinceps iterum passus est vicissitudines, ut enim Maximiliani I. Cæsaris ordinationem Anno MDXIIII. factam prætereamus, siquidem unà cum reliquis suis in caussa Wormatiensi decretis concidit, & per subsequentes transactiones rescissa fuit. Consessus Senatorius Anno MDXIX. mixtim ex Equestris Ordinis viris VI. patriciis XII. compositus erat, quibus juncti ex Civicis Tribubus viri XVIII. numerum insimul personarum XXXVI. conficiebant; instauratio autem annalis translata est a festo S. Martini, in diem proxime sequentem Festum trium Regum.

Prob. 299.

Prob. 309. Tandem Anno MDXXVI. ex novo pacto, ac Episcopi indulgentia, adsciti viri XIII. qui perpetuum Senatum deinceps constituerent; his additi viri XII. ex XXIIII. ad hoc præsentatis delecti, sed quorum annalis dumtaxat potestas esset, Tribubus præsentantibus personas succedentes in loca abeuntium. Complent autem hanc urbici Regiminis formam Magister Civium, & Burgi-Magister; ambo, quemadmodum Prætor, ab Episcopo designati, prior è numero XIII. virorum, alter è numero XII. virorum. Conventum tunc fuit insuper, ut, absente Episcopo, illa Magistratus innovatio per Præfectum, seu Locum-tenentem ejus sæcularem, non Ecclesiasticum, fieret: cum tamen utrumlibet in arbitrio principis hucusque stetisset; sunt & alia nonnulla, quæ neque minuendæ autoritatis, neque infringendi juris antiqui caussa, sed ex mera gratia ipsis pariter remissa fuêre; id autem inter cætera firmum mansit, ut ex Palatio Episcopali, ubi actus ille solemnis peragitur, omnes, eo finito ac absoluto, procederent ad summum Templum, illicque in choro posteriore, S. Laurentio Martyri sacro, juxta formam præscriptam, sacramentum Episcopo dicerent.

Cæterum; quanta ubique, ac in omnibus Episcoporum Wormatiensium olim fuerit judicialis autoritas; siquidem nullus contractus censebatur legitimus, nisi prius per ipsos, aut eorum nomine confirmatus fuisset, demonstrant chartæ superstites, ubi frequentissima hæc occurrit locutio; *coram* NOBIS, & *Burgensibus* CIVITATIS NOSTRÆ; seu, *coram* NOBIS, *&* *probis viris*, CIVIBUS NOSTRIS WORMATIENSIBUS sicut *moris est*, & *juris* CIVITATIS NOSTRÆ; ut habet, inter alias, notitia Eberhardi Præsulis pro Schonaugiensibus Anno MCCLXII. edita.

Huc quoque faciunt sigilla, tum majoris unum, tum minoris formæ duo, quibus ex singulari Episcoporum concessione Wormatienses ab olim uti consueverant. Exhibetur in iis S. PETRUS Ap. dextra claves, sinistra Evangeliorum librum præferens, collocatus in Cathedra ad frontispicium orientale summi Templi, quod ex utroque latere ambiunt quadratæ moeniorum Turres, portis suis interstinctæ, quo simul ipsius urbis primarius denotaretur patronus; hinc & communi Civium voto, per totum majoris sigilli circuitum seu limbum diffuso, in hæc verba:

✠ TE SIT TUTA BONO, WORMATIA, PETRE, PATRONO.

idem

ad pag. 221.


TE SIT TVTA BONO WORMATIA PETRE PATRONO
SEP ERIS CLIPEO GES MA TVTA MO


FILIA LIBERA WORMACIA SACRI ROMANI IMPERII FIDELIS


SIGILLVM SECRET


SIGILLVM·SECRETI·CIVITATIS·WORMACIENSIS·AD·CAVSAS·


S· iudicii· secularis· civitat worm·


S·IVDICII·CIVITATIS WORMATIENSIS

Idem ſanctus, verſu mox ſequenti, intra arcus ſuperioris limites comprehenſo, reſpondere videtur, quod Clienti Patronus,

SEMPER ERIS CLYPEO, GENS MEA, TUTA MEO.

Sigilli hujus antiquitatem, vel una inter plures commendat Lupoldi Epiſcopi Worm. charta Anno MCXCVIII. ſuper alienatione prædii Locheim confecta, quam CIVIUM WORMATIENSIUM *ſigillo communiri* idem Præſul juſſerat. Quanta autem cura circa ipſum ſigillum antiquitus fuerit adhibita, diſcimus ex Tranſactione Anno MCCC. inita, ubi de recto ac licito ejusdem uſus, tum de arca in qua aſſervabatur, Seris IV. munita, deque hujus cuſtode, tam erga Epiſcopum, quam & Magiſtratum ſacramento fidelitatis adſtricto, fusè diſſeritur. Prob. 185. art. 3.

Eadem fere in duobus reliquis ſigillis, quarum unum ad *cauſas*, alterum ad *judicium ſæculare*, ſpectabat, obſervanda occurrunt; niſi quod cum poſteriori ex iis, hac inſignito Epigraphe: SIGILLUM JUDICII SÆCULARIS CIVITATIS WORMATIENSIS, novam formam, propria autoritate, aliquando indidiſſet Magiſtratus (fortaſſis quod jurisdictionem criminalem ſe ſe ab Epiſcopo tenere, amplius videri nollet) injunctum ipſi fuit, ut rupto hoc quod ſibi tribuere auſus fuerat, ac quantocyus abolito, alterius uſum reſumeret, abſtineretque impoſterum ab ejusmodi attentatis. Prob. 256. art. 4.

Verum; poſtquam turbidis ingruentibus temporibus cuncta ſusque deque verſa ſunt, & vis ſeu uſurpatio ante Leges fuit, Wormatienſes etiam nova ſibi confingere ſigilla præſumpſerunt, quibus deinceps uterentur; cumque alium hucusque, præter Petrum, non agnoviſſent Tutelarem, ut quidem manifeſte teſtatur cum reliquis eorum ſigillum majus, quod adhuc Anno MDVIII. litteris ſuis, ad Judicium Camerale directis, appenderunt; abolitâ nunc tandem Divi hujus Apoſtoli effigie, vetera Epiſcopatus Wormatienſis inſignia æmulati ſunt, quodque hæc, Clavem argenteam diagonali ſitu locatam, in Campo, ſeu Solo nigro, lapillis tetragonis aureis reſperſo, præ ſe ferrent, ipſi Clavem omnino ſimilem, ſed in Campo plano minii coloris locarunt; quin ut novo huic partui, cui LIBERA WORMATIA, nomen, cognomen vero: SACRI ROMANI IMPERII FIDELIS FILIA, mox inditum fuit, novus aliquis accederet ornatus, placuit ſigilli majoris ſcutum, duobus cuſtodiendum committere Draconibus, dum minoris formæ reliquis Draco unus ad hoc ſufficeret. Ectypa utriusque, tam veteris, quam & recentioris formæ, ſigillorum, in æs inciſa, exhibemus, ſi forte invicem comparata, pudorem aliquem ex Wormatienſibus adhuc eliciant. vid. TAB. VI.

His quoque ſubnectere poteramus Ectypa ſigillorum, quibus Artificum, Opificumque Collegia, olim numero XXIIII. poſtmodum vero ad XVI. reducta, uti ſolebant, ſi modo operæ prætium fuiſſet; nam antiquiora ex iis, ſeu PETRUM, ſeu ſancti ejusdem CLAVEM ſupernè locatam, in ſignum perpetui patrocinii, nec non ſubjectionis, præ ſe ferunt; nec enim aliter *Wimpina* utraque, ſuperior videlicet, & inferior, quemadmodum & *Ladeburgum*, ditionis Wormatienſis quondam Oppida, debitum ſuum erga Wormatienſem Eccleſiam obſequium expreſſerunt;

Denique; ſicut in læto Epiſcopi-Principis ſui introitu, Cives Wormatienſes, eidem debita cum reverentia occurrere, ſic ubi triſte fatum eundem ex hac luce ſubtraxerat, Funebri pompæ obviare, ejusque ſolemnibus

Exequiis assistere tenebantur, ad primos erga vivum, ad ultimos, seu supremos erga mortuum adstricti; id enim antiquitùs, atque adeo jam Anno MCCXCIX. in obitu Emichonis observatum fuisse notat vetus Chronicon Kirschgartense, actusque ejusmodi plures deinceps, notanter ad Ann. MCCCCXLV. MDIII. MDXCV. MDCIV. in chartam relatos reperimus.

Ludewig. reliq. M. S. S. Tom. II. pag. 141.

Ex quibus omnibus simul sumptis, patet evidenter, quam fallaci nitantur principio, qui Jus omne, ac quidquid demum Principatûs, aut Potestatis tenent ac possident Wormatiensis Ecclesiæ Antistites, id pariter omne Transactionibus illis cum Magistratu, ac Civibus, multoties initis adscribere non erubescunt; cum tamen Regum, seu Imperatorum, unice munus esse, multis retrò stabilitum sæculis, aperte loquatur, ac simul testetur Codex noster diplomaticus; quando è diverso Wormatienses, ad eam, quam sibi venditant, libertatem assurgere nunquam potuerint, nisi vel seditionibus, vel ipsorummet Episcoporum beneficio, aut conniventia; qua occasione meritò illorum Temporum Fata ac mores deploramus, & priscorum incautam reprehendimus benignitatem, nedum simplicitatem. Quod si Wormatienses ad Cæsarum pariter provocent privilegia, hæc multo recentiora sunt, ac vix aliud quidquam continent, quam quæ ipsimet Episcopi ipsis prius confirmârant: nullus enim Imperatorum ea se concedere aut confirmare censetur, quatenus prætenduntur, aut exerceri debent in præjudicium Tertii, hoc præsertim non audito: sed quatenus, salvis ejus juribus, bono titulo habentur. Quapropter alia Civium privilegia non agnoscimus præter ea, in quibus, aut Episcopi consensus, aut certe ejus jura indicantur, aut ad minus reservantur. Præterea ridiculum est in ea restitui velle (prout institêre jam sæpius) quæ antea nunquam possederant, & quorum nullus exstat possessionis actus, quam qui violenter extortus, aut obreptitus fuit; luculentiora profecto supersunt originariæ, ac primariæ eorum subjectionis indicia, quàm ut unquam præscribi queant; nec enim pro jure immedietatis faciunt matricula, & Taxa Imperii, Convocatio ad Comitia, sessio, votum, &c. hæc siquidem omnia olim etiam habuêre TREVIRIS, & MOGUNTIA: attamen hæ Civitates non nisi usurpatum quendam statum possessorium effecêre, sine juris fomento, & dumtaxat quoad exteriorem speciem fundatæ; unde, & Earum prior Anno demum MCCCCLXII. altera Anno MDLXXX. in ordinem fuêre redactæ, ac suis respective Archiepiscopis immediate subditæ, & subjectæ. Jacent interdum longa quasi nocte sepulta Principum jura; at, depulsis tenebris, sua, ut olim, luce radiant.

vid. Gail. observ. XIV. num. 7.

CAPUT. IV.

De reliquis Episcoporum Wormatiensium prærogativis, ac privilegiis.

Inter prærogativas, quibus ab antiquo condecorati refulgebant Wormatienses Episcopi, haud postrema censebatur JUS MINISTERIALIUM, seu potestas specialis in Viros quosdam, genere nobiles, sed servitio Ecclesiæ in totum, & per omnia, mancipatos; non tamen sine præmio; siquidem amplioribus beneficiis, ac vectigalibus devinciendi erant, ut & tanquam honoratiores Vasalli, fidem suam, & obsequium, quoties publicæ, aut domesticæ rei status id exigebat, tanto præstarent alacrius; hinc & numerus eorum plerumque manebat indeterminatus, licet Officia, seu Ministeria, ad quæ

quæ assumi solebant, jam olim designasset Carolus M. Imp. quando per Capitulare suum jussit, ut quilibet Episcopus *Mareschalcum*, *Pincernam*, *Dapiferum*, & *Camerarium* haberet, quibus accessit ex ordinatione Henrici III. Cæsaris, etiam *Venator*, ac denique ex usu & consuetudine, supremus *Culinæ Præfectus*, aliàs *Culinarius*. Occurrunt autem in chartis nostris Wormatiensibus.

MARESCHALCHI.

Henricus	Anno 1125.
Bertholdus	Anno 1198.
Liutfridus	Anno 1229.

DAPIFERI.

Erkenbertus	Anno 1181.
Richezo	Anno 1213.

PINCERNÆ, seu BUTELARII.

Albertus	Anno 1198.
Cuno	Anno 1225.

CAMERARII.

Erkenbertus	Anno 1127.
Dudo	Anno 1180.
Richezo	Anno 1237.

MAGISTRI CULINÆ.

Edelwinus	Anno 1213.

Hi vero omnes, seu eorum Progenitores, ab illis ipsis officiis aulicis novum vetustæ Nobilitati suæ Titulum quæsivisse videntur, sed quem soli Camerarii, propagine felici, in Nepotes hactenus transfuderunt.

II. Est insuper penes Wormatienses Episcopos, Directorium Primarium Circuli Rhenani superioris, occasione cujus, Joannes-Carolus a Franckenstein ea fruens dignitate, solemnem Anno MDCXC. cum Joanne-Wilhelmo Electore Palatino, quà Duce Zimmerensi, proin Circuli ejusdem con-Directore, Tractatum iniit, per quem Ecclesiæ suæ in hoc Jura denuo recognita, ac amplissimis verbis elucidata fuere.

III. Circa usitatam ac receptam olim Episcoporum Wormatiensium, tam in publicis Imperii Comitiis, solemnitatibus, nec non Conciliis provincialibus, Proedriam, non semel, pro more illorum Temporum, disceptatum fuit; hodie alternarum jure fruuntur cum Herbipolensis Ecclesiæ Præsulibus.

vid. Lundorp. tom. IV. lib. 4. cap. 13. Item. Limnæum. addit. ad Lib. IV. cap. 9.

CA-

CAPUT V.

De Clientela Wormatiensi Beneficiaria; nobili, & Equestri.

Curiam Feudalem Wormatiensem, late per omnia hìc expendere, ac juxta quod aliàs cum Fuldensi fecimus, peculiari opere complecti, haud quaquam duximus necesse, cum ad ejusdem notitiam assequendam duplex ille, quem hic subjicimus, tam primi, quam & secundi ordinis vasallorum Elenchus, suis ubique innixus, ac firmatus, probationibus, vel ex se ad hoc videatur sufficiens; verumtamen ne Lectoris otio abutamur, laborem, quem similes observationes requirere solent, in nos prævie suscepimus, ac pro modulo etiam exequi conabimur.

§. I.

Wormatienses Episcopos, eadem, quâ reliqui per Germaniam Principes Ecclesiastici, forte olim jactitatos, bona plurima a Patrimonio sacro distrahere opus habuisse, ut ex circumvicinis Optimatibus potentiorem quemque sibi conciliarent, eorumque promptam in adversis experirentur opem ac operam, extra dubium poninus cum vetustissimæ Comitum Palatinorum, Veldenziorum, Leiningensium, Louffensium, Spanheimensium, aliorumque possessiones lege Feudi irretitæ, vel id satis innuant, ipsaque, inter plures, BURCHARDI Antistitis nostri charta loquatur, per quam in summæ ædis

Prob. 74. suæ Canonicos transfert Anno MCXXXVII. Curtem Chrisheim, quæ *ex antiqua donatione*, prius fuerat *in Fundo & proprietate S. Petri*, sed inde dudum avulsa ac *inbeneficiata*, tandem omnibus hæredibus qui *ex beneficiorum Jure*, in eadem *successerant*, viam universæ carnis ingressis, *leges caducitatis* recenter subierat.

Quam profusa autem, nedum prodiga eorum in his exstiterit liberalitas; ita ut viribus pene in totum exhaustis, collabanti sensim Ecclesiæ sustentaculum aliquod quærere tandem compulsi fuerint, testatur inter cætera

Vindem. Litterar. Collect. II. pag. 113. FRIDERICI I. Regis decretum illud Anno MCLIII. die vero XVIII. Kalend. Julii, Wormatiæ in plenis Comitiis, ipsomet dictante, prolatum in hæc plane verba: *Nulli Episcoporum licitum sit bona ad mensam pertinentia inbeneficiare, vel invadiare; quod si quis fecerit, successori suo nullum faciat beneficii præjudicium.* Hinc & LANDOLFUS, Antistes itidem noster, quod Prædecessores ejus LUPOLDUS, & HENRICUS, gravibus tum exteris, tum civilibus bellis, continuo fere impliciti, non modo Ecclesiæ exhausissent Ærarium, sed & pinguiores ejus Fundos Vasallis suis elargiti fuissent, ad similes ex hoc capite angustias aliquando redactus, HENRICUM Regem, qui parentis in Imperio vices tunc gerebat, interpellare, ab eoque remedium necessitatibus suis oportunum, juxta quod alias ordinatum fuerat, efflagitare non dubitavit.

Re itaque, unà cum aliis nonnullis gravaminibus, An. MCCXXXIIII. Ezlingæ, in solemni utriusque Ordinis Procerum conventu, proposita, sequens hoc, inde mox emanavit præceptum.

HEIN-

„ HEINRICUS, Dei gratia, Romanorum Rex univerſis Imperii Fideli-„bus &c. Cum nos velimus dilectum Principem noſtrum, venerabilem „WORMATIENSEM ELECTUM conſervare in omnibus juſtitiis ſuis, ſcire „volumus univerſitatem veſtram, quod talis coram nobis lata eſt ſententia, „& ab omnibus approbata; quod omnes, qui aliquibus ædificiis occupa-„verunt Curiam ipſius Electi, prorſus ipſa ædificia demere debent; Inſu-„per, per ſententiam obtinuit generalem quod redigere debet cum omni in-„tegritate ad uſus ſuos omnia Feoda illa, quæ ex novo, a prædeceſſoribus „ſuis LUIPOLDO, & HENRICO ſunt conceſſa, & pro Feodis, licet indebi-„te, poſſidentur. Mandamus itaque, & præcipimus, ſub obtentu noſtræ „gratiæ, & Imperii, ut nullus ſit, qui memoratum Principem noſtrum, no-„bis dilectum, in ipſis ſententiis audeat vel præſumat impedire, quod qui fe-„cerit, a Gratia noſtra ſit excluſus.

„ Datum apud EZLINGEN Kalend. Novembris Indict. VIII.

Verum quod idem Rex alios juſſit, hoc in ſemet ipſo primus exequi de-buerat, & Wimpinam reſtituendo, reliquis Eccleſiæ Worm. Vaſallis prælu-xiſſe Exemplo. Unde & lata hæc ab eo ſententia, ut ut univerſo optuma-tum aſſenſu comprobata, talem vix ſortita fuit effectum, qualem ſibi ſortaſſis prævie ſpoſponderat Epiſcopus; quanquam egregia nobis ſubminiſtret argu-menta, ad refellendam quorundam, etiam noſtri temporis, Pſeudo-politico-rum erroneam, imo abſurdam opinionem, illius in primis, qui nuper Perſo-natum Severinum Monzanbanum germanicè verſum, commentariis illuſtra-vit, dum Feuda Eccleſiaſtica, per totum, oblata eſſe contendunt, iisque, pro genio ſuo, abutuntur; quod ſi hanc noſtram lucubratiunculam ulterius evol-vere eos non pigeat, invenient certe, quo mentem multimode ſanent. vid. Monzanb. Nov. edit. anni 1715. pag. 332.

§. II.

Ad Feudorum Wormatienſium naturam quod attinet; ſunt ea originarie, nec non univerſim Maſculina, ſi unum, alterumvè dumtaxat excipias, quæ Principis gratia juris fecit promiſcui, conſentiente in idipſum majo-re ſuo Capitulo, cujus proinde ſequens hæc ubique in primis ſubſecutæ in-veſtituræ litteris clauſula, inſerta legitur; „ Und dieweil dieſe veranderung, „und newe belehnung, vorberurter Lehensguter, mit unſer Dechant, und „Capituls, des Thum-ſtiffts zu Worms, guten worwiſſen, willen, und „bewillignuſs geſcheen, und zugangen iſt, ſo haben wir unſers Capituls „inſigel, *als fur das erſtemal*, bey hochgedachtes unſers gnädigen Furſten, „und Herren, an dieſen brief auch wiſſentlich gehengt, der geben iſt &c. vid. Bertram. Bettendorff. Seiblin. Wachenheim.

§. III.

Feudorum *oblatorum* pauca admodum, nec ultra IV. nobis occurrerunt. Feudum de *Camera* unicus aliquando accepit Conradus de Witſtat; qui ve-ro ex Vaſallis in *Caſtrenſes* aſſumpti reperiuntur, hi in tribus ſequentibus Ec-cleſiæ Wormatienſis munitionibus dumtaxat, videlicet Stein, Leiningen, & Ladeburg, ſtipendia ſua promeruerunt.

§. IV.

In inveſtiendis Vaſallis nulla dierum ſacrorum, ſeu Feriatorum, qui vul-gari appellatione *gebundene Tage* dicebantur, habita fuit ratio; ſiquidem ut

jovis, sic Dominicis, ac Festis diebus, quin & maximis anni solemnitatibus, quales sunt Pascha, & Pentecostes, Episcopos Wormatienses actum illum publice peregisse, testantur eorum chartæ superstites, quibus insuper, ut & reliquis, passim inserta habetur sequens clausula: *mit behaltnuss unser, unsers stiffts, unser mann, und eyns yglichen Rechten*: ne aliquis præjudicio, undecumque demum enascenti, detur locus, sed Jura Feudalia apud Wormatiensem Ecclesiam antiquitus recepta, perpetuo integra, illibataque permaneant.

§. V.

Vasallus petens Feudi sui investituram, tenebatur ante omnia exhibere rerum, ac bonorum, quomodo-libet ad illud spectantium, enumerationem specificam, sub poena amissionis eorundem; hanc qui certius vitare intendebat, sequenti in Litteris suis reversalibus utebatur clausulâ: *Und vveiss auch zu dyr zyt nit me, erfuhr ich aber edt me, das vvolt ich mym gnedigen Hern gern verkunden.* Cæterum; ne vetus ille mos aliquando in desuetudinem abiret, cum, nostris temporibus, per speciale ac solemne Edictum innovavit serenissimus Princeps FRANCISCUS-LUDOVICUS, quà Wormatiensis Episcopus, in hæc verba:

vid. Dalberg Wardorff &c.

„ Der Hochwurdigst-Durchleuchtigste Furst und Herr, Herr FRANTZ-LUDVVIG, „ postulirter Bischoff zu Wormbs &c. &c. unser gnädigster Herr; lässet allen, und jeden „ Dero Hochstifft Wormbs Vasallen, und Lehen-Leuthen hiemit in genere, und in specie „ Krafft dieses anfugen und bedewten, daß der, und dieselbe 1mo nicht allein eine rich„ tige designation, und Verzeuchnuß aller derer Lehenstucken, und appartenentien, wel„ che sie von ihren stifft Wormbs zu Lehen tragen, furdersambst einschicken, und 2do der„ selben grundtmäßigen bericht beyfugen sollen wo dieselben mit ihren anwendungen und „ beforchungen aigentlich gelegen, 3tio waß solche vor gerechtsamme haben, und waß 4to „ vor beschwerungen, und mit, oder ohne Consens deß Lehen-Herren gemachte Schul„ den. und lasten darauff hafften. 5. Ob sie solche noch alle gar beysammen haben, oder „ 6. da sie deren in mangel stehen, in waß händen selbige, und welcher gestalt jetziger „ Zeyt begriffen 7. Wie und umb welche Zeyten, auch mit wessen Consens, und auff „ waß fur condition, sothane Lehenstuck von dem Lehen abkommen, und weraussert wor„ den. So dann 8. in welchem baw und besserung, so wohl die haußer, als guther sich „ anjetzo befinden. 9. Wie dem selben zu helffen, und wie 10. die Verphante, oder gar „ veraußerte Lehen-stuck wieder ledig zu machen, und daß Lehen zu redintigriren, auch „ 11. ob? und von wehme, und waß fur eintrag demselben beschehen, und wie Er, oder „ sie vermeinen, daß zu remediren seye; sondern auch 12. vor der neuen Investitur, eine „ beglaubte Genealogi und stammbaum, vom Ersten Acquirenten, wie wenigers nicht „ 13. den Lehen brieff entweder in Originali, oder einer vidimirter abschrifft davon; und „ dann 14. wofern sich etwa unter den Vasallen und Lehen-trägern immittels einige falle „ zugetragen, solche nicht allein specificiren, sondern auch 15. beglaubte documenta mor„ tis, innerhalb acht Wochen a dato, unserer nachgesetzten Regierung und Lehen-Hoff zu „ Wormbs, einschicken und sich daran unter der in denen Lehen-rechten außgemessener „ straff, respective Caducitatis, & Feloniæ, nichts behinderen sollen, gestalten dann darauff „ befindenden Dingen nach fernere resolution erfolgen solle. Wornach sich ein jeder „ zu richten.

„ Sign. unter Hochgeb. Ihrer Hochfürstl. Durchl. eigenhendiger unterschrifft und bey„ gedruckten Cantzley-Secret Insiegel. Breßlaw den 24. Januarii 1701.

§. VI.

Incumbit præterea vasallo, cujuscumque demum status, seu conditionis existat, hæc, inter reliquas, obligatio; ut præsens sit, ac corporaliter

Feudi

Feudi ſui ſuſcipiat Inveſtituram; id enim antiquitus conſtanter jam obtinuiſſe demonſtrant ſelectæ ex pluribus litteræ ſequentes, quarum prior HENRICO Worm. Epiſcopo in hunc ſenſum a WILHELMO Naſſowiæ Comite Anno MDXLIX. reperitur exhibita.

„ I. Hochwurd. Durchlawchtigſter Furſt &c. Gnadiger Herr &c. daß Ew. Churſl. „ Gnaden uff mein bittlich erſuchen mich, und meinen Sohn, den Printzen zu Uranien, „ als Erkanten und Erclårten Catzenelnbogiſchen Erben, mit der Vogrey zu Dietkirchen &c. „ gnådig belehnen willen, habe ich von Peter Scheer von Swartzenburg verſtanden —— „ dieweil aber, gnadiger Furſt, und Herr, ich dieſer zeyt bey E. F. Gnaden in „ Eygener Perſone / nicht erſcheinen kan, ſo habe ich, mit vorgehender Entſchuldigung „ meines nit ſelbſt Erſcheinens, obbemelten Peter zu Ew. Furſtl. Gnaden abgefertiget ——

„ Dat. Dillenberg den 6. Junii 1549.

WILHELM Graff zu Naſſau Catzenelnbogen,
Vianden und Dietz.

„ II. Wir JOHANN Graff zu WYDE &c. thun kunt und bekennen —— „ nachdem wir etlich Lehen von dem Hochw. Furſten, Hern REINHART Biſchoven zu Worms, und ſiner Gnaden ſtifft, unſer Herſchafft zu Ronckel an- „ treffend, zu lehen haben ſolln, die wir dann zu entpfangen alſo willes, ſo uns „ aber itzunt durch muglich urſachen, unſern Herrn, und frund, *in eigener per-* „ *ſon* anzuſuchen, des wir willes, als billich benomen wirt, und deshalben an ſin „ Gnaden gebetten, desmalen die durch einander entpfangen zu laſſen, ze ver- „ gonnen; das ſin Gnade uns uff ſonder fruntſchafft uff unſer biett zugelaſſen „ haben, darumb den veſten Kulman Walpoden von Paſſendorff zu ſiner Gna- „ de mit ganzer voller macht gevertiget, in aller maſſen von unſer wegen brieff „ zu geben, —— ob wir in eigner perſonen erſchinen &c.

Dat. Anno MDIII.

„ III. Ich ANTONIUS SCHUTZ von Holzhauſen bekenne —— als HEN- „ RICH von HOLZHAUSEN ſelige, myns Vatter bruder dieſe nachgeſchribene „ Lehen von dem Hochw. Herren REINHART Biſchoff zu Worms &c. zu man- „ lehen getragen, und nu von todes wegen abe gangen iſt; do haben CONRAT, „ und GILBRACHT SCHUTZEN von Holzhauſen, myn lieber Vatter, und Vet- „ ter, dem benanten mynem gnedigen Hern geſchrieben, und gebetten mir ſo- „ lich Lehen, von iren wegen zu Lihen, dwile ſie alters und krankhit halb, ir libs, „ nit geweren, und ſolich Lehen *ſelbs entpfangen* mogen. Da hat myn gnedig „ Herr angeſehen ir unvermoglichkeit zu wandern, darzu ir fliſſige bede, und „ hat mir in ſolcher maſſen die nachgeſchriben Lehen zu rechtem man-lehen „ geluhen ——

Dat. Martis poſt Viti MCCCCLIX.

IV. Jch FRIEDERICH LANDTSCHAD von Steinach bekenne —— daß von dem Hochw. Furſten und Heren, Heren GEORG-ANTON Biſchowe zu Worms &c. meinen Gnådigen Heren durch den Wohlgebornen Herrn Herrn Maximilian Guengers, als meinem Crafft ubergebener Vollmacht verordneten Gewalthabern; Veylen ich wegen zugeſtandener leibsunpaßlichkeit, dieſer belehnung in aigner Perſon beyzuwohnen nit vermogt dieſe nachgeſchrieben Lehen Empfangen &c.

Dat. Anno 1645. die 12. Martii.

Pauca illa in rem noſtram hic adduxiſſe ſufficiat.

§. VII.

Fidelitatis, & Obſequii juramentum, toties, quoties, præſtandum, paucis verbis expreſſerunt veteres, cum & integer Litterarum reverſalium contextus eſſet maxime ſimplex, ac in hunc fere modum conceptus.

„ Ich N.. erkenne mich, daz ich diſſ nachgeſchriben Lehen han, und „ trage von dem Erwird. in Gott Vatter, und Hern, Hern N... Biſchof „ zu Worms, und ſinem ſtifft —— und ſal ym darum verbunden ſin, als „ ein man ſynem Herren.

Prolixius deinceps in ſimili caſu Fidem ſuam obſtrinxêre poſteri, qualiter, inter cæteros, feciſſe reperitur LUDOVICUS Palatinus Comes, dum Anno MCCCCLXXXIII. erga JOANNEM Epiſcopum Worm. his verbis uſus eſt: „ *Und vvir Herzog* LUDWIG *obgenant, haben jme hiruff globt und geſvvorn,* „ *Jme, und ſinem ſtiefft getruvv, holt, gevvertig, und gehorſam zu ſin, fur irm* „ *ſchaden zu vvarnen, und alles das zu thun, das ein man einem Hern ſchuldig &c.* Id enim omne, jam aliàs, a FRIDERICO Palatino Electore exegerat REINHARDUS Epiſcopus, quando hunc de Feudis Neo-Leiningenſibus inveſtiens, intendit ut tam ipſe, quam & ejus ſucceſſores, ſibi, ſuæque Wormatienſi Eccleſiæ hominium præſtent juxta formam tunc uſitatam: *ſölln auch hinfur uns davon huldigung thun, gehorſam, und verbunden ſin, als ſolchs Lehen-recht, und gevvonheit iſt.* Ut habent ejus Litteræ Anno MCCCCLXVIII. Germesheimii confectæ.

Eodem autem obligationis vinculo, Vaſallum teneri erga Capitulum majus, declarat WENCESLAI Regis ſententia, quam Anno MCCCLXXXIV. relatam in Tabulas hic ſubjicimus.

„ Wir WENTZLAW, von Gottes gnaden Romiſcher Kunig &c. beken„nen —— daz wegen der Erſamen, der Thum-Herren, und des ſtifftes zu „ Wurms, wir mit fleiſſ gebetten ſein, daz wir von Kuniklicher macht etliche „ nochgeſchriebene ſtuck, die ſie, und den ſtifft, notlichen beruren, zu leut„tern und declariren, gnediglichen geruchten; zu dem erſten: Wer des Bi„ſchoves, und des ſtifftes zu Wurms man were, und jm geſworn hette, ob „ der die Thum Herren, und den ſtiffte angreiffen ſolde oder mochte. Zu dem „ andern male: Ob yemand in gemeynen Lehenen ſeſſe, und des ſtifftes ge„nuſſe von der ſelben Lehen wegen, ob der auch nicht dem ſtiffte gebunden „ ſolle ſein gleich den andern die die ſelben Lehen empfangen haben; des haben „ wir mit wolbedachtem mute, und gutem Rate unſer Furſten, Edlen, und Ge„truwen, gelautert und declarirt, lautren und declariren mit Krafft dietz bri„ves, rechter wiſſen, und Romiſcher Kuniclicher mechte, daz alle ſulche „ Manne des Biſchoves, und des ſtifftes, die im geſworn haben, die Thum„ Herren, und den ſtifft bey den ſelben Eyden nicht angreiffen, noch beſche„digen ſulln in dheyne weiſ. Daz ouch dieſelben die in gemeynen Lehenen „ ſitzen, und des ſtiffts genuſſen von der Lehen wegen, als vorgeſchriben ſtet, „ dem ſtiffte ſolln gebunden ſein, gleich den andern die leiblich die Lehen em„pfangen haben ——

„ Geben zu PRAG nach Criſt geburt Druzehen hundert Jar, und dor„noch in dem vier und achzigeſtem Jare, an dem nechſten mitwochen nach „ Valentini &c.

§. VIII.

§. VIII.

Ad obeunda servitia, ex Lege Feudi præscripta, adstringuntur Vasalli indiscriminatim omnes; hinc & JOANNES-PHILIPPUS Elector Mog. idemque Wormatiensis Episcopus, Eos Anno MDCLXVI. adversus Palatini impetitiones, per publicum decretum in arma concitavit, poena amissionis Feudi comminata in refractores; quin & ex successoribus ejus Ludovicus-Antonius, quo exhaustæ, ac pene ad incitas redactæ Ecclesiæ suæ, aliquando subveniret, pecuniarum subsidia ab iisdem exigere æquum reputavit, ut Litterarum, ab eo desuper editarum, exemplar hic appositum id nos fusius edocent.

„Es ist nicht nur Land- und Reichskundig, sondern mäniglich unwerborgen, in waß wor einem desolaten Zustandt unser betrangtes Stifft Wormbs, durch allerhand fatale Zuefäll und begebenheiten (deren Specialitäten Wir glimpffs halben dermahlen ohnberurt lassen) insonderheit aber durch die in bißherigen langwurigen Kriegs-zeyten durch brandt-Raub-plunderungen und grausamste Hostilitäten gesetzt, und dergestalten in die euserste Ruin gesturtzt worden, daß zu forderst ohne Göttliche Hulff und beystandt, so dann ohn ergreiffung erlaubter, und bey anderen Lehen-höffen ublichen mittel dieses unser vor zeiten in so grossem ansehen und flor gestandenes Uhralte Bisithumb, wohe nicht in seinen vorigen standt gerahten, dannoch sothanes von so wiel, und fast unzahlbar erlittenen eusersten pressuren, Verfolgung, und devastationen, biß auff den höchsten grad erschopft- und geschwächtes Hochstifft, wenigstens in etwas respiriren und zu Kräfften kommen mögen. Nachdem nun bey sothaner beschaffenheit und umbständen, unser Landts-Furstl. sorgfalt dahin zu richten vir unß ohnumbgänglich gemusiget befinden, damit unser, zu gäntzlichern Untergang sich naigendes betrangte Bisitumb, so wiel immer möglich empor gebracht, und nit vollig zu grund gericht werde; zu deren so hochnöthigen Hulff, und sublevation aber vor ein zulängliches mittel angesehen von mehr besagten unsers Hochstiffts getreuwen Vasallen einig subsidium zu Erfordern; so werden selbige dieses unser gesinnen von selbsten umb so billicher erachten als, eines theils, ihnen eben sowohl an conservation, und auff-rechthaltung unsers so eusert ruinirten Bischtumbs mercklich gelegen; andern theils aber, ihnen ohne dem obliegen will wegen der von unseren stifft tragender Lehen, mithin geniessender beneficien, dero treu und Dancknemmiches gemutht werckhafftig zu erzeygen, so fort an statt der sonsten gewohnlichen Lehen-diensten, womit sie von fast ohnfurdenckuchen Jahren ohnbeschwert und verschont geblieben, mithin weit besser als anderer Lehen-Herren Vasallen conditionirt gewesen, unserm in euserster noth steckenden bischthumb mit einer frey-willigen beystewer zu succurriren, gestalten dann ihr Euch nit werdet zu wieder sein lassen, bey gegenwartigen Ewsersten nothfall unß mit einigen beytrag won ..... Florirn innerhalb 2. monathen à dato unter die arm zu greiffen, indessen ohnverhofften wiedrigen Entstehung aber unß nicht zu verdencken, daß wir mit denen von unseren stifft tragenden Lehen Euch zu belehen billigen anstandt nehmen, nebst dem auch die von unß wegen renovation der investitur ertheilten indulta zu revociren, und zu cassiren auch sonsten auff andere mittel und weeg bedacht sein mussen, unser aigenthumb, zu abwendung des unseren stifft beworstehenden eusersten unheils in ander weeg anzusprechen. Worzu ihr aber zu Euweren aigenen besten kein anlaß zu geben gemeint sein werdet. Womit wir Euch mit gnaden wohl zugethan verbleiben &c.

Nec sexus foemineus ab illo servitiorum onere eximebatur, nam quoties Viduæ, ratione dotis, aut dotalitii aut certe aliàs in fundo feudali residere, eoque ad dies vitæ uti frui, gratiose indulgebatur, toties pro-vasallo opus erat, qui defuncti ejus mariti vices suppleret, ut habent passim investiturarum Litteræ: „*so soll und mag dieselbe iren leptagen uff, und nicht længer iren posess und Lyp-zucht von den selben gutern haben und das die genanten man-leben zu eym iglichen zeyt, des noit ist, emphangen und getragen werden von eym man der schielt und helms genoss sy, und solches lehen verdienen mag.* Ni major quandoque in his intervenerit Principis favor, quomodo ad an-

num MCCLXXXVIII. Mechtildi, Ludovici Palatini Ducis conjugi Simon Episcopus usumfructum Castri & Civitatis Heidelbergensis reperitur concessisse, ac simul *omne servitium*, sibi, suæque Ecclesiæ exinde *ratione homagii* debitum, remisisse.

§. IX.

Superest, ut, qui Feuda Ecclesiastica passim Juris promiscui esse contendunt, nec caducitatem in iisdem admittunt, priusquam cum Lineâ masculinâ, etiam fœminina in totum defecerit, hos ad duplicem, quem infra exhibemus, Wormatiensium Vasallorum Elenchum remittamus; siquidem â crassis illis præjudiciis sanari velint; nam quoad modos, quibus Feuda aliàs amitti solent, hos pro parte explanat solemnis Caroli IV. Imp. declaratio in favorem Wormatiensis Ecclesiæ Anno MCCCLXVII. evulgata, quam proinde ex autographo integram hìc subjicimus.

„ Wir Karl, von Gots gnaden, Romischer Keyser &c. bekennen —— daz wir mit rate de Fursten, Graven, Herren, und Edlen, des heiligen Richs, mit rechter Wissen, und mit Keyserlicher mechte volkomenheit, urtheilen, declariren, und lutern, das allemenglich in welchen wurden, adel, Eren, adir wesen die sin, ader gesin mogen, die von dem stifft zu Worms Lehen haben, die selben yre Lehen nit verkauffen, versetzen, adir bekumeren mogen in keine wise, noch sie vorbaz ymant vorlehen, adir usgeben, adir dheinen gemeyner zu yn nemen der yr wartende sye noch irm tode, noch dheinerley andere entpfrundunge, adir wandelunge getun mogen ane eins Bischoffs zu Worms hant, sine sonderliche gunst und willen, und ob das ymant getan hette, adir noch tun wurde, daz ist allzumale untugelich und unkrefftig. Were ouch solche sache tede wider des egenanten stiffts rechte und fryheit der sal und ist siner Lehenrecht verfallen und beraubet. Mit urkunde diss briefs versigelt mit unser Keyserlicher Majestät yngesigel, der geben ist zu Prage, nach Crist geburte Druzehen hundert jare, und darnoch in dem sieben und sechzigesten Jare, am sontag, den man nenet zu Latin: Invocavit.

Quam rigide autem in his processum fuerit, vel ex Sigifridi de Ruxingen, nec non Henrici Schutz de Holzhausen, Litteris, facile est colligere. vid. in Elench. II.

ELEN-

ELENCHUS VASALLORUM WORMATIENSIUM PRIMI ORDINIS.



I.

Reges seu Imperatores.

Wimpinam, antiquum Wormatiensis Ecclesiæ patrimonium, concupiscenti oculo multoties jam intuitus fuerat FRIDERICUS hujus nominis II. Rom. Rex, cumquè ejus possessionem, nequidem titulo Feudali, consequi potis esset; iras conjecit in Episcopum, quasi hic unicus repulsæ autor foret. Erat is HENRICUS, ex Saræ-pontanis Comitibus oriundus, qui re demum Anno MCCXX. cum majori suo Capitulo communicata, ab eo facultatem obtinuit Regis annuendi postulatis, eique, *si supersedere nollet*, urbem supradictam, simul cum ejusdem attinentiis, in Feudum concedendi. vid. Cod. Prob. num. 109.

Verum; seu tergiversationis impatiens, seu moræ longioris pertæsus Cæsar, seu demùm alio occupatus, quod in hoc tunc neglexisse visus est, id Filius ejus HENRICUS Rex, pari cum ipso ductus concupiscentia, postmodum Anno MCCXXVII. in effectum redegit; quanquam conditione aliquantum onerosâ, vid. ibid. num. 117. siquidem, ob acceptum pingue illud beneficium, idem princeps se se erga Episcopum, & Wormatiensem Ecclesiam obligavit in summam mille, & Trecentarum marcarum argenti puri, Fidejussores constituendo inter cæteros: Ludovicum Bavariæ, & Lupoldum Austriæ, Duces, hinc factum est, ut nexu illo Feudali sensim dissoluto, ac in oblivionem reducto, Wimpina sub Imperiali manserit potestate; si tamen bona prævie jam tunc inter vasallos distributa, aliaque tam circa Episcopi jura, quam & majoris Capituli possessiones, reservata, inde excipias.

II.

Palatini Princ. Elect.

Quo tempore Urbs, superius a nobis memorata, Wimpina, Henrico Regi in Feudum cessit, reliquus ille Nicri fluminis Tractus, qui abinde Heidelbergam usque se se diffundit, ac dilatat, forte eadem, Serenissimæ DOMUI PALATINÆ ferè in totum obtigit. Dum enim sub Annum MCCXXV. LUDOVICI Bavariæ Ducis Filius, OTTO, cum AGNETE, HENRICI Comitum Palatinorum ultimi, Filia, matrimoniali foëdere jungitur, sicque nobilissimi duo Germaniæ Principatus, videlicet: Bavaria, & Palatinatus Rheni, simul in unum coëunt; præpotentum vicino-

Vicinorum gratiam ac favorem prævie auspicatus, Henricus Worm. Antistes, eidem Ludovico Duci, ejusque ex Filio Hæredibus masculis, arcem Heidelberg cum subjecto Oppido, nec non integram Cometiam Stalbuhel in feudum contulit, prout id testantur litteræ sequentes.

„ HENRICUS Dei gratia Wormatiensis Episcopus, Domino LUDOVICO „ illustri Duci Bavariæ, & Comiti Palatino Rheni, salutem.

„ Quia vobis commisit Dominus potestatem, & Dominæ AGNETI, uxori „ Filii vestri, per quam Wormatiensem Ecclesiam juvare potestis, & ei assistere „ in suis necessitatibus; ut ad auxilium, & consilium, tam nostrum, quam ejus„dem Ecclesiæ, tam vos, quam successores vestri, & Dominæ Agnetis, qui per „ masculinum sexum descendunt, sitis perpetuo obligati; vobis, & successori„bus dictis, in Feodum concessimus, & assignamus de communi consensu „ Capituli nostri, Castrum in Heidelberg, cum Burgo ipsius Castri, & Come„ciam Stalbohel cum omnibus attinentiis suis.

„ Acta sunt hæc WORMATIÆ Anno Domini MCCXXV. IX. Kalend. „ Aprilis Ind. XIIII.

Subjicimus hisce, litteras consensus majoris Capituli Wormatiensis.

„ HENRICUS Præpositus, Decanus, totumque Capitulum majoris Eccle„siæ Worm. omnibus præsens scriptum inspecturis, salutem.

„ Infeodationem, quam Dominus HEINRICUS, Episcopus noster Worma„tiensis, fecit de castro Heidelberg, cum Burgo, & Comitia Stalbuhel; conce„dendo prædictam infeodationem Duci Bavariæ, & Dominæ AGNETI, uxori „ Filii sui, & successoribus ab eo descendentibus per masculinum sexum; consen„timus, & eam ratam habemus, & super hoc præsentes litteras sigillo nostri „ Capituli fecimus communiri.

„ Acta sunt hæc WORMATIÆ, Anno Dom. MCCXXV. IX. Kalend. „ Aprilis Indict. XIV.

Cometiam, seu Comitatum Stalbuhel, a loco cognomine (cujus in contractu quodam Anno MCCVI. cum Henrico milite de Kircheim initi, meminit Lupoldus, itidem Worm. Episcopus) ita dictum, collocat Freherus, & post ipsum Tolnerus, inter Schriesheim, & Ladenburg; at, situm ejus intra Wimpinam, & Isensheim certius investigandum esse, monet nos Burchardus Sturmfeder, Eques; dum, quæ Anno MCCCXLV. Decano, & Capitulo Wimpinensi vendiderat X. agrorum jugera, ibidem dicit jacere, nimirum: *uff dem* STAHELBUHEL, *zwischen Wimpffen, und nidern-Issensheim, an dem Ochsenberg, gelegen &c.* ut habent ejus Litteræ. Duplicis præterea, aliunde commissi, erroris, hic â nobis arguendus est idem Tolnerus; quod Conradum Sueviæ Ducem, qui Hermanno Comiti Palatino sub Annum MCLVI. absque Liberis defuncto, in ejus Ditionibus surrogatus dicitur, Advocatum Ecclesiæ Wormatiensis creet, eoque nomine Feuda supradicta eidem, omnium primo, attribuat, cum præter Saræ-pontanos Comites, Ecclesia Wormatiensis alios olim non agnoverit advocatos; nec etiam Litteræ clientelares suprascriptæ aliud quidquam pro objecto habuerint, quam celebre illud conjugium: licet vices male aliquando rependerit Ludovicus; dum sub annum MCCXXXII. nescio quo seductus consilio, villam Neckerawe invasit, ac unà cum attinentiis suis a Dominio Worm. Ecclesiæ avellere conatus est; obtinuit quidem, per sententiam Cæsaream, iniqui spolii restitutionem Episcopus, at nec sibi, nec successoribus suis, pace, aut quiete ulla frui licuit, donec Locus ille naturam

Tolner. Hist. Palatin. pag. 29.

Tolner. ibid.

vid. Cod. Prob. num. 122.

turam Feudi induit, ac reliquis connumeratus est; ut vel ex sequentibus Ludovici II. ex Ottone Palatino geniti litteris reversalibus manifeste constat.

„ Nos Lodwicus Dei gratia Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ. „Notum facimus præsentium inspectoribus universis, quod a Reverendo in „Christo Patre, & Domino nostro Simone, venerabili Episcopo Worma- „tiensi, & Ecclesia, castrum & civitatem in Heidelberch, Comitiam in „Stalbuhel, & *villam Neckeravve*, in Feudum recognoscimus nos tenere; & „ne inposterum super hoc aliquis dubietatis scrupulus valeat suboriri, eis „præsentes dedimus super eo, sigilli nostri robore communitas.

„ Datum in Furstenberch Anno Domini MCCLXXXVIII. Kalend. „Januarii.

Cæterum, ad nuptias, quas junior Ludovicus Palatinus Comes, præcedentis filius primogenitus, cum Elisabetha Lotharingica eodem hoc Anno contraxit, feliciter celebrandas, rursum Episcopi Wormatiensis interventu & autoritate opus fuit: dum enim Mechtildis, Ludovici senioris uxor, consensisset, ut in Fundo suo dotali, novæ Sponsæ donatio constitueretur propter nuptias, æquum erat ei aliunde provideri; id autem quomodo processerit, indicant litteræ sequentes, etiam Wormatiensis Capituli consensu munitæ, quas, prout deinde ab ipsomet Rudolfo Rege visæ ac recognitæ fuerunt, hic subjicimus.

„ Nos Rudolfus Dei gratia Romanorum Rex & semper Augustus. „recognoscimus, nos vidisse & audivisse litteras subnotatas, non cancellatas, „non abolitas, nec in ulla sui parte viciatas, sub sigillis veris venerabilis patris „Simonis Episcopi Wormatiensis, & Capituli sui, in hæc verba.

„ Nos Simon, Dei gratia, Episcopus Wormatiensis Ecclesiæ, notum „facimus præsentium Inspectoribus universis, quod cum magnificus Princeps „Dominus Lodewicus, Illustris Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ, „castrum, & civitatem in Haidelberg, quæ à nobis in feudum tenuit, ad manus „nostras libere resignavit, petens instancius, ut illustrem dominam Mechtildem, collateralem suam, Serenissimi Domini nostri Rudolfi inclyti „Rom. Regis &c. Filiam, dignaremur in recompensam, seu restaurum castri „Wachenheim cum suis pertinentiis, quod ab ipso Domino nostro Rege, unà „cum ipso marito suo in feudum tenuit, & ad ipsius mariti sui instantiam, „resignavit, ut illustris Dominæ Elisabeth, Sponsæ illustris Domini Ludewici, Filii sui primogeniti, Filiæ magnifici Principis, Domini Friderici, illustris Ducis Lotharingiæ, & Marchionis, constitueretur donatio „propter nuptias in eodem, & eum nihilominus investire, ejusdem Domini „Ducis precibus inclinati, præfato Domino Duci & eidem Dominæ Mechtildi, collaterali suæ in feudum, castrum & civitatem Haidelberg, contulimus, & conferimus antedictam, ita: quod ipso Domino Duce præmortuo, præfata Domina Ducissa, bona eadem teneat & possideat pro tempore „vitæ suæ, & ea mortua, ad ipsius Domini Ducis hæredes primi matrimonii, „& secundi, æqualiter dividenda, secundum numerum personarum, sine difficultate qualibet, redeant bona illa; si autem ipsa præmortua fuerit, ad „ipsum Ducem, & eosdem hæredes suos, quovis cessante obstaculo, revertantur. Remisimus præterea, & remittimus pro vita ejusdem Dominæ „Ducissæ, omne servitium, si quod nobis, & Ecclesiæ nostræ, ex parte „ipsius, exinde ratione Homagii, deberetur. Dilectorum in Christo Fratrum „ipsius Ecclesiæ nostræ Capituli, accedente consilio & consensu. In cujus rei „testimonium præsentes damus, nostri, & ipsius nostri Capituli sigillorum robore communitas.

„Datum Wormatiæ Anno Dom. MCCLXXXVIII. VI. idus Januarii.

„ Nos Rudolfus, Dei gratia, Romanorum Rex, & ſemper Auguſtus, præ„dictus, in ſignum viſionis & auditionis prædictarum litterarum, ſigillum no„ſtrum præſentibus duximus apponendum. Anno Domini prænotato. XIIII. „Kalend. Martii.

Creſcente deinceps magis, ac magis, Palatinæ Domus potentia, magnum quoque ejus Feuda Wormatienſia ceperunt incrementum; nam & Ruperto, in Regem Romanorum recenter electo, concedenda fuit Anno MCCCC. inveſtitura caſtri Hohinrot, quod unà cum adjacentiis a Bertoldo de Oberkeim, Eccleſiæ Worm. Vaſallo acquiſiverat, ut ex litteris.

„ Wir RUPRECHT von Gots gnaden Romiſcher Konig &c. — als „wir, uns, und unſern Erben, Pfalzgraven by Rine die Nuwe-Burg zu Ober„keim, und etliche Gutere, umb BERCHTOLD Vetzer von OBERKEIM erb„lich gekaufft han, mit gutem willen und verhengniſs des Erwird. ECHARDS „Biſchoff zu Wormiſs, unſers, und des Richs Furſten; wann die ſelben Burg, „und guter von ym, und demſelben ſyme ſtyffte zu lehen rurent, und gent, „darumbe ſollen, und wollen wir, und unſer Erben Pfalzgraven by Rine die „obgenant Burg und Gutere, von dem ſelben Biſchoff ECHARD, und ſyme „ſtyfft vorgenant, zu lehen haben, und tragen, und davon verbunden ſin, als „von andern Lehen, die wir von ym, und ſyme ſtiffte obgenant, von unſer „Pfalz by Rine wegen zu Lehen han —

„ Geben zu HEIDELBERG off Sant Thomas des heiligen Apoſtels tag, „nach Chriſti Geburte Duſent und vierhondert Jare. unſers Riche in dem „erſten Jare.

Plura ejusmodi bona, Duci LUDOVICO, prædicti Regis Filio, obtigêre; ſiquidem præter medietatem locorum Dirmſtein, & Lumerſcheim unà cum eorum juribus ac attinentiis; cuncta, quæ Comites de Spanheim hactenus ab Eccleſia Worm. poſſederant, huicque tunc vacabant, idem Princeps Anno MCCCCXIX. impetravit, perſolutis ſimul ac ſemel bis mille, & centum florenis, ne Beneficium tam inſigne, omninò gratìs videretur conſecutus. Litteras ejus reverſales, ex hoc capite exhibitas, hic integre referimus; aliis, quæ Dirmſtein & Lummerſcheim concernebant, intermiſſis, cum tempore inſequenti per ſpecialem contractum abolitæ fuerint.

„ Wir LUDWIG, von Gots gnaden, Pfalzgrave by Rine, des heil„gen Romſchen Richs Ertztruchſes &c. bekennen — als der Erwird. „in Got vatter Her JOHANN Biſchoff zu Wormſſe, mit willen und verheng„niſs der Erſamen Dechann, und Capitels ſines ſtifftis zu Wormſſe, uns, „und unſern manlehens Erben, Pfalzgraven by Rine, die dan, nach un„ſerm tode, die Herſchafft, und Herlichkeit der Pfalz by Rine beſitzent „und innehant, Keſtel Burg und Stad, und Sprendelingen das dorff mit al„len iren rechten und zugehorungen, als die Graven von SPANHEIM, „die, von ſinen vorſarn, Biſchoffen und dem ſtifft zu Wormſſe, zu man„Lehen gehabt und getragen hant, und yme, und ſinen ſtiffte verfallen „und ledig worden ſint, vor verfallen Lehen zu manlehen geluhen „hat, nach uſſweiſunge ſines verſigelten briefes, den er uns mit „ſinem, und ſines Capitels zu Wormſe, ingeſigel verſigelt, daruber „gebin hat.

„Des

„ Des verſprechen, gereden, und globen wir &c. das wir dem obge„nanten Herren Johann Biſchoff zu Wormſſe, oder ſinen nachkomen Bi„ſchoven zu Wormſſe, in den nehſten dryen menden, nachdem wir, oder „unſer vorgeſchriven Erben, die obgenante Sloſſe Keſtel &c. zu unſern „handen bracht, und in nutzlicher gewere innehaben, und uns die Bur„ger, und Armen-lute doſelbs dehuldet und geſworn hant, Ein-und zwen„zig hundert guter Ryniſcher gulden unverzuglichen geben, und bezalen „ſollen, ane alle geverde ——

„ Geben zu HEIDELBERG Anno MCCCCXIX. uff den Montag, nach „ dem Sontag, als man ſinget zu Latin: Invocavit.

Horum autem, nec non præcedentium omnium Feudorum renovationem Anno MCCCCXXVIII. Junior LUDOVICUS Palatinus Comes, vivente patre, obtinuiſſe reperitur; proinde litteras ſuas his verbis concludit: *Des alles zu urkund und veſtem gezeugniſs, ſo hat der hochgeborn Furſt, Herr* LUDWIG *Pfalzgrave &c. unſer lieber Herre, und Vatter, ſin ingeſigel fur uns, an dieſen brieff gehangen, vvant vvir ſelber noch kein eygen Ingeſigel han.*

Geben zu HEIDELBERG, *off dem heilgen Oſterdag Anno MCCCCXXVIII.*

Acceſſerunt deinde Bona alia non pauca, per obitum Heſſonis Landgravii de Leyningen Eccleſiæ Wormatienſi Anno MCCCCLXIIII. vacantia; dum enim defuncti ſoror, & cum ipſa proximiores Agnati, qui ſe ſe, præter jus, in eadem intromiſerant, inde armis expellendi eſſent, nec Epiſcopo vires ad hoc ſuppeterent; admiſſus in belli ſocietatem Fridericus Palatinus, rem intra paucos annos feliciter abſolvit, omniumque Feudorum apertorum medietatem, & ultrà, in præmium retulit, ut Inveſtituræ litteræ id plenius nos docent.

„ Wir REINHART von Gots gnaden Biſchoff zu Worms, bekennen „—— als uns, und unſerm Stifft Worms, New-Leyningen Sloſs und „Statt, mit iren zugehorungen die Vogteye zu Oſthoven, Rhyn-Turkeim „das Dorff, Ybersheim das Gericht, und die gerechtigkeit an Hammen, „von dem Volgeborn HESSO Landgraffen zu LEININGEN ſeeligen, ver„fallen iſt, und nachdem Uns unſern vorfaren, unſerm Stifft Worms, und „den unſern mercklich und viel gnaden von dem Durchleuchtigen, Hoch„gebornen Furſten und Hern, Hern FRIEDERICHEN Pfalzgraffen by Ri„ne &c. —— und Kurfurſten, bewiſen iſt, auch getruwelich geſchirmt, ge„ſchutzet, und gehandthabt hat, und Er, und ſin Erben, hinfuro wol „thun ſolln und mogen. So haben wir mit wiſſen, willen, und verheng„niſs der Erſamen Dechant, und Capitel unſers Thom-Stiffts zu Worms „den benanten Herzog Friderichen und ſinen Erb-Lehens Erben, New„Leiningen Sloſs und Statt, mit iren zugehorungen halb, die Vogtey zu „Oſthoven ganz, Reyn-Turkheim das dorff halb, und die gerechtigkeit an „Hammen halb, mit allen rechten, gewonheiten, atzungen &c. und allen „andern rechten &c. wie dan ſolches der obgenant Landgraff Heſſe vor„mals von uns zu Lehen gehabt hat, ſeinen gnaden zu rechten Erb-Lehen „verleyhen han; und Er, und ſein Erblehens Erben, die das Furſtenthumb „der Pfaltzgraffſchafft bey Rein Kuntflich beſitzen werden, ſolln auch hinfur, „und ſo dick des not geſchicht; das obgeſchriben Lehen, mit allen rech„ten, als vorgeſchriven ſtet, von Uns, unſern nachkomen Biſchoffen, und „dem Stifft zu Worms, zum Erb-Lehen emphangen, haben und tragen,

„uns auch davon huldigung thun, gehorsam und verbunden sin, als solchs „Lehenrecht und gewonheit ist. Und Er, und sin vorgeschriben Erben, „solln auch zu einer iglicher zeyt, und als dicke sie die vorgeschriben Le„hen von uns, unsern nachkomen, und dem Stifft zu Worms zu Erb-Le„hen emphangen, uns ihre versigelten brieffe in der beste forme von nu„wen daruber, mit iren Insigeln besigelt, geben ——

„Datum GUERMERSHEIM uff donnerstag nach Margreten-tag Anno „Dom. MCCCCLXVIII.

Per duas itaque litteras separatas, Feuda Gentis suæ, post Fridericum supramemoratum, recognovit PHILIPPUS Palatinus itidem Comes, & Elector Anno MCCCCLXXXIII. ac in iis specialem insuper mentionem fecit Castri Swartzach, quod una cum attinentiis suis universis, quondam Dux Ludovicus, de consensu Reinhardi Worm. Episcopi, a CONRADO Dynasta de WINSPERG comparaverat; cumque extinctâ Comitum Palatinorum Lineâ Mosbacensi, arx nova in Oberkeim; de qua superius egimus, & quam ipsi hactenus possederant, in reliquorum Feudorum censum venit, hæc quoque separatim recognoscenda fuit; sic ut LUDOVICUS Elector Palatinus, jam Anno MDLXXVIII. triplici investitura opus habuerit; id quod ex successoribus ejus deinceps religiose observarunt FRIDERICUS, hujusque Filius FRIDERICUS, prior Anno MDXCVI. alter MDCXV. tum & CAROLUS-LUDOVICUS Anno MDCLI. postquam vigore pacis Westphalicæ in Ditiones suas restitutus fuisset. Ast ubi Anno MDCLIIII. post Georgii-Antonii Episcopi obitum, Feudorum renovatio petenda fuit, idem Princeps, ut erat difficilis ingenii, de verbis curialibus, quibus Palatini Principes, quà Wormatiensis Ecclesiæ Clientes, compellandi erant, contendere coëpit, morasque & difficultates ex hoc capite internexuit, quæ si juxta æquitatis Leges expendendæ fuissent, facile in autorem redundassent, ut qui omnium optime noverat, quanta semper facienda sit inter *Dominum*, & *Vasallum* differentia; hinc & a priori sententia sensim visus est recedere, quandoquidem paulo post, nec non denuo post Hugonis-Eberhardi Episcopi mortem Anno MDCLXIIII. de Feudis suis, more majorum, investiri petiit; quod & a posteris seu successoribus ejus, Lineæ Neo-burgensis, hactenus fuit observatum, prout testantur eorum litteræ, notanter CAROLI PHILIPPI, moderni Electoris, in verba sequentia.

vid. Winsperg infra. art. XIX.

Unser freundlicher Dienst, auch was wir mehr liebes und gutes vermögen zuvor. Hochwurdigster Furst, besonders lieber Herr nnd Freund. Demnach auff letzhin erfolgten tödtlichen Hintritt Weyland des Hochwurdigst-Durchlauchtigsten Fursten, Herrn **Frantz Ludwigen** Ertzbischoffen zu Mayntz rc. Bischoffen zu Worms rc. rc. unseres in Gott ruhenden freundlich geliebsten Herrn Bruders hochseeligen Liebd. uns geburen will, die von Ewer Lbd. und Dero Stifft Worms ruhrende Lehen zu requiriren, und zu empfangen; als ersuchen wir Ewer Lbd. hiemit dienstfreundlich, uns sothaner wideremfengnuß zeit und mahlstat zu bestimmen, da wir dan Erbietig jemand der unserigen zu bevollmachtigen, welcher in unserm Naamen sothane Lehen, dem herkommen gemäß, Emphange, und dasjenige was sich in dergleichen fällen aignet und gebuhret, præstira und leiste; inzwischen aber dieses unsers gethanen ansuchens uns schein und muthzettel zu ertheilen; wir seind hingehen solche bezeigende Willfahrigkeit zu erwideren geneigt, und verblieben anbey zu Erweisung aller angenehmen freund-nachbarlichen diensten jederzeit bereit und willig rc.

Manheim den 31. Januarii 1733.

III.

III.

Palatini Principes Lin. Bipont.

Obtigerat STEPHANO Bavariæ Duci Uxor, ANNA, Filia unica FRIDERICI Comitis de VELDENZ ac ſimul ejusdem hæres Anno MCCCCXL. hinc genitus ex hoc conjugio LUDOVICUS Palatinus inter alia bona plurima ſibi ex parentum obitu relicta, etiam eorum poſſeſſionem apprehendit, quæ ab Eccleſia Wormatienſi deſcendebant in Feudum; ita concedente Domino directo. Idem præſtitit Filius ejus æquivocus Anno MCCCCLXXXIII. cujus litterarum reverſalium hoc eſt initium. *Wir* LUDWIG *von Gots gnaden Pfaltzgrave by Rine, Herzog zu Beyern, und Grave zu Veldenz bekennen —— daz vvir von dem Hochvv. Herrn* JOHAN *Biſchoff von Worms, emphangen han, als Grave zu Veldenz, die hernach geſchriben Lehen &c.* tum concludit: *und haben ime hiruff globt, und geſvvorn, Ime und ſinem Stifft getruu, holt, gevvertig und gehorſam zu ſin, fur irm ſchaden zu vvarnen, und alles das zu thun daz ein man einem Herren ſchuldig, und ſolcher Lehen recht, und gevvonheit iſt &c.* vid. Veldenz.

Dat. Heidelberg Anno MCCCCLXXXIII.

Succeſſerunt Ludovico parenti in Feudis illis, ejus relicti Filii duo, CASPAR, & ALEXANDER, Palatini Comites Anno 1490. die Veneris poſt Jacobi Ap.

Occurrit deinde ad annum 1570. JOANNES Comes Palatinus, qui, uti Senior, tam pro ſe, quam & Fratribus ſuis: PHILIPPO-LUDOVICO, OTTONE-HENRICO, FRIDERICO, & CAROLO, Feudorum renovationem obtinuit.

Ex ſupradicti autem Joannis Palatini Comitis Linea deſcendente; ortus eſt aliquando CAROLUS XII. Rex Sueciæ, qui & ipſe, more majorum, de Feudis Veldenzibus inveſtitus eſt Anno 1689. petiitque de iisdem denuò inveſtiri, idque per litteras ſuas datas Holmiæ Anno 1699. die 11. Jan. poſtquam ſcilicet, vigore pacis Riswicenſis, in Ducatûs ſui Bipontini poſſeſſionem reimmiſſus fuiſſet.

Carolum Regem, qui in bello adverſus Danos Anno 1718. occidit; mox excepit GUSTAVUS-SAMUEL-LEOPOLDUS Biponti Dux, idemque Palatinus Comes: ejus proximior agnatus, qui feuda ſua pariter requiſivit, ac poſtquam Anno 1731. improlis obiiſſet, de ipſius ſucceſſione altercantes tam Elector Palatinus, quam Princeps Birkenfeldenſis ambo ab Eccleſia Wormatienſi debitam Feudorum inveſtituram requiſiverunt.

IV.

Naſſavv Dietz.

Feudum antiquiſſimum, quod ab Eccleſia Wormatienſi, olim Comites Catimelibocenſes, nunc Principes NASSAU-DIETZII tenuêre, fuit Advocatia in Diekirch, cum adjuncto judicio, reliquisque juribus; *die Voity zu Dickirch, und das Gericht das man ſpulget ze haben in des Probſtes Hof daſelbſt mit allen iren rechten und zugehorunge &c.* ut habent inveſtiturarum litteræ paſſim.

Accessit deinde Arx Greyffenstein cum attinentiis, quæ a Joanne de Seyna Anno 1395. translata dicitur in JOANNEM Comitem de NASSAW, ut hujus litteræ reversales nos docent.

„ Ich JOHANN Graf zu NASSAW erkennen mich —— von al soli-„cher Lehen wegen, als der Edel, myn lieber Neve, JOHAN von SEYNE „(den man nennet *Griffstein* mit namen) die tzu der Herschafft von Gryffstein „gehorent, von dem Erwird. myme lieben Herren, Herren EGHARD Bischoff „zu Wormsse und syme Stiffte zu Lehen halte, die derselbe Johann von „Seyne, an mich gewant hat, darzu der vorgenante myn Herre von Worm-„se sinen willen, und verhengnisse gegeben, und mir die zu andern mynen „Lehen, die ich von yme und sime Styffte haen, geluhen hat, als man eym „manne billich Lehen lihen sol, und sol ich dorumb sin, und sins Stifftis „Man, und getruu sin ——

„ Dat. den nesten Sundag noch unsers Frawen-tag Nativitatis Anno Dom. „MCCCXCV.

Hinc aliquando ex supradicti Joannis Comitis Successoribus JOANNES alter, Feudi utriusque renovationem obtinens Anno 1474. ea per litteras suas recognoscit in hæc verba.

„ Wir JOHANN Grave zu NASSOWE, zu Vianden, und zu Dietze „&c. dœn kont —— daz ich vur etlichen Jaren by den Erwird. in Gott „Vader &c. Herren REINHART Bischoff zu Wurmes, mynem gnedigen „Herren, zu Menze gewest byn, und zu erkennen gegeven hain, wie my-„ne Vuraldern, seeligen gedechtnisse, Lehen von Ihm, und sine Styfft ha-„ben, die ich auch willig were zu emfangen —— Demnach han ich jen-„zunt aber gebeden mir sulche Lehen zu lyhen; da hat der benante myn „gnediger Herre &c. mir diese nachgeschriven Lehen zu rechtem Manne-„Lehen geluwen, mit namen: Gryffenstein daz Sloss, und Herschafft, „mit allen zugehoringe &c. und darzu nemlich: die Voydie zu Diekirchen, „und daz Gericht daz man heldet under der Linden, mit allen huben, Gu-„dern &c. und ich und myne Manlehens Erven solln auch hinforter so dick „des not geschiet, dieselben Lehen &c. empfangen, haben, und tragen ——

Dat. Anno Dom. MCCCCLXXIV.

Cæterum; post jam dicti JOANNIS, nec non & PHILIPPI Comitum, obitum, successêre: quà Comites Catimelibocenses, sub annum 1492. WILHELMUS, dein HENRICUS, tum & hujus Filius WILHELMUS, quem ad annum 1521. demùm excepit PHILIPPUS; omnes Hassiæ Landgravii.

Verum, postquam WILHELMUS Nassowiæ, Catimelibocensis, & Ditzii Comes, Henrico Wormatiensis Ecclesiæ administratori, perscripsisset Anno 1549. in hæc verba.

„ Hochwird. Durchlauchtiger, Hochgeborn Furst, ꝛc. Gnädiger Herr. Daß „Ewer Furstl. Gnaden uff mein bittlich Ersuchen, mich, und meinen Sohn, den Prin-„tzen zu Uranien, als erkanten und erclärten Catzenelebogischen Erben, mit der Vogtey „zu Diekirchen, so weylandt die Graffen von Catzenelebogen, und hernachmahls Land-„graff Wilhelm der Jünger zu Hessen, von Ewer Furstl. Gnaden Vorfahren zu Lehen „getragen haben, gnadiglich zu belehnen willen, habe ich von Peter Scheer von Schwar-„tzemburg verstanden —— Dieweil aber, Gnädiger Furst, und Herr, ich dieser zeyt bey „E. F. Gnaden, in eigener Person nicht erscheinen kan —— so habe ich mit vorgehen-

der

„der Entschuldigung, meines nit selbst Erscheinens, obbemelten Peter zu E. Furstl. Gna„den abgefertiget ——

„Datum Dillenburg den VI. Junii Anno MDXLIX.

Utraque Feuda, superius memorata in unum coaluerunt, ut antehàc; successeruntque in iisdem hoc ordine reliqui.

Anno 1555. WILHELMUS præcedentis Wilhelmi Comitis Filius.

Anno 1563. JOANNES Comes Nassowiæ, qui pro se, quam & Fratribus suis LUDOVICO, ADOLFO, & HENRICO Feudorum renovationem obtinet.

Anno 1596. JOANNES Nassowiæ Comes.

Anno 1607. WILHELMUS-LUDOVICUS Comes Nassowiæ pro se & Fratribus suis: GEORGIO, JOANNE, ERNESTO-CASIMIRO, & JOANNE-LUDOVICO.

Anno 1660. LUDOVICUS-HENRICUS Nassoviæ Princeps, pro se, & respective Fratribus, & agnatis.

Anno 1669. JOANNES-MAURITIUS Princeps Nassoviæ & pro se, & GEORGIO-FRIDERICO, MAURITIO-HENRICO, JOANNE-FRANCISCO, ADOLFO, FRANCISCO-BERNARDO, HENRICO, WILHELMO-MAURITIO, FRIDERICO, AUGUSTO-HENRICO, & HENRICO-CASIMIRO, respectivè Fratribus, & agnatis.

Anno 1694. JOANNES-FRANCISCUS, Princeps Nassoviæ &c.

Anno 1700. HENRICUS, Princeps Nassoviæ &c. quo ad annum 1702. obeunte, Feuda recognoscit WILHELMUS-HYACINTHUS Princeps Nassoviæ &c.

V.

Nassau Sarbruck & Weilburg.

Multa sunt quæ jam Anno 1427. PHILIPPUS Comes de NASSAU se se ab Ecclesia Worm. in feudum tenere recognoscit; at eorum longe plura commemorat PHILIPPUS alter, prioris nepos, in litteris suis reversalibus Anni 1486. quas hic subjicimus. vid. Merenberg Art. XVI.

„Wir PHILIPS Grave zu NASSAW, und Sarbrucken, bekennen —— „daz wir von dem Erwird. in Got Vatter und Herren JOHANSEN Bischoff „zu Worms &c. diese nachgeschriben Guttere, zu Lehen entphangen ha„ben: Merenburg das Slofs, und die Statt, Item Schelmenhusen, Richen„born, Ruckershusen; Item das halbe teil an Allendorff, und das halbe „teil an Haselbach, Item zu Rulhusen uff der Ulme, die Fauthie; Item „Solms uff der Lane, und die Fauthie daselbs, item die Fauthie zu Niun„kirchen mit dem Walt daselbs, und mit dem nuwen Hus * Kykenburg, „die Grave JOANNES selige von NASSAW gebowet hat, mit den Dorf„fern daby gelegen, Breitenbach, Crekenbach, und Hublingen; Item die Fau-

* hodie Kirchenburg.

„Fauthie zu Bechtheim; item die Fauthie zu Wilburg, zu Limpurg, und „Diekirchen, die dry Stiffte; Item die Fauthie Winthusen, Item die Fau„thie Duders, die furmals andern zu manschafft geluhen sin, Item die ge„richter und dorffere zum halben teil mit namen Meerse, Roxheim &c.

Quæ omnia ac singula, cum eorum juribus ac attinentiis universis ad Philippi posteros transiere, hoc fere ordine.

Anno 1494. Feudi renovationem obtinet LUDOVICUS Comes de NASSAU. Idem faciunt:

Anno 1526. PHILIPPUS, præcedentis Ludovici Comitis de NASSAU Filius.

Anno 1561. post Philippi obitum, ALBERTUS, & PHILIPPUS, Comites de NASSAU, ejus relicti Filii.

Anno 1595. PHILIPPUS Comes, pro se, & relictis ex Alberto Fratre suo nepotibus LUDOVICO, WILHELMO, & JOANNE-CASIMIRO, cujus postremi, utpote minorennis, simul tutor exstitit.

Anno 1603. LUDOVICUS Comes de Nassau.

Anno 1630. WILHELMUS-LUDOVICUS Comes de NASSAU, pro se, & Fratribus suis JOANNE-CASIMIRO, ERNESTO CASIMIRO, & OTTONE;

Anno 1650. JOANNES-CASIMIRUS Comes de NASSAU, quà Senior pro se, necnon ERNESTO-CASIMIRO, JOANNE-LUDOVICO, GUSTAVO-ADOLFO, & WALRABO, respective Fratribus, & agnatis.

Anno 1681. JOANNES-LUDOVICUS, uti Senior, pro se, & WALRADO, LUDOVICO-CRATONE, JOANNE-ERNESTO, CAROLO-LUDOVICO, GEORGIO-AUGUSTO-SAMUELE, FRIDERICO-LUDOVICO, & GUSTAVO-ADOLFO, respective Fratribus & agnatis, Comitibus de Nassau.

Anno 1688. JOANNES-LUDOVICUS, idem qui supra, pro se, tum & WALRABO, LUDOVICO-CRATONE, JOANNE-ERNESTO, CAROLO-LUDOVICO & GEORGIO AUGUSTO, Fratribus & agnatis.

Anno 1720. FRIDERICUS-LUDOVICUS Princeps de Nassau, tanquam Senior, pro se, & agnatis suis GEORGIO-AUGUSTO, CAROLO, & WILHELMO-HENRICO, tum & pro CAROLO-LUDOVICO, & CAROLO-AUGUSTO, omnibus respective Principibus, & Comitibus de NASSAU.

Ex his postremus, nunc Illustrissimæ Gentis suæ Senior, ut Feudum natura sua promiscuum, videlicet medietatem Castri Eschershausen &c. a Nobb. de Schwalbach originarie proveniens, sibi acquirere liceret, illud per modum Feudi novi masculini suscepit Anno 1724. hac solummodo conditione adjectâ; quod si ipsum absque liberis masculis decedere contingeret, tunc ejus duo agnati CAROLUS, & WILHELMUS-HENRICUS Principes de NASSAU, horumque hæredes masculi, in eodem succederent. Litteras investituræ hic subnectimus.

Von

„ Von Gottes Gnaden. Wir **Frantz - Ludwig** Ertzbischoff zu Trier ꝛc. Bi„schoff zu Worms bekennen —— daß Wir dem Wohlgebornen unsern besondern lieben „Freundt. und getrewen **Carl - August** Graffen zu **Nassau - Sarbruck** ꝛc. und dessen „Ehliche Mann-leibs - Lehens Erben, und further auff absterben und Erloschung dessen „Mannes - stamm, denen Hochgebornen Herren **Carl** / und **Wilhelm - Henrich**/ „Fursten zu **Nassau** / Graffen zu Saarbrucken ꝛc. Seinen Vettern, und dern Ehlichen „Manns - leibs Lehen Erben, diese nachgeschrieben Lehen Gutter, welche von uns, und „unsern Stifft Wormbs **Sabina - Lamberta** Frey - Fraw von **Friesensee** / als ei„ne gebohrne von **Esch** / zu Lehen gehabt, obgedachter Graff Carl - August aber, von „ihr, mit unsern Willen und Wissen, auch Consens unsers Dhomb-Capituls erkaufft hat, „zu einem rechten neuen Mannlehen geliehen haben ꝛc. in Krafft dieses Brieffs mit Namen: „die Burg zu Eschershausen halb, mit ihrer zugehorte, und den Kirchsatz daselbs; tem „Vier und funffzig Morgen Acker; item Sieben Morgen Walds am Spielmansberg ꝛc. — „Geben zu Wormbs den 2. Octobr. im Jahr ein tausent Sieben - hundert, Vier und „zwanzig.

VI.

Baden.

Hermanni Marchionis Badensis litteras hic producimus, per quas An. 1233. suæ proprietatis prædia duo, Ecclesiæ Wormatiensi donat, eaque brevi manu ab eadem in Feudum recipit; illud autem quo pacto dissolutum aliquando fuerit, nos latet.

„ In nomine CHRISTI JESU; amen. HERMANNUS Dei gratia Mar„gravius de BADEN, & IRMENGARDIS Marchionissa, tenore præsentium „ad notitiam deducimus —— quod nos, communicata manu, & libera ac„cedente nostrorum consensu Liberorum, omne nostrum allodium, quod in „villis Oppaw, & Vluersheim, in campis, sylvis, pratis &c. habere di„noscimur, Ecclesiæ beati Petri in Wormatia integre donamus, & contra„dimus absolute. Verum-tamen Ego Margravius deinceps habebo, & ha„bere me recognoscam dictum allodium in Feodo ab Ecclesia Wormatiensi, „& a Domino HEINRICO, venerabili nunc ibidem Episcopo, & successori„bus ejusdem. Quod etiam allodium nostrorum debiti hæredes Feodorum, „suo tempore, a Domino Episcopo tunc existente in Feodo recipient, & „ab ipso, & Ecclesia Wormatiensi se tenere recognoscent.

„ Ut autem hæc nostra Traditio, & Feodi recognitio, in suo sistens „robore, debitum sortiatur effectum, præsens scriptum nostris duximus si„gillis consignandum, adhibitis Testium, qui aderant, nominibus, ut fa„ctum ipsius vivacius in posteros propagetur.

„ Nibelungus, major Præpositus; Landolffus Decanus; Nicol. Con„stantinus, Custos Nuhusensis &c. Præpositus de Willeburg nomine Bur„chard, & Magister Wolzo, Ecclesiæ Worm. Canonici; & Notarius Lu„dovicus. Milites quoque: Reinbodo Pincerna de Loutenburc, Rychezo „Sygelo, & David. Cives quoque Wormatienses: Ebelinus, & Ebelinus „Zeysolfi, Cunzo Dyrolfi Filius. Winezzo Magister Civium, Sigelo Mo„netarius. Et alii quam plures.

„ Actum Anno MCCXXXIII.

VII.

Bipontini Comites.

Alienaverat Anno 1298. Eberhardus Comes Bipontinus in favorem Ascerii Nonnen-munster, villam Lydrichstein, quam unà cum attinentiis & jurisdictione tenebat in Feudum ab Ecclesia Wormatiensi, hinc eidem assignat in restaurum, seu recompensam, villam suæ proprietatis Gillenheim &c. prout ex litteris ejus desuper confectis patet fusius.

„ Nos Eberhardus Comes Gemini-Pontis, nec non Agnes „nostra Collateralis, communicata manu unà cum Fratre nostro Walra-„mo, suisque Filiis Heinrico, & Symone, recognoscimus —— Nos „villam nostram Gillenheim, cum jurisdictione, Reverendo Patri Domino „nostro Emichoni Episcopo Worm. & ejus Ecclesiæ, proprie assignasse in „recompensam villæ Lydrichsheim & ejus jurisdictionis, monasterio & „Conventui de Nonnenmunster a nobis venditæ cum omni jure & consue-„tudine, sicut ipsa villa Lydrichsheim ad nos pervenerat ab antiquo, faten-„tes Nos prædictam villam Gillenheim a dicto Domino nostro Episcopo, & „ab ejus Ecclesia Worm. Homagio & nomine Feodi recepisse; ponentes et-„iam villam nostram Kutenheim in subpignus, tali modo; videlicet: quod „si a Nativitate Domini proxima infra annum, aliquis consanguineorum „nostrorum, prædictum Dominum Episcopum vel ejus Ecclesiam Worm. „super his impetierit, dicta villa Kutenheim, pariter cum villa Gillenheim „in Feodo residebit ——

VIII.

Leiningen.

Ut plurima, sic varia, Comitibus de Leiningen ab Ecclesia Wormatiensi obtigêre Feuda, quorum vestigia sæculo XIII. in Emichone, & Friderico, jam deprehendimus; remque ipsam loquitur Eberwini Episcopi Worm. charta sequens, Anno 1308. in formam mutui contractus confecta.

„ Nos Eberwinus Dei gratia Wormatiensis Episcopus, litteris præ-„sentibus recognoscimus, nos nobili viro, Friderico de Liningen, „Comiti Seniori, Feuda, quæ ab Ecclesia nostra de jure obtinet, liberali-„ter concessisse, & quod idem Comes Nobis & Ecclesiæ nostræ præstabit „auxilium & juvamen, quandocumque fuerit per nos requisitus secundum „exigentiam debitam sui juramenti, specialiter tamen quod ipse nobis, & „Ecclesiæ nostræ contra Cives Wormatienses, & Clericos Ecclesiarum no-„stræ Civitatis, si qui (quod absit) nobis & Ecclesiæ nostræ se opponere „præsumerent, & jura, libertates, & privilegia nostra impetere, minuere, „& turbare conarentur communiter vel divisim, consilium, opem, & ju-„vamen, etiam manu militari, promisit, sub vinculo dicti juramenti, & si-„cut in litteris suis expressum est &c.

Certe, inter Feuda illa præcipuum fuisse videtur Arx novæ Leiningen, ad distinctionem veteris, ita dicta; quam uterque Fridericus Senior, & Junior, qui de eadem simultanèe investiti erant, aliquando oppignorarunt, ut testantur litteræ sequentes.

„ Wir Friderich der alte, und Friderich der junge, gebruder, „Graven zu Lynningen, verihen uns offenlich —— daz umb solche gna-„de alse der Erwird. in Got Vatter und Herre Her Echart Bischoff zu Wormß-„se, unser gnediger Her, uns getan hat, daz er vor sich und sine nachkomen „Bischoffen zu Wormße sin gehencknifs und guden willen darzu getan und „gegebin hat daz mir verpfant und versetzt han ein Fierteil unser vesten zu „der nuwen-Lyningen, *die von eym Bischove und dem Stiefft zu Wormße ganz „und gar mit aller zugehorunge zu Lehen ruret*, als itz ouch von Ime entpfangen „ist, dasselbe Fierteil der nuwen-Lyningen wir unserm lieben Vetter Grave Emy-„chen von Lyningen vor fier dusent gulden versetzt und verpfant han, und „darume so han wir dem obgenanten unserm gnedigen Hern, Hern Echart &c. „widerlegt gein dem Fierteil der nuwen-Lyningen ein Fierteil unser vesten der alt-

„alt-Lyningen mit allem dem daz darzu gehort, die unser Eygen ist —— „und sal itz geniessen und bruchen als lang als das obgenant Fierteil der „nuwen Lyningen versatzt und verpsant &c. hy by sint gewest die Erbern „Lute Her Arnolt Dechant, und Her Jacob Monsheym Canonick zu dem „Dumse zu Worms, ——

„Dat. Anno MCCCLXXII. an S. Peters Abent den mannenet Cathedra „Petri.

Fuit autem Feudi hujus ultimus Possessor Hesso Comes, qui & Landgravius de Leiningen audiit; eo enim absque liberis defuncto, illud sibi Wormatiensis Episcopus adversus Comites de Leiningen Hartenburg, & Ruxingen, nec non defuncti sororem, quæ N. de Westerburg nupserat, plene vindicavit Anno MCCCCLXVIII. quanquam medietas ejusdem Friderico Palatino in novum Feudum cessit. vid. supra Art. Palat. Elect.

IX.

Leyen.

Feudum, quod pridem per simultaneam investituram possidebant Mosbachii, Rotii, Schwalbachii, & Hatstenii; hoc Henricus Mosbach de Lindenfels pro parte sua transstulit Anno 1677. in CAROLUM-CASPAREM de LEYEN, ejusque Fratres & agnatos, consensum suum ad hoc præbente Domino directo, videlicet DAMIANO HARTARDO Episcopo Wormatiensi. vid. Mosbach & Rodt in Elench. II.

Ejusdem Feudi renovationem obtinent CAROLUS-CASPAR de Leyen, ejusque agnatus HENRICUS-FERDINANDUS An. 1708.

X.

Louffen.

CONRADUS Comes de LOUFO, alias LAUFFEN post obitum parentis sui BOPPONIS, solemnem omnium Feudorum suorum investituram reperitur suscepisse Anno MCXXVII. in quorum recognitionem obtulit, more majorum, super altare S. Petri Wormatiæ VIII. ex Ministerialibus suis unà cum eorum uxoribus, Familia, ac substantia.

Idem præstiterunt Conradi hujus Successores BOPPO, circa annum 1140. HENRICUS, Anno 1174. ac denique CONRADUS, & BOPPO, Comites de Louffen Anno 1184. quorum genus haud diu post extinctum videtur.

XI.

Scharffenstein.

Deficiente Ernbergiorum prole mascula, Feudum quod nobilis hæc Gens hactenus tenuerat, recidit quidem, ut apertum, in potestatem Ecclesiæ Worm. at ex gratia mox collatum fuit Comitibus CRATZ de SCHARFFENSTEIN, quibus tandem aliquando pariter deficientibus, idem Feudum mensæ Episcopali incorporatum fuit. vid. Ernberg.

XII.

Schönborn.

Bona in Dommassenheim, quæ prius Schöneburgiorum fuerant; his exstinctis, translata fuêre An. 1667. in Illustr. Gentem SCHÖNBORNIAM per mo- vid. Schönburg.

modum Feudi novi masculini possidenda, gratiam hanc ipsi exhibente, de consensu majoris sui Capituli Worm. JOANNE-PHILIPPO Episcopo.

XIII.

Spanheim.

Comitum SPANHEIMENSIUM stirpe penitus sublatâ, omnes eorum possessiones, quas Feudi Lege eatenus tenuerant ab Ecclesia Wormatiensi, declaratæ sunt apertæ. At easdem mox Anno 1419. sibi suisque successoribus masculis conferri obtinuit LUDOVICUS Elector PALATINUS, ut supra jam vidimus.

XIV.

Veldenz.

FRIDERICUS Comes de VELDENZ, qui illustris suæ prosapiæ demum ultimus exstitit, Feuda, quæ, more majorum, ab Ecclesia Wormatiensi possidebat, adhuc anno 1432. reperitur recognovisse, his verbis ac nominibus, videlicet: *Lansperg das Sloss, Moschell die Statt darunder gelegen, mit iren begriffen &c. Unkenbach das Dorff mit sinen zugehorden. Item das Gericht und Guter vvas vvir zu Alsenz haben. Item Wynden das Dorff und Montfort das Sloss mit iren begriffen und zugehorden, vvie unser Furfarn Graven zu Veldenz die an den zvveyn enden gehapt hant.* Verum; hæc omnia sortem eandem habuêre cum bonis Spanheimensibus, ac in potestatem Comitum Palatinorum, Lineæ Bipontinæ, devenerunt sub annum MCCCCXL.

vid. supra Art. III.

XV.

Wyde.

Vacans ex obitu JOANNIS dynastæ de RUNCKEL Feudum Griffenstein, obtinuit, quà proximior agnatus, JOANNES Comes de WYDE An. 1503. ut constat ex ejus litteris reversalibus.

„ Wir **Johann** Grave zu **Widde** / zu Ysenberg und zu Runckel, bekennen —— „daß wir von dem Hochw. in Gott Vatter und Heren, Herren **Johans** Bischoff zu „Worms ꝛc. als der an den die Herrschafft Runckel durch abgang des Edlen **Johan** „Herr zu **Runckel** / zu Lehen gefallen ist, diese nachgeschrieben Lehen zu Mannlehen em„phangen han —— mit namen Gryffenstein, mit sein zugehorungen ꝛc. als der vorge„nant Johann Herr zu Runckel die ingehabt und getragen hat ——

„ Dat. Anno Dom. Millesimo Quingentesimo Tertio.

Feudi illius renovationem Anno 1564. obtinuisse reperitur JOANNES Comes de WYDE, quondam JOANNIS Comitis Filius.

XVI.

Merenberg.

In amicabili compositione quam HARTRADUS de MERENBERG Anno 1226. cum HENRICO Worm. Episcopo iniisse reperitur; expressis verbis enunciatum est, inter alia; „ quod ad uberiorem Wormatiensis Ecclesiæ, „quam offenderat, gratiam captandam; partem illam *Castri in Merenberg*, „quam a Rudolfo de Bilstein olim comparaverat, beato Petro tradidit, ra„tione cujus *Vasallum* se fecit Wormatiensis Ecclesiæ *absolutum*, quod vul„gò dicitur *Ledichman*.

Pro-

Promiserat insuper idem Hartradus Wormatiensis Ecclesiæ se se jura, ac possessiones ubique defensurum, id si negligeret, *Feuda tam nova, quam & antiqua, quæ ab Ecclesia Worm. habet*, ad illam redirent.

Hinc Gentem Merenbergicam Vasallitico nexu erga eandem Worm. Ecclesiam, dudum jam illigatam fuisse constat; quin & hoc modo illigatam deinceps perstitisse, probat ortus ex ea HARTRADUS alter, qui Anno 1288. publice recognovit, accepisse se se in Feudum a SIMONE Worm. Episcopo integrum Castrum Merenberg, cum attinentiis suis universis, quæ inter recensebantur Neukirchen, Hublingen &c. Fuerat autem huic Hartrado, nobilis suæ prosapiæ ultimo, Filia unica GERTRUDIS nomine, quæ postquam JOANNI Comiti de NASSAW, Lineæ *Weilburgicæ*, ADOLFI quondam Rom. Regis nepoti, nupta fuisset; EMERICUS Worm. Episcopus in gratiam tam illustris conjugii, Feuda Merenbergica, quæ Ecclesiæ suæ proxime vacatura fuerant, contulit jam dicto Joanni Comiti, ejusque posteris masculis possidenda. vid. Nassavv Weilburg supra Art. V.

XVII.

Runckel.

FRIDERICO dynastæ de RUNCKEL contulit Anno 1406. MATHÆUS Worm. Episcopus in Feudum arcem Griffenstein cum attinentiis universis, nec non simul Castrensibus militibus. Idque ad instantiam JOANNIS de SEYN qui illud in ejus gratiam hoc anno refutaverat; successit in eodem hoc Feudo THEODORICUS de RUNCKEL Anno 1420. cujus reversales litteræ tales sunt: vid. supra Nassavv-Dietz, art. IV.

„ Ich Dyetrich Herre zu Runckel bekennen —— daz ich von dem „Erwird. in Gott Vatter und Herren Hern Johann Bischoff zu Worms, zu „eym rechten Mannlehen emphangen habe —— Griffenstein mit siner zu„gehorungen, mit Slossen, Landen, Luten &c. —— des zu urkunde so „han ich gebeden den Edlen *Johann* Graven zu *Katzenelbogen*, myn lieben „Swager, daz er sin eygen Ingesigel, brestent halb des mynen, an disen „brieff wolt tun hencken ——

„ Dat. Anno MCCCCXX. off mitwoch vor unsers Herren Lychams „ Tag.

Theodoricum illum excepit Anno 1445. THEODORICUS de Runckel alter, qui duos ex se reliquit Filios, videlicet: THEODORICUM, & JOANNEM; prior ex his Feudi sui investituram renovasse reperitur Anno 1483. alter vero post Fratris obitum Anno 1486. sed postremo hoc absque liberis defuncto, tota ejus successio devoluta est ad Comites de Wyde. vid. supra Wyde Art. XV.

XVIII.

Wartemberg.

In Feudi, ab Ill. hac Gente, olim oblati, notitiam nos inducit Henrici VI. Imperatoris Diploma sequens.

„ HEINRICUS sextus, Dei gratia, Romanorum Imperator & semper „augustus &c.

„ Notum fieri volumus —— quod Fidelis noster HEINRICUS de „WARTENBERG, in præsentia nostra constitutus, per manum nostram de„dit Allodium montis in Osthoven beato Petro, & Episcopatui Worma„tiensi; HEINRICO Episcopo recipiente illud allodium, nomine Ecclesiæ „Wormatiensis; & Nos factum illud ratum habemus; & præsenti pagina „confirmamus. In munitione autem prædicti montis, idem Heinricus fe„ret auxilium, & sui Successores, bona fide, Episcopo Wormatiensi, & suis „Successoribus, & illa munitio patebit Episcopo Wormatiensi, & suis Successoribus, cum opus fuerit.

„ Actum apud TARENTUM. Anno Domini MCXCV. Indict. XIII. Idus Martii.

XIX.

Winsperg.

Dynastarum in Winsperg multiplicia olim fuêre Feuda, ut vel ex sequentibus Conradi de Winsperg litteris reversalibus constat.

„ Wir CONRAD Herre zu WINSPERG erkennen —— daz wir von „dem Erwird. in Got Vatter und Herren, Hern FRIEDERICH Bischoff zu „Worms &c. diese nachgeschriben Gut und Slofs zu Lehen emphangen han „—— mit namen: Gutenburg das Slofs &c. item die Vogty zu Huffelnhart. „Item zwey teil zu Kelbershusen an der Vogty. Item Mulnbach das wyler „under Gutenberg und die zwo Capellen doselbs; item Zwarzag mit der „Vogdy, und Dorffere, die darzu gehorent. Item Necker-Gartach; Item „Lunburg und Gartach darunder &c. Item Wynneden Burg, und Statt „mit aller siner zugehorde ——

„ Dat. in Octava assumpt. B. Virg. Anno Dom. MCCCCXXVII.

Verum hæc omnia, seu exstincta, seu adhuc superstite Nobili illa Gente, in varias manus transierunt, notanter Arx Swartzag, quam unâ cum cognomine villa, tum & Hag, Nunkirchen, & Swanden, aliisque ejus pertinentiis LUDOVICUS Palatinus, titulo emptitio, sibi, suisque posteris acquisivit. vid. supra Art. II.

XX.

Ordo Teutonicus.

Vetus Feudum, seu *Beneficium, quale Comes Boppo* (de Louffen) *ad villam Aasmaresheim, & in Ecclesia, & in omnibus utilitatibus tenuit,* confirmavit olim Ecclesiæ Wormatiensi Conradus Rex per Diploma suum datum Anno MXXVI. Transiit autem idem Feudum successu temporis ad Ordinem Teutonicum, hac lege, ut desumptus ex eo Eques aliquis, ratione ejusdem Feudi perpetuus supradictæ Ecclesiæ Vasallus existeret, quemadmodum ex sequentibus Ordinis Supremi Magistri litteris patet evidentius.

„ Wir CONRAD von EGLOFFSTEIN, Meister Dutsches Ordens &c. „tun kunt —— von alsolichen zehenden wegen zu Hasmersheim, gelegen „by Hornecke, der do zu Lehen ruret von eym Stifft zu Wormesse, daz „wir dem Erwird. in Gott Vatter und Hern Hern MATHEUS Bischoff zu „Wormefs, HEINRICHEN von HETTIRSDORFF geben hon zu einem man, die

„ die selben Lehen zu tragen, von uns, und unser orden wegen —— also „ wan der vorgenant Heinrich von todis wegen abegangen ist, oder anders „ die Lehen uff liſſe, so folln wir von unser, und unsir ordins wegen dem „ egenanten Stifft einen andern also wolgebornen man, der schilt und helmess genoss sy an sin stat geben ——

„ Dat. Heidelberg Anno MCCCCV. off sant Simons und Jude abent.

Continuatum itaque fuit in hunc modum; Feudorumque, bonis aliquot interea auctorum, renovatio toties quoties rite petita, ac impetrata fuit usque in annum 1606. quo solemniter utrimque conventum fuit, ut Feuda illa penes Ordinis Commendatorem in Horneck perpetuo deinceps residerent, sic ut quoties ejus in Commenda successores, aut supremus Ord. Magister, aut denique Episcopus Worm. obiret, seu alias deficeret, toties Feudum innovaretur.

Verum, Francisco-Ludovico, in quo utraque illa dignitas coadunata fulgebat aliter de his disponere placuit Anno 1712. ut ex ejus litteris desuper editis constat fusius.

„ Wir Frantz Ludwig / von Gots gnaden Administrator des Hochmeisterthums in „ Preussen, Meister Teutschen Ordens ꝛc. Bischoff zu Worms ꝛc. ꝛc. bekennen —— „ Nachdem zwischen denen Ritterlichen Teutschen Orden und unseren Stifft Wormbs „ Vorfahren Bischoffs Wilhelm seeliger gedachtnuß, der von uns, und unsern Stifft erkänter nachgeschrieben Manlehen halben abgeredt, und bewilliget, und beyderseits verglichen worden: das hinfuro in- und allewegen gerurte Lehen durch des Ordens Rittern „ und Commenthurn zu Horneck emphangen und getragen werden ꝛc. hierauff dann wir, „ umb Entgehung der daraus entstandenen unordenungen, solchen beschriebenen verglich „ dahin mitigirt, daß nuhr in zweyen todtsfällen, nemlichen: des Domini Directi, „ eines zeytlichen Bischoff zu Wormbs, und Vasalli, nemlich eines zeytlichen Hoch- und „ Teutsch Meisters das Lehen innerhalb Jahr und Tag zu muthen, und der zeytliche Commenthur zu Horneck, oder fals daselbst ein Hauß- Commenthur seyn solte diese Lehen zu „ entphangen gehalten ꝛc. Geben zu Wormbs den zwanzigsten Aprilis. Ein Tausent „ Siebenhundert und zwolff Jar.

XXI.

Wormatia.

Juramentum Principi-Episcopo suo, Magistratus Wormatiensis duplici ex capite exhibere tenebatur; nimirùm: quà Domino supremo Territoriali, & quà Domino directo Feudi *Spönvverth* &c. quod ab aliquot retrò sæculis jam recognoverunt, ut eorum testantur litteræ reversales.

ELEN-

ELENCHUS CLIENTUM SEU VASALLORUM SECUNDI ORDINIS.



AFFENSTEIN.

WOLFFGANGO ab AFFENSTEIN Equiti, confert Anno 1527 Henricus Coadjutor Worm. Feudum ex obitu CHRISTOPHORI de LINDENFELS, sibi, suæque Ecclesiæ apertum.

" Wir HAINRICH von Gots gnaden Coadjutor zu Worms —— bekennen —— daz wir unserm Rath und lieben getrewen WOLFFEN von "AFFENSTEIN Ritter, umb seiner trewen und nutzlichen dienst willen &c. "das Lehen so CHRISTOPH von LINDENFELS von uns, und dem selben "Stifft Wormbs, zu rechtem Manlehen gehabt, und durch seinen todli-"chen abgang uns, und unserm Stifft heimgefallen, zu rechtem Man-lehen "auff besondern gnaden Ihm und sein Man-lehens Erben gnadlich ange-"setzt und gelauhen haben —— mit namen X. mansmat wiesen gelegen im "Lamperther velde —— Item XII. mansmat wiesen gelegen im Bürstatter "velde &c. Anno MDXXVII.

Accessit deinde & Feudum aliud, vacans per obitum EMERICI de RANDECK, de quo pariter investitus reperitur ad annum 1561. WILHELMUS-CHRISTOPHORUS ab AFFENSTEIN, supradicti WOLFFGANGI filius. Ut ex litteris.

„ Wir **Dietrich** Bischoff zu Wormbs :c bekennen —— daß wir den Vesten, „unsern lieben Vettern **Wilhelmen-Christoffen** von **Affenstein** / diese nachgeschrie-„ben Lehen, so durch weylandt **Emerichen** von **Randeck** seligen Erlediget —— „zu rechten leibs Manlehen gelihen haben —— mit nahmen: ein halb theil des ze-„henden zu Kirchhaim, und Bissersheim, Wein, und Korn. Item ein Hoff zu „Kircheim under Leiningen gelegen :c. —— Geben zu Laudenburg 27. Febr. Anno „MDLXI.

Utrumque Feudum Anno 1584. die 28. Julii post obitum WILHELMI CHRISTOPHORI, per litteras separatas recognovit Filius ejus PHILIPPUS-JACOBUS ab AFFENSTEIN, deque iis investitus est. Hic de consensu Theodorici Episcopi Worm. constituerat Florenos mille in dotalitium uxori suæ JOANNÆ de ZILNHART, super bonis illis Feudalibus.

Suc-

succeſſit poſtmodum parenti Filius FRIDERICUS-CASIMIRUS ab AFFENSTEIN in utroque Feudo, quod de aſſenſu Wormatienſis Epiſcopi pariter jam oneraverat in bis mille florenos erga conjugem ſuam MARIAM-ELISABETHAM de BOBENHAUSEN.

Demum deficiente ſub annum 1659. Affenſteiniorum ſtirpe maſcula, poſſeſſionem omnium feudorum apprehendit Epiſcopus Hugo-Eberhardus, conceſſo nihilo-minus ex ſpeciali gratia, eorum uſufructu Joanni FRIDERICO de KNOBLOCH, ejusque conjugi, idque ad dies vitæ dumtaxat.



BECHTOLSHEIM.

Feudum Caſtrenſe in Neo-Leiningen vacans ex obitu HENRICI RUDWIN de TURCKHEIM, obtinuit JODOCUS de BECHTOLSHEIM Anno 1494. videlicet Curtim cum attinentiis ſitam juxta fontem ibidem. vid. Prombheim.

Tranſiit poſtmodum ex nova gratia feudum hoc ad Wernherum Koch J. U. Doctorem, ſed cum jam Anno 1576. in hujus Filio abſque prole maſcula defuncto defeciſſet, contulit illud Theodoricus Worm. Epiſcopus Georgio Seiblin, Cancellario ſuo bene merito, idque de conſenſu maj. Capituli.

BERGEN ab ESCHERSHAUSEN.

Echardus Worm. Epiſcopus CONRADO ab ESCHERSHAUSEN contuliſſe reperitur Anno 1391. die 17. Junii in feudum: arcem Eſchershauſen cum jure Patronatus ibidem, necnon decimis in Evveshuſen, Wilmunſter &c.

Inveſtivit & de eodem feudo JOANNEM de BERGEN in ESCHERSHAUSEN, hujusque ex fratre Nepotem CRATONEM-THEODORICUM a BERGEN, Theodoricus Worm. Epiſcopus per Litteras dat. Anno 1563. die 18. Januarii, ut hic infra:

„Wir DIETHERICH von Gottes gnaden Biſchoff zu Worms &c. bekennen ——
„daß wir unſerm lieben Getrewen JOHAN von BERGEN zu Eſchershauſſen von ſein ſelbs,
„und Weylandt ſeines bruders ſeligen verlaſſenen Sohn, KRAFFT-DIETHRICH von
„BERGEN —— dieſe nachgeſchriebene Lehenſtuck, zu rechten Man-Lehen geluhen haben, wie ſei-
„ne Voraltern, die von unſern Vorfahren zu Man Lehen Emphangen —— mit nahmen
„die Burg zu Eſchershauſen, mitt ihrer zugehorden, mit dem Kirchſatz, und dem Ze-
„henden zu Evveſſhauſen, Wilmunſter &c. ——

„Geben den achtzehenden Januarii MDLXIII.

Hæc Feuda, deficiente in totum nobili illa Bergiorum gente, tranſlata fuerunt in Schwalbachios. vid. Schwalbach.

BERTRAM.

Joannes-Philippus Archipræſul Moguntinus, idemque Wormatienſis Epiſcopus, deſumptam ex bonis feudalibus Affenſteinianis huic ſuæ Eccleſiæ olim apertis, curtem unam in Burſtatt, contulit Cancellario ſuo CONSTANTINO de BERTRAM Anno 1672. die 16. Aprilis; ſic, ut etiam ſucceſſio promiſcua in eodem hoc feudo deinceps locum haberet.

Obeunte itaque Constantino patre ad annum 1693. feudi novi investituram obtinuit filius ejus GUNDOBALDUS-JOSEPHUS de BERTRAM Canon. ad S. Andream Worm. quo nuper etiam defuncto, stitêre sese hæredes utriusque sexus non pauci, simultanée de vacante feudo investiendi, juxta litteras primarias.

BETTENDORFF.

vid. Marschalck de Waldeck.

Feudum sibi, suæque Worm. Ecclesiæ apertum ex obitu PHILIPPI-MELCHIORIS MARSCHALCK de WALDECG, contulit Theodoricus Episcopus germano Fratri suo PHILIPPO de BETTENDORFF per Litteras datas Anno 1555. die Martis post dominicam *Cantate*; ubi inter alia sic: „ditz nachgeschrieben Lehen, welches dann durch absterben weylant des vesten, unsers lie„ben getrewen PHILIPS-MELCHIOR MARSCHALCK von WALDECGEN, als des letz„verstorbenen dieses stammes, und nahmens, uns, und unserm stifft erlediget undt heim„gefallen —— mit nahmen: die Wießen in Lamperther Marckung, genant das rothe feld, „halb; item IIII. Morgen in Dirmsteiner Marckung &c. Consentiente in id ipsum majori Capitulo Wormatiensi.

Cæterum; reperio in illis bonis aliquando, videlicet: Anno 1570. successisse FRIDERICUM & JOANNEM de BETTENDORFF, Fratres germanos.

II. Est & Feudum aliud, quod etiamnum in nobili hac prosapia viget; illud idem qui supra Theodoricus Præsul instituit, legibus ac conditionibus in charta solemni Anno 1579. desuper confecta, expressis, quam hic accipe:

„Kundt und offenbar seye hiemit, als der Hochw. Furst und Herr, Herr DIETRICH „Erwölter und bestettigter Bischoff zu Wormbs von weilandt seiner Furstl. Gnaden freundt„lichen lieben Vatter, dem Edlen und Ehrenvesten HANNSEN von BETTENDORFF, „Churfurstl. Pfaltz. gewesenen Hauß hofmeister seeligen, das Hauß, Hoff, und Gueter zu „Nußloch geerbt —— undt demnach Seiner Furstl. Gnaden bruder weilandt der Edel und „Ehrenvest PHILIPS von BETTENDORFF seeliger keinen sohn, dann allein vier töchter, „deren auch jetzo nicht mehr dann eine im leben verlaßen —— so haben demnach sein Furstl. „Gnaden ihren Nachkommen Bischoffen und stifft Wormbs, gemelte Hauß, Hoff &c. zu „Nußloch &c. zu Erb-Lehen gemacht, uffgetragen, undt mit den Wurdigen, Edlen, seiner „Furstl. Gnaden Thumbstifft zu Wormbs, Dechan, und Capitul, wegen ihrer nachkomen „am stifft, und ihrer selbsten, volgendt Pact und geding in Ewigkeit zu halten abgeredt ge„troffen und geschloßen. Nemlich daß in der Ordnung, wie under bestimbt, die von Betten„dorff, alldieweil dessen stammen, und nahmen vorhanden; und vo deren keiner mehr vehere, „als dann und nicht ehe, die veiblich geschlechts personen, von seiner Furstl. gnaden nach„komen und stifft Wormbs, solche Hauß, Hoff &c. zu Erb-Lehen wie gebrauchlich recognosci„ren, Emphangen und vermannen sollen, dermaßen als Weyland gedachts seiner Furstl. „Gnaden freundlichen lieben Vatters bruder seliger WOLFF von BETTENDORFF, „under anderen zwen söhne gehabt, der ein genant FRIEDERICH, der ander HANS von „BETTENDORFF, velcher Hanß gleichfals verstorben aber drey söhne, als HANS-WOLFFEN, „HANS-CHRISTOPH, und HANS-WILHELMEN, verlassen, sonsten keiner von Betten„dorff, dann ernants Friederichs sohn, anjetzo in rerum natura ist; damit nuhn berurt „Hauß, Hoff &c. bey einem seye, hat hochgedachter Herr Bischoff —— werfuget, also „daß Hanß-Wolff von Bettendorff, nach deren absterben in mehr angeregt Hauß, Hoff &c. „zu Nußloch eintretten —— und als Erb-Lehen vom stifft Wormbs Emphangen —— „im fall dann sich nach dem Willen Gottes begebe daß Hanß-Wolffen Linie mit manli„chen geschlecht außsterben wurde, als dann soll angezogen Hauß, Hoff &c. zu Nußloch, „auff Friederichn von Bettendorff, und seine Linien manliches geschlechts fallen, und sel„bige dagegen Hanß-Wolffen Eygenthumbs Erben, das jenige und so viel was er Frie„derich gelieffert, nemlich 4000. gulden, wie daß Testament mit sich bringet, erstat„ten —— solte sich aber auch schicken, das keiner manlichs geschlechts von Hanß-Wolffen, „oder Friederichs Linien vorhanden, so sollen darnach Hauß, Hoff, &c. wachsen uff „Hanß-Wolffen beede obgemelte gebruder ihr manliche kinder und kinds kinder, und uff

„alle

„alle fähllе mit der Investitur gehalten werden wie oben beredt, und gesetzt. Letzlich der „gantz stamm, und nahm Bettendorff ab und auß sterben wurde, ist —— die Ding da„hin gestelt, das hochgedachts Herrn Bischoffen bruderes, weyland obernants Philipsen „von Bettendorffs Döchter, deren Eine noch in leben, als Fonlicita von Stockheim „und der andern zweien, als Veronica Faustin von Stromburg, und Ursula „Groschlægin kinder und ihre Erben, und Erbens Erben dieses Erb-Lehens, ordine „successivo, die nächsten fur und fur vähig sein &c.

„Geschehen den 7. Aprilis nach Christi geburt Tausent funff hundert, und im neun„und siebentzigsten Jare.

Hinc, juxta præcedens pactum, reperio ad annum 1669. obeunte Reinhardo-Friderico de Bettendorff, admissos fuisse in bonis illis feudalibus, Filios ejus Joannem-Philippum, Georgium-Bernardum, & Joannem-Ludovicum tum & relictos ex horum prædefuncto Fratre Friderico, minorennes Liberos: Philippum-Fridericum, Georgium-Eberhardum, Fridericum-Ferdinandum, & Joannem-Godefridum.

Ann. 1702. post obitum Joannis-Ludovici de Bettendorff, succedit ex fratre nepos Carolus-Ludovicus.

Ann. 1712. die 25. Aprilis; Feudi sæpedicti investituram recipit Philippus-Ludovicus de Bettendorff, tam pro se, quam & Agnato suo Philippo-Adamo.

BICKEN.

Contulit Anno 1555. Theodoricus Worm. Episcopus, Conrado de Bicken, ejusque ex Fratre Philippo de Bicken; nepote Philippo, eorumque hæredibus, curtem quandam in Eschershausen, decimam in Lonnenburg, aliaque bona feudalia, sibi, suæque Wormatiensi Ecclesiæ vacantia ex obitu Joannis de Wiederstein. vid. Widerstein.

Investiuntur postmodum Anno 1596. de eodem Feudo: *Joannes-Georgius* de *Bicken*, ejusque Agnati *Jodocus-Philippus*, & *Joannes Hartmannus*, ambo relicti quondam *Philippi* de *Bicken*, Filii.

BLICK de LICHTENBERG.

Joannes Worm. Episcopus per Litteras suas dat. Heidelbergæ Anno 1483. in Vig. Nativ. Christi contulit Friderico Blick ejusque Hæredibus masculis Feudum Castrense in Neo-Leiningen consistens in annuo reditu XX. mod. Frumenti, XX. unciarum Hallens. &c. nec non in duobus pratis juxta Leiningen.

Anno 1533. succedit in supradicto Feudo Joannes Blick, quo obeunte

Ann. 1549. Investituram pro relictis ejus minorennibus Liberis Philippo, & Joanne-Friderico Blick, tutorio nomine accepit Adam de Hirschberg.

Ex iis autem, postquam & stirpis ultimus, Joannes-Fridericus, decessisset Anno 1573. absque Liberis, Feudum, ut apertum, donavit Cancellario suo, Georgio Seiblin, Theodoricus Wormatiæ Præsul.

vid. Seiblin.

BOCK de ERPFFENSTEIN.

vid. Rodenstein.

Acceperat Anno 1406. a Mathæo Worm. Episcopo, CONRADUS BOCK bona haud exigua, eidem in Dirmstein, & Eppelsheim ex obitu quondam Hermanni de Scharpffenstein, vacantia, quæ dum in SIGIFRIDUM BOCK filium transmisisset, feudi Lege possidenda, hic obiens sub Annum 1475. cuncta denuò reliquit aperta.

BOCKLIN de UTERINA-VALLE.

vid. Stein in Steineck.

WILHELMUS BOCKLIN investitur Anno 1444. de Feudo, quod vitricus ejus, JACOBUS de STEIN refutaverat, ut ex Litteris sequentibus:

„ Ich WILHELM BOCKLIN von UTINGER-TALE, bekennen —

„ Als JACOB vom STEIN zu STEINECK, myn stieffater, solich Lehen „ so er von dem Erwird. in Got Vater und Hern, Hern FRIDERICHEN Bi- „ schof zu Worms &c. zu manne-Lehen enphangen gehapt und getragen, „ nemlich: einen teile an der Win-Zehenden zu Northeim, demselven „ mynem gnedigen Herren offgeben — da bekennen ich daz der vorgenant „ myn gnediger Herre mir die vorgeschriven Lehen zu eym rechten manne- „ Lehen geluhen hat —

Geben Anno MCCCCXLIII.

vid. Greck de Kochendorff.

Ann. 1469. post Wilhelmi parentis obitum succedit in eodem feudo filius WILHELMUS BOCKLIN, a quo transiit titulo emptitio ad Nobiles de Greck in Kochendorff Anno 1481.

BONN de WACHENHEIM.

CONRADUS, JOANNES, & HENRICUS BONN Agnati, idem feudum jam Anno 1427. possidebant, super quo eorum successores *Wilhelmus*, *Richardus*, & *Joannes* Litteras suas Anno 1483. dedêre in hæc verba:

„ Ich WILHELM BONNE bekennen —

„ daz ich von dem Hochwird. in Gott Vatter und Herren, Hern JO- „ HANS Bischoff zu Worms &c. diese nachgeschriben guter, darinn ich mit „ RICHART, und HANS BONNEN, min Vettern, in gemeynschafft sitze, „ zu rechtem mann-Lehen emphangen han — mit namen: eylff pfunt und „ sechs schilling Heller Wormser werung, uff dem Zolle zu Wormbs. Item „ unser teil an der mulber awe, item der Salmen-grund &c.

„ Dat. Anno Dom. MCCCCLXXXIII.

Transierunt autem, seu potius pervenerunt bona illa, ad relictos ex Joanne Bonne supradicto, filios, CHRISTOPHORUM, & ORTHONEM, qui & de iisdem investiti fuêre Anno 1535. tum & de aliis bonis feudalibus, videlicet: „ *ir teil an dem jrrwasser, und morscherwerde* &c. quæ per

per Litteras separatas recognoscere tenebantur, juxta quod parentes eorum fecerant.

Christophoro improle defuncto, nec non & fratre ejus germano Orthone, successerunt Anno 1565. 17. Maji hujus Orthonis relicti Filii: PHILIPPUS, & JACOBUS BONN de WACHENHEIM.

Demum unicus ex Philippo procreatus filius GEORGIUS-ORTHO BONN, Anno 1580. 11. Jan. patri succedens, sub tutela Georgii ab Hatstein constitutus; cum esset stirpis suæ ultimus, obiens improlis, sub Annum 1600. feuda sua Ecclesiæ Worm. reliquit aperta, ex quibus Civitati pars aliqua gratiose in feudum cessit; curtis vero in Babstat transiit certis sub conditionibus ad Nobiles de Hauben. vid. Hauben.

BOOSS de WALDECK.

EMICHONE Booss defuncto, successit Anno 1426. in Feuda ejus, PHILIPPUS frater, cujus Litteras reversales hic subjicimus.

„Ich PHILIPS BOSS von WALDECK bekenne —— daz ich diese nach„geschriben Lehen zu rechtem mannlehen von dem Erwird. in Gott Vatter und „Hern, Hern FRIDERICHEN Bischoff zu Worms &c. entphangen habe, die „vor EMICH BOSS, myn bruder selig &c. gehabt hat —— mit namen: dru „phunt siben schilling Heller off dem wege zoll zu Worms; Item ander„halb pfunt pfeffers, die fallent zu Pfingsten; —— Item wer Hussgenoss „wirt, der gibt davon acht untz, und siben Heller; Item was Huser ho„rent in Kammerhoff, was lantlosung darinn geschcent, und fallent, daran „der runde Heller; Item zu Gleffswyler XIIII. garven Knoblauch &c.

„Geben uff sant Sylvestres tag. Anno Dom. MCCCCXXVI.

Feudi ejusdem investituram adhuc Anno 1483. accepisse reperitur *Hermannus Boss.*

BRAUBACH dict. ANGELOCH.

WILHELMUS de BRAUBACH acceperat Anno 1406. a Mathæo Worm. Episcopo curtem quandam in Swebzingen sitam, feudi Lege deinceps possidendam; hanc cum Anno 1427. de consensu Domini directi, sibi acquisivisset Ludovicus Elect. Palatin. ab EBERHARDO de BRAUBACH Wilhelmi fratre; prætium inde percipiendum; videlicet summa 740. Flor. naturam Feudi induit, transiitque ad Eberhardi posteros JACOBUM, & PHILIPPUM de BRAUBACH, qui postremus adhuc Anno 1483. de eodem simultaneé investitus est cum WILHELMO, relicto ex Jacobo Fratre, Nepote.

Tandem, postquam ex refutatione JOANNIS de BRAUBACH, Feudum hoc ad ALEXANDRUM ejus Filium Anno 1536. pervenisset; hic, consentiente iterum Domino Feudi; pecunias in usus suos convertens Anno 1572, Epplingen proprietatis suæ villam mox substituit, ut testantur Litteræ sequentes.

„Wir DIETHRICH von Gottes gnaden Bischoff zu Wormbs &c. be„kennen ——

„Als der Vest unser lieber getrewer ALEXANDER von BRAUBACH genant ANGELOCH,

„ LOCH, und seine Voraiteren, von uns und unseren Vorfahren am stifft dreysig sieben
„ Gulden auff der Churphaltz, von wegen deß Hoffs zu Schwetzingen zu Lehen Emphan-
„ gen, welche gedachtem Alexander mit sieben hundert viertzig gulden abgelest worden.
„ Dargegen, und an stat solcher erlegter Summa, Er Alexander unß und unserm stifft von
„ newem zu Lehen gemacht, und uffgetragen hat, nemlich sein Eigenthumlich Dorff
„ Eppling bey Saargemunde gelegen, mitt aller zugehorde —— so wir ihm selbst zu rech-
„ tem mann-Lehen geluhen haben &c.

„ Dat. zu Ladenburg uff Mariæ Heimsuchung Anno Dom. MCCCCCLXXII.

Obiit deinde Alexander, quem & proxime secutus est Filius ejus JOANNES-WOLFGANGUS, siquidem natus ex hoc WILHELMUS-MARCOLFUS de BRAUBACH jam anno 1576. de supradicto feudo investitus fuit, vices in hoc agente Tutore ejus Christophoro de Helmstat. Sed majorennis factus, transtulit illud Anno 1595. in Joannem de Kerpen.



CLEEN aliàs CLEE.

Mathæus Worm. Episcopus donat Anno 1405. JOANNI de CLEE in feudum bona aliquot in Dorn-Massenheim, simul cum jure patronatus ibidem, ut constat ex hujus Litteris, quæ sic habent:

„ Ich HENNE von CLEEN, Edelknecht, bekenne —— daz ich diese
„ nachgeschriben Lehen zu manlehen han, und emphangen von dem Erwird.
„ in Gott Vatter und Herren, Hern MATHEUS Bischof zu Wormes &c. zum
„ ersten den Kirchsatz zu Dorn-Massenheim und das niderste teil desselben
„ dorffes da die kirche uff stet. Item funf huben Landes und die zehenden
„ halp &c. Item die Lehen die ich Liehen in dem selven Gericht ——

Dat. Anno Dom. Millesimo Quadringentesimo quinto.

Successit in hoc Feudo paterno, Filius WENCESLAUS de CLEE Anno 1416. illudque possedit usque in annum 1474. quo ætate jam gravis, ac viribus prope exhaustus, Curiæ Feudali nuntium misit, petiitque quam instantissime a Reinhardo tunc Worm. Episcopo, velit GODEFRIDUM & FRIDERICUM de CLEEN, Filios, de suprascriptis bonis feudalibus investire, quod & factum est.

Continuata itaque serie, Feudum quod Wenceslaus parens refutaverat; *alters, und krankit balb sins Libs, under sinem sigell, uffgesagt hat* (qui tenor Litterarum est) obtinuerunt ejus ambo Filii supradicti, ex quibus solus aliquando ad annum 1483. superstes Godefridus, Filium post se reliquit OGERIUM de CLEE, Feudi successorem; verum hic Anno 1520. obiens improlis, Feudum suum Ecclesiæ Worm. reliquit apertum, cujus tamen ususfructus THEODORICO de CLEEN, supremo Ord. Teutonici Magistro, quà defuncti Ogerii Agnato, ac nobilis hujus prosapiæ ultimo, ex singulari gratia ad dies vitæ concessus est.

Præviderat quidem hunc ipsum stirpis suæ interitum Ogerius; proinde, haud licita calliditate usus, bona, quæ ab Ecclesia Worm. hactenus tenuerat, dedit Philippo Weiss de Furbach in subfeudum. At contractus ille, inscio Domino directo, peractus, mox rescissus fuit, nec aliter, quam novâ desuper transactione initâ, prædictus Philippus, Feudi memorati partem sibi retinuit, dum altera, seu reliqua pars Casparo Lerchel cessit in donum, feudi lege, simultaneé cum Philippo possidenda.

vid. Weiss de Furbach, & Lerchel de Dirmstein.

II. Aliud

II. Aliud Feudum, & quidem superiori illo præstantius, tenebat ab Ecclesia Wormatiensi CRATO KRUG de CLEEN, videlicet: Decimas in Lichtenhart, Ramshart, Ysenbach, aliisque locis plurimis, tum & Curtim in Cubach &c. quæ omnia, & aperta ipsi concesserat Mathæus Worm. Episcopus per litteras sequentes:

„ Wir MATHEUS, von Gottes gnaden Bischoff zu Worms &c. Erken-„nen —— daz wir gelihen han —— CRAFFTEN KRUG von CLEEN, un-„serm lieben getrewen, diese nachgeschribene Lehen, mit namen: den zehen-„den zu Lichtenhart, zu Ramshart, Item den zehenden zu Ysenbach, Item „zu Ascheshusen &c. Item ein Hoff zu grossen Cubach &c. und ander Lehen, „so Wyland HUNDT DYDE, und SUWER, gebruder von Wilburg von un-„sern Furfahren, und stifft Worms zu Lehen getragen haben &c. —— „Auch han wir gegonnet, und gonnen dem vorgenanten Crafften: were es „daz er abgieng von dodes wegen, ane Lehenber Libes Erben, daz CRISINA, „sin eliche Husfrowe sol bliben sitzen in den selben gutren, und Lehen, ir Leb-„tage, und solln'darnach wider an uns, und unser nachkomen, und unserm „stifft verfallen sin; doch mit beheltnuss unser, unsers stifftes, und unser Mann „Recht, daz wir in allen unsern Lehenschafften uznemen ——

„ Geben zu Heidelberg, uff Sant Franciscus-tag. Anno MCCCCVIII.

Horum autem Feudorum, seu Crato ipse, seu Filius ejus Crato, investituram adhuc Anno 1427. accepisse reperitur; id certum est, ea ex illius, aut alterius obitu rursum vacasse, & quidem circa Annum 1430., aut 1435. quo in Joannis Rubsame de Merenberg manus pervenerunt. vid. Rubsame.

CRONEBERG in CATZENFURT.

Exstinctâ in DANIELE, sub Annum 1601. Nobili MUDERSPACHIORUM prosapiâ, redibant in Ecclesiæ Worm. sinum bona cuncta feudalia, quæ ipsi Genti exinde olim provenerant; quando HARTMUNDUS de CRONEBERG, defuncti Danielis Sororius, prece ac pretio effecit, ut ea sibi imposterum firma remanerent, contractu cum Philippo Worm. Antistite desuper inito, quem hic subjicimus. vid. Muderspach.

„ Zu Wissen: als hiebevorn bey denen hochwird. Fursten und herren, herren „PHILIPSEN Erwölt- und bestättigten Bischofen zu Worms, und seiner Furstl. Gnaden „Duhm-Capitul daselbsten uff totlichen abgang Weylant des Edlen und Vesten DANIELEN „von MUDERSPACH, der auch Edle und Vest- HARTMUTH von CRONBERG, der Jun-„gere, umb newe ansetzung der Muderspachlische Ihro Furstl. Gnaden, und dero stifft, eröffne-„ten und anheim gefallenen Lehen stuck uf ihnen, und seine Ehliche Leib mann-Lehens Erben, „gegen geburlicher Recompens zu dirigiren, unterthanich angesucht und gebetten, ihm darauf „auch gnadiglich willfahret und eingewilliget &c. auch dahin geschlossen und verabscheidet: „das die mehr angezogene Lehenstuck, wie sie Ernanter Daniel von Muderspach seeliger biß zu „begebener Apertur innen gehabt, nunmehr uff ihnen Hartmuden von Cronberg, und seine „söhne, und furters ihre descendenten, und Ehliche Manns-Erben, so lang deren sein wer-„den, und auch zu begebenden fällen, gedachte söhne alle versturben, und keine Manns Erben „mehr vorhanden, als dann auf sein Hartmudens von Cronberg des jungeren und seiner söhne „Ehliche Döchter, und also zu Erb-Lehen ertheilet, gerichtet, und dahin gesetzt sein —— „ gegen und an statt jetzt geborter Wilfahrung, und zu recompens, Er Hartmud von Cronberg, „funfzehen hundert gulden —— gen Worms zu ihrer Furstl. Gnd. Kelleren entrichten —— „So dann, da es nach gottlicher schickung geschee, das sein Hartmuts von Cronberg Söhne, „und Leib-manns Erben, ohne mannliche Erben verstürben, und besagte Lehen, den Döchtern, „wie obgedacht, anerwuchsen, als dann sie, Die Döchter, ob hochernanten Herren Bischofen,

„oder

„ oder seiner Fürstl. Gnaden am stifft nachkommen, noch weiter funff hundert gulden rich„ tig und onfehlbar bezahlen, und abstatten ——

„ Geben und geschehen zu Worms, Freytag den sechszehenden Novembris newen Ka„ lenders, im Jahr Sechszehen hundert, und Ein.

His demum conditionibus, Anno proxime ſequenti 1602. die 16. Auguſti, Hartmundus, bonorum Feudalium inveſtituram accepit, quæ inter recenſebantur: Decimæ in Catzerfurt, Dielenheim, Eringshauſen, Kolhauſen, & Lempe, in tractu Solmenſi percipiendæ, tum & aliæ decimæ in Rosbach, Biſchoffheim &c. Eaque ſimul omnia Anno 1608. obiens, transmiſit in ſuſceptos ex ELISABETHA de MUDERSPACH conjuge, Liberos minorennes; JOANNEM-DANIELEM, WALTHERUM, JOANNEM-SWICARDUM, JOANNEM-PHILIPPUM, & HARTMUDUM de CRONBERG, ſub tutela Joannis Godefridi de Stein, & Joannis-Swicardi de Sickingen, conſtitutos.

Occurrit deinde ad annum 1660. jam generatio altera, videlicet: JOANNES-DANIEL præcedentis Joannis Danielis Filius, qui tam ſuo, quam HARTMUDI Fratris, nec non communis eorum Agnati, JOANNIS-NICOLAI, quondam Joannis Swicardi de Cronberg, ex Agnete de Rodenſtein conjuge, Filii, nomine, Feudorum innovationem, pro more obtinuit.

Ex tribus illis, eorumque progenie, (nam Joanni-Danieli interea filius fuerat HARTMUDUS nomine, qui & ipſe obiit) ſolus ſuperſtes remanſit Joannes-Nicolaus, quo tandem ſub annum 1704. vita pariter functo, Feudum declaratum fuit apertum. At Juliana-Barbara de Waldecker, nata Boos de Waldeck, contra obnitente, quod hæc, ortum ſe ſe a primo acquirente trahere, aſſereret; tandem Anno 1711. cauſam ſuam gratioſé evicit.

vid. Waldecker.



DALBERG.

Eadem hodie cum ſit DALBERGIORUM, quæ olim CAMERARIORUM de WORMATIA fuerat, Familia; Eam ſub priore nomine, quo in vulgo notior eſt, hic ſiſtimus, ejusque in Feudis Wormatienſibus ſucceſſionis ordinem ſimul indicamus.

Certe nexus Vaſallitici antiquitatem, ſat commendare videtur ſequens notitia, ſeu deſignatio ſpecifica bonorum Feudalium, Mathæo Wormatienſem Cathedram Anno 1406. conſcendenti, exhibita per Henricum Camerarium, in hæc verba:

„ Dits ſint die Lehen, die ich HENRICH KEMERER Ritter, und mine „ ſune, die Kemerer, in gemeinſchafft beſitzen, und zu Lehen han von „ unſerm Hern, dem Biſchoff zu Worms; die ich HENRICH vorgenant, „ vom mym Hern, Biſchoff MATHEUS emphangen han, als hernach un„ derſcheiden, und geſchriben iſt. Zum erſten; han wir das Juden Gericht „ zu Worms, und die juden zu ſchirmen, als das herkommen iſt; ſollent „ alle Kemerer, und ir gut in dem Borg-friden zu Worms fry ſin „ daz

„daz die ſtat zu Worms, ober ſie und daz ir kein gebot machen, und auch „ober ſie, und ir jung gebrote Geſinde, kein gericht halten noch dun ſollen, „und ſolln auch alle kemerer Höff fry ſin, und auch kein gericht darinn gehen „ſoll. Item, das recht das wir han uff den Kemer-Hoffen, und die ſelbe „Höffe ſollent ouch fry ſin, und wer darinn fluet, obir den ſoll auch kein „gericht geen, do en ſie dan ein geborn Kemerer by. Auch han wir Kemerer „die fryheid daz wir der ſtat zu Worms kein ungeld oder zolle von dem unſern „geben ſolln, und daz wir mogen unſer frucht, wyne, und anders dun uz und „inn faren, alles ane hindernis &c. item; mogen wir Kemerer unſern wyne „ſchencken mit der alten maaſ an ungelt zu Worms. Item han wir Kemerer den „Buden ſant, den walt, und die wiſen, mit ſiner zugehorden, —— Item han „wir auch fallende Erdperen, gläſſer, und narten, und waz darzu gehoret. „Item unſer recht an den ſchiffen, und der farth zu Worms &c. Item XXIIII. „mansmat wiſen die man nennet die Kelebach. Item XVIII. mansmat wiſen „liget zu Hocheim &c. —— des zu Orkund han ich Heinrich obgenant myn „Ingeſigel gehenckt unden an diſen brief.

„Geben off Sambſtag nach unſer Frawen tag kertzwie Anno Dom. „MCCCCVI.

Quin & Feudum illud avitum, novis ſubinde cumulatum fuiſſe gratiis, ac beneficiis, teſtantur ſubſequentium Epiſcoporum litteræ, ubi, præter in eodem ſpecificata, tum jura, tum bona, enumerantur, cenſus ac decimæ, nec non pratorum, & agrorum jugera quam plurima, notanter in minori Nittesheim ſita, in quorum locum noviſſime ſubſtituta fuerunt bona in Hoffheim; quomodo, & de iis omnibus, Theodoricus Camerarius, tam ſuo, quam agnatorum ſuorum nomine, jam Anno 1446. inveſtitus reperitur; dum interea Theodorici hujus immediati prædeceſſores, Wolffgangus, & Philippus, circa certas quasdam Feudi ejusdem particulas, & alienationes abinde factas, ſolemniter contraxerunt cum Friderico a Domneck, Worm. Epiſcopo, in modum ac formam, a poſteris perpetuò ratihabendam, quam & proinde Anno 1483. Philippus & Fridericus Camerarii de Wormatiâ, agnati, recognoverunt, in verba ſequentia:

„Ich Philipps; und ich Friderich, Ritter, Kemerer, von Dal- „burg, gevettern, bekennen —— als zuſchen dem Erwird. Hern Fride- „rich, Biſchoff zu Worms, ſeliger gedachtnus, und den Kemereren, als „von der *Mar-Avve* wegen, zu ziden geredt, beteidingt, und ein rachtung ge- „macht wurden; daz die Kemerer, zwene Kemerer zu manne von der mar- „awe geben ſulln, werden aber der Kemerer wenigk, und daz irer nit me dann „einer were; ſo ſulle man dem ſelben allein lihen, nach uſswyſung der ſelben „rachtunge; alſo haben wir von dem Erwird. in Gott Vatter, und Hern, „Hern Johans, Biſchoff zu Worms &c. die mar-awe, zu einem rechten „mann-Lehen entphangen —— und als unſer furaltern, das beldich mit Holz, „fiſchwaſſeren, wieſen, und andern zugehornde, und ſinen begriff en den bo- „denſant ſtoſſende fur der ſtatt Worms gelegen, mit andern auch zu mann- „Lehen gehapt, und getragen han, und Her Wolff, Ritter, myn Vatter „ſelige, und ich Philipps Kemerer, gebrudere, ſolichen buſch dem Cloſter „zu Hocheim verkaufft, das ſin Gnaden furfare ſeligen dan verwilliget hat. „dar geyn wir beyde dann dem ſtifft Worms Vier dhuſent gulden zu Lehen „gemacht, und zu mann-Lehen entphangen haben. Und demnach ſolich „Vier dhuſent gulden an guden heupt gutern, hinder den dumſtiefft Worms

„gelegt (alles nach lut der briffdaruber ſagende) alſo haben wir obgenant Phi-
„lipps Kemerer und Friederich Kemerer, Ritter, von myn, und myner bru-
„der wegen ſolich vierdhuſent gulden zu Mann-Lehen entphangen, von dem
„obgenanten unſern gnedigen Herren, und entphangen die auch in crafft diſs
„briefs —— der geben iſt zu Worms, uff montag nach Corporis Chriſti Anno
„Dom. Milleſ. Quadringenteſimo, Octuageſimo Tertio.

Hinc Dalbergiorum reliqui, duplices exhibendo litteras reverſales, Inveſtituram feudorum ſuorum ſuſceperunt, hoc ordine.

Anno 1493. FRIDERICUS, & JOANNES Camer. a DALBERG pro ſe, & reſpective Fratribus ſuis.

Anno 1505. JOANNES Camer. a DALBERG uti ſenior, pro omnibus, ac ſingulis.

Anno 1533. WOLFGANGUS Camer. a DALBERG uti ſenior, pro omnibus.

Anno 1553. FRIDERICUS, & EBERHARDUS Camer. a DALBERG, agnati, pro reliquis.

Anno 1578. THEODORICUS, & PHILIPPUS Camer. a DALBERG, agnati, pro omnibus.

Anno 1596. WOLFGANGUS & JOANNES Camer. a DALBERG, agnati.

Anno 1687. ERKENBERTUS Camer. a DALBERG, pro ſe & FRIDERICO-ANTONIO fratre, nec non PHILIPPO-FRANCISCO-EBERHARDO, FRIDERICO-THEODORICO, tum & JOANNE-PHILIPPO-ERKENBERTO, agnatis.

Anno 1708. FRIDERICUS-THEODORICUS Camer. a DALBERG, uti ſenior, pro ſe, & agnatis: DAMIANO-ERKENBERTO, JOANNE-HERIBERTO, FRANCISCO-ANTONIO, PHILIPPO-WILHELMO, FRANCISCO-ERKENBERTO & WOLFGANGO-EBERHARDO, Fratribus.

Anno 1721. FRANCISCUS-ERKENBERTUS pro ſe & Fratribus, DAMIANO ERKENBERTO, FRANCISCO-ANTONIO, PHILIPPO-WILHELMO, & WOLFGANGO-EBERHARDO, CAMERARIIS a WORMATIA. LL. BB. a DALBERG.

DEGENFELT in HOHEN-EYBACH.

vid. Nevv-hauſ.

Feuda, de quibus ab antiquo inveſtiti fuerant Nobiles de & in NEUHAUSEN, cum per obitum JOANNIS-PHILIPPI, hujus proſapiæ ultimi, Anno 1582. recidiſſent in poteſtatem dominorum directorum, videlicet: Worm. Epiſcopi, & Wirtembergiæ Ducis; factum eſt, ut hic partem ſuam CHRISTOPHORO a DEGENFELT gratioſe contulerit, induxeritque Epiſcopum, ut & ſuam quoque eidem conferret, id quod teſtantur litteræ ſequentes:

„ Wir

„ Jch **Christoph von Degenfelt** zu **Hohen-Eybach** und **Newnhaus** / Furstl.
„ Wirtembergischer Hauß-Hoffmeister bekenne —— als durch absterben Weyland **Hanß-**
„ **Philippsen** von und zum **Newen-Haußen** Seligen, die stucke, die Er, und seine Vor-
„ älteren, von dem Hochwur. Fursten und Herren, Herren **Georgen** Bischoffen zu Wormbs
„ &c. zu lehen gehabt, uff des durchleuchtigsten Fursten, und Herren, Herren **Ludwigen** /
„ Hertzogen zu **Wirtemberg** &c. ausfurlichen intercediren und ersuchen, obhochgedachte
„ ihro hochfurstl. Gnad., auch am stifft Wormbs nachkomen mehr solche erledigte Lehenstucke
„ von newem zu einem rechten Mann-Lehen gnadig angesetzt und geluhen worden seyen in crafft
„ diß briefs, mit nahmen: Das halbe theil an dem dorff Erstat &c. desgleichen, den dritten
„ theil an dem grossen und kleinen zehenden in der gantzen Gemarck &c.
„ Geben den letzten May MDLXXXII.

Admissus itaque in feuda præmemorata Christophorus, post exsolutionem ter mille flor. in quam se, pro obtinendo consensu majoris Capituli, obligaverat; Ea Anno 1587. in Filios suos: CHRISTOPHORUM-FRIDERICUM, & FERDINANDUM-FRIDERICUM a DEGENFELT transmisit obiens, qui & de iisdem investiti fuêre die 17. Aprilis.

Successit deinde Anno 1609. die 16. Feb. solus JOANNES-CHRISTOPHORUS, relictus Christophori Friderici Filius; quem secuti sunt

Anno 1614. CHRISTOPHORUS-JACOBUS, præcedentis Joannis Christophori a DEGENFELT, minorennis Filius, sub tutela Joannis-Philippi ab Helmstat constitutus.

Anno 1660. die 8. Junii JOANNES-CHRISTOPHORUS a DEGENFELT, Christophori-Jacobi pariter minorennis Filius, Tutoris partes explente Joanne Conrado ab Helmstat.

Anno 1687. post Joannis-Christophori obitum, feudum paternum simultanee adierunt Filii ejus CHRISTOPHORUS-FRIDERICUS, & FERDINANDUS-FRIDERICUS a DEGENFELT.

DERS, seu DERSS.

Feudum duplex in hac Gente nobili aliquamdiu substitisse reperio.

Primum; quod inter alia continebat Terræ arabilis jugera XXXI. in villa Horcheim, prata itidem aliquot in Roxheim, & Mörscher awe &c. obtinuit LUDOVICUS de DERS, ECKARDI quondam Filius; ut ex litteris:

„ Ich LUDWIG von DERS, ECKARTS seligen sone, bekennen ——
„ daz ich von dem Erwird. in Got Vater, und Herren, Hern FRIEDERIH Bi-
„ schoff zu Wormbs &c. zu einem rechten mann-Lehen enphangen han ——
„ ein und drissig morgen acker gelegen zu Horcheim &c. Item uff dem Gericht
„ zu Worms VII. phunt Heller. Item uff dem phunt-zoll zu Worms VII.
„ phunt Heller. item IIII. mans-mat-wiesen zu Roxheim gelegen. item; die
„ awe niden an dem Spanwerds; item IIII. mansmat wiesen uff der mörscher
„ awe ——
„ Dat. Ann. MCCCCXXVII.

II. Alterum feudum, consistens ex insulis quibusdam in Rheno juxta Wormatiam, & Roxheim sitis, quod Anno 1427. ut supra, innovaverat THEODORICUS a DERS, JOANNIS quondam Filius. Desiit Anno 1496. in LUDOVICO, & ECKARDO de DERS, mensæque Episcopali reincorporatum fuit.

DUNE, five DHUNE de LEININGEN.

Cum poſt HESSONIS Landgravii in Leiningen obitum Feuda plurima in priſtinum Epiſcoporum Worm. dominium rediiſſent, contulit ex iis Reinhardus Epiſcopus Anno 1468. FRIDERICO DUNE de LEININGEN, inter alia, Curtem ſitam in Neo-Leiningen cum attinentibus ædificiis, aliisque emolumentis inde provenientibus, caſtrenſium more promerendum ac deſerviendum. Id enim innuunt litteræ ejus reverſales, in hæc verba:

„ Ich FRIDERICH DUNE von LEYNINGEN bekenne — daz der
„ Hochwurd. Furſt in Got Vatter und Herre, Her REINHART Biſchof zu
„ Worms &c. mir diſe nachgeſchribene Guttere, nemlich: Huſe und Hoff mit
„ ſinem begriff zu New-Leiningen &c., die von dem Hochgebornen Herren,
„ HESSEN Lantgraven zu LEYNINGEN ſeeligen, an ſin gnade und ſinen
„ ſtifft Worms geſallen ſint — zu rechtem Burg-Lehen geluhen hat &c.

„ Dat. Anno MCCCCLXVIII.

Tranſiit poſtmodum hoc idem Feudum Anno 1489. a FRIDERICO de DUNE, ad PHILIPPUM Filium, qui illud Anno 1505. tam ſuo, quam & Fratrum nomine, denuò ſuſcepiſſe reperitur.

Occurrunt deinceps EBERHARDUS DUNE, & REINHARDUS DUNE, prior in litteris clientelaribus Anni 1526. Alter itidem Anno 1533. Denique Nobilis hæc Gens propagata per ULRICUM DUNE, qui vixit adhuc Anno 1555. Protulit EBERHARDUM, & FRIDERICUM Fratres, quorum hic poſtremus obiens absque liberis, Feudum Wormatienſi Eccleſiæ reliquit apertum Anno 1562. (vid. Wachenheim.)



ERNBERG, ERINBERG, ſeu ERIMBERG.

Nobilis hæc Proſapia, in duas olim diſtincta lineas, Arcem cognominem, aliaque circumjacentia bona plurima, ex duplici capite inveſtituræ, tenuit ac poſſedit in feudum ab Eccleſia Wormatienſi, ut nos docent HENRICI & CONRADI ab ERNBERG, litteræ reverſales hic appoſitæ, quæ cum Anno 1411. datæ dicantur, neſcio an antiquiores præſupponant.

„ Ich HEINRICH von ERNBERG bekenne — daz ich von dem Er-
„ wirdigen in Gott Vatter und Hern, Hern JOHANN Biſchoff zu Worms
„ &c. zu eynem rechten mannlehen enphangen han — Ernberg die
„ Burg und den vorhoff halben, mit allen iren rechten &c. Item ein
„ dritteil des dorffs zu Heinsheim, und die Höffe zu Zimmern &c. Item
„ die Höffe zu Grunbach und iren zugehorden — Item Bargen das
„ dorff, und Wollenberg das Wilerlein mit iren zugehorungen —
„ Item den Kirchſatz daſelbſt zu Bargen. item den Kirchſatz zu Hasmers-
„ heim &c.

„ Geben im Jare Vierzehenhundert, und darnach im Eilften Jare. —

„ Ich

„ Ich CONRAD von ERNBERG bekenne —— daz ich von dem Er-
„ wird. in Gott vatter und Herren, Herrn JOHANN Bischoff zu Worms &c.
„ zu eym rechten manlehen enphangen han —— Ernberg die Burg , und
„ den Vorhoff halben &c. item ein dritteil an dem dorff zu Zymmern und die
„ Vogteye mit allen eckern, wisen &c. Item ein hoff zu Bargen &c. Item
„ den zehenden von ewen vil Eckeren in der marck &c. —— Geben &c.
„ *ut supra.*

Successerunt deinceps in eadem feuda, juxta modum præscriptum, Anno 1428. HENRICUS, & JOANNES ab ERNBERG; quos secuti sunt

Anno 1483. ALBERTUS ab ERNBERG, nec non PHILIPPUS, CONRADI ab ERNBERG quondam filius; qui posterior villam Bargen de consensu Reinhardi Episcopi alienasse reperitur in favorem Nithardi Horneck de Horenberk, sed eandem mox Anno 1487. revindicavit.

Anno 1534. JOANNES ab ERENBERG; tum & agnatus ejus DIETHERICUS, DIETHERICI ab ERENBERG relictus minorennis filius.

Anno 1560. DIETHERICUS ab ERENBERG, & agnatus ejus JOANNES-HENRICUS ab ERNBERG, Joannis quondam filius.

Anno 1596. simultaneè investiuntur relicti ex utraque stirpe posteri; videlicet WOLFGANG-EBERHARDUS, HENRICUS-DIETHERUS, GEORGIUS-CHRISTOPHORUS, & WOLFGANG-ALBERTUS Dietherici de ERENBERG quondam filii; tum PETRUS, JOANNES-HENRICUS, & PHILIPPUS-ADOLFUS Joannis Henrici ab Erenberg, ex N. Echter de Mespelbrunn, procreati Filii. Quibus omnibus demum morte sublatis, cum nulla superesset ex iis proles mascula, universum Feudum caducitatis leges subiit quidem; at mox in Comitibus Cratz de Scharffenstein gratiose revixit; quanquam postmodum & ab his in dominium ac potestatem Ecclesiæ Wormatiensis denuo recidit.

vid. Comites Cratz de Scharffenstein.

ERLICKEM, sive ERLICKEIM.

Sedem nobilem in Swabenheim, unà cum attinentibus prædiis, nec non Jurisdictione ibidem &c. acceperunt Anno 1427. ab Ecclesia Worm. in Feudum, more majorum, JOANNES ab ERLICKEIM, JOANNIS quondam Filius; nec non JOANNES alter, ALBERTI ab ERLICKEIM quondam Filius.

His serus aliquando successor ac hæres datus est JOANNES ab ERLICKEIM, a quo postquam ejusdem cognominis agnatus RUPERTUS supradictum Feudum de assensu domini directi acquisivisset, illud cum alio suo conjunxit, ac utrumque simul recognovit Anno 1483. in hæc verba:

„ Ich RUPRECHT von ERLICKEIM, bekenne —— daz ich von dem
„ Hochw. in Gott Vatter und Herren, Hern JOHANS Bischoff zu Worms &c.
„ zu mann-Lehen entphangen han —— VI. phunt gelts uff dem Scholtheis-
„ sen ampt zu Laudenburg, und die sind ein Burg-Lehen doselbst. Item den
„ zehenden zu Botzem under den baumen. Item den Elsen zehend der
„ Fischery uff dem Necker, die angeet zu Schwabheim und uffgeet zu Ul-
„ vesheim, item die Schubfisch, die man fehet mit den Elsen; item X. Heller
„ uff dem fare zu Neckerhusen.

„ Auch

„ Auch so han ich obgenant Ruprecht dise nachgeschribene Lehen zu mann-„ Lehen entphangen, die ich durch myns gnedigen Herren furfarn seligen ver-„ gonnunge, umb HANSEN von ERLICKEM recht und redelich koufft han „ — die vogtey zu botzem, das Huss zu Swabeheim item das Gericht und „ die Vogtey &c.

„ Geben zu Heidelberg, uff frytag nach Visit. B. M. Virg. Anno „ MCCCCLXXXIII.

Transierunt autem postmodum hæc feuda, notanter: ædes, cum annexa jurisdictione in Swabheim &c. titulo emptitio, ad Henricum de Hentschuesheim, circa Annum 1515.

vid. Hent-schusheim.



FEUER, sive FUWER de HEILBRONN.

Exstant PETRI FEUWER litteræ reversales sequentis tenoris:

„ Ich PETER FUWER von HEILBRONN bekenne — daz ich von „ dem Erwird. in Gott Vatter und Hern, Hern FRIDERICHEN Bischoff zu „ Worms &c. zu rechtem man-Lehen entpfangen han — eyn sechst teil des „ gross- und kleinen zehenden zu Northeim —

„ Geben uff samstag nach dem heiligen Phingstag. MCCCCXXVII.

Succedit in feudo paterno PETRUS FUWER, quem Anno demum 1483. excepit in eodem WOLFGANGUS Filius; sequitur deinde

Anno 1527. WOLFGANGUS FUER junior, præcedentis senioris Wolfgangi Filius; post quem, feudi renovationem petiisse reperiuntur Anno 1575. JOANNES-PHILIPPUS, & JOANNES-CONRADUS, ambo PETRI FUER quondam Filii.

Idem præstitit Anno 1596. per Tutorem suum Georgium Becht de Heilbronn, PHILIPPUS-LUDOVICUS FUER, Joannis-Philippi quondam relictus minorennis Filius.

FLAMBORN.

Agrorum jugera aliquot sita in campis villarum Flamborn, & Eppelsheim &c. tenuit olim ab Ecclesia Worm. in feudum BERTHOLDUS FLAMBORN; a quo transierunt Anno 1406. in SIGIFRIDUM filium, ut ex charta sequenti innotescit.

„ Ich SYFRID, etwan Hern BERCHTOLS seligen Son von FLAMBORN, „ Ritter, erkenne mich, daz ich diess nachgescriven Lehen han und trage von „ dem Erwird. in Gott Vatter, und Hern, Hern MATHEO Bischoff zu Worms „ &c. mit namen: IIII. morgen ackers gelegen hinder den Wingarten zu Flam-„ born, item I. morgen ackers in Eppelsheimer markung &c. Item das Scholt-„ zen ampt, und ein schutzen zu setzen, sitzen ich mit PHILIPP GAWERN „ in gemeinschafft —

„ Dat. Ann. MCCCCVI. dinstag nach heiligen Crutz tag.

Mortuo supradicto Sigifrido, feudi investituram pro relicto ejus minorenni Filio BERTHOLDO de FLAMBORN, obtinuit Anno 1411. Wilhelmus Jude de Stein Tutor; donec Anno 1427. idem Bertholdus per semetipsum feuda sua suscepit, præsente ibidem Joanne Schluchter de Erffenstein, ejus Vitrico.

FLEC-

FLECKENSTEIN.

Henricus de Fleckenstein senior, desumpta ex Dalbergiorum bonis clientelaribus prata aliquot, sita in Horcheim, & circum Wormatiam, Anno 1417. in feudum accepit, consentiente in idipsum Friderico Camerar. de Dalberg.

Hujus itaque feudi, nec non simul alterius, quod ex meris bonis censualibus conflatum erat, investituram per litteras separatas suscepisse reperiuntur Anno 1427. Fridericus, & Diethericus de Fleckenstein; horumque posteri, usque in Annum 1546. quo Henricus, Joannes, & Georgius de Fleckenstein, de consensu Domini directi, prata abalienarunt, substitueruntque minutam decimam in Rulzheim, eadem, quâ suprà, lege possidendam; ut constat ex sequentibus:

„ Wir **Heinrich** under Landvogt in Elsass **Hanß**/ und **Georg** von **Fleckenstein**, „Freyherren von Dagstul bekennen —— Nachdem der hochwurd, Herr Herr **Henrich** „administrator des stiffts Wormbs &c. auch die hochw. Dechaut und Capitell des Thumbstifft „zu Wormbs &c. auff hievor beschehene unsere underthänige bitt, gnadiglich und gutlich zu„gelassen haben, daß wir etliche Mans-mat-wiesen bey Worms gelegen, so unsere voralte„ren, und wir von dem stifft zu Wormbs zu Lehen biß anhero getragen &c. Erblich zu ver„kauffen und dagegen den kleinen zehenden zu Rulsheim, zu ergantzung desselben Lehens Ey„genthumb verglichen, und zu Lehen in geburlicher form auffgetragen, und zu manlehen „emphangen sollen und wollen —— thun auch solches in bester form &c. ——

„ Geben Anno MDXLVI.

Successit deinceps, Anno videlicet 1562. Ludovicus de Fleckenstein in eodem hoc novo feudo, hac lege: **daß es ein alt Lehen sein soll, wie es vor beschcener abwechel gewesen ist.** Transmisitque illud per obitum Anno 1578. in minorennem Filium suum Philippum-Wolfgangum de Fleckenstein; qui investituræ suæ renovationem denuò obtinuit Anno 1596.

FLÖRSHEIM.

Bona feudalia quæ circa Annum 1525. per obitum Adami de Randeck Ecclesiæ Worm. vacaverant, obtinuerat Bertolfus de Flörsheim; hinc eadem ipsi confirmat Henricus Worm. Episcopus per litteras datas Anno 1537. ubi sic loquitur:

vid. Randeck.

„ Wir **Heinrich** &c. thun kunt und offenbar daß wir unseren getruwen **Berhtolfen** „von **Flersheim** —— dieses nachgeschrieben Lehen, Jm, und seinen Leib-manß-Lehens„Erben, welches dann dem Erwird. in Gott vatter unseren nechsten vorfaheren, herren **Rein„harten** Bischof zu Wormbs &c. durch absterben Weylandt **Adam** von **Randeck**/ **Got„friedts** Seligen sohn, als ein verfallen Lehen, heimgefallen, und mit werwilligung un„sers dhumstiffts Capitel Jme Bertolfen als ein newe-Lehen angesetzt worden, nemlich „ein Wiengarten &c. Item daß gericht zu Kleffweyler bey Lamperthem, item XXX. schilling „Wormschischer pfenninck uff der Muntz zu Worms &c. ——

„ Dat. Ann. MDXXXVII. Sambstag nach Martini.

Post Bertolfi obitum, feudi investituram obtinuit Joannes-Eberhardus ejus Filius Anno 1578. admissique fuêre simul in idem Joannes-Bertolfus, Joannes-Fridericus, Philippus-Jacobus, Fridericus, Joannes-Christophorus & Franciscus-Bertholfus de Flörsheim, omnes respective Fratres, & agnati.

Anno

Anno 1596. succedit PHILIPPUS-JACOBUS de FLÖRSHEIM, Familiæ senior; Feudumque tam suo, quam & reliquorum nomine recognoscit; supererant enim tunc præter ipsum, FRIDERICUS, JOANNES-CHRISTOPH. FRANCISCUS-BERTOLFUS, JOANNES-FRIDERICUS, JOANNES-PHILIPPUS, & AUGUSTINUS de FLÖRSHEIM, omnes ut supra respective Fratres & agnati.

FRANCK de OSTHOVEN.

HERMANNO FRANCK de OSTHOVEN donavit in feudum Fridericus Worm. Antistes Anno 1427. Jugera VIII. pratorum in marca ac districtu Bibles, sed quæ ex posteris ejus HERMANNUS alter, per obitum suum Ecclesiæ Worm. reliquit aperta.

FRANCKENSTEIN.

Obeunte sub Annum 1440. PETRO de WATTENHEIM, recidit in potestatem Ecclesf. Wormatiensis insigne prædium Bapstat. Hoc postquam Fridericus Episcopus CUNRADO de FRANCKENSTEIN per modum novi feudi contulisset; is donum gratanter recognovit, sibique ab ipsius successore Joanne confirmari obtinuit Anno 1443. cujus rei testes hic adducimus ejus litteras.

„ Ich CUNRAT zu FRANCKENSTEIN, bekenne —— so als myn gnediger „Herre von Worms, seliger gedachtnuss, hat angesehen danckneme, und getruwe dinst, so ich im getan han, und auch hinfur dem hochwird. in Gott „Vatter und Herren Herren JOHANS Bischoff zu Worms &c. in kunftigen zyden thun soll. hat mir sin gnade diese nachgeschriven Lehen zu mann-lehen, „fur mich, und alle myn rechten libs manlehenbars Erben von besundern gnaden geluhen —— mit namen: Babstat das dorff und Gericht. Item XX. malter korngult zu Hofheim, sint Burg Lehen zum stein; item XIIII. morgen an „einem stuck &c. —— were es ouch daz ich obgenant Cunrat zu Franckenstein myn Libs manlehens, oder derselben Libs manlehenbars Erben von toit „wegen abgingen &c. so sullen dieselben itzunt bestimpte guttere und Lehen „alle wider an das stifft Worms verfallen sin ——

„ Geben zu Heidelberg uff sontag Quasimodo Anno MCCCC. Quadragesimo Tertio.

Tali modo feudum illud in nobili hac gente continuatum fuit; exstant enim, inter alias, Theodorici Worm. Episcopi litteræ, sub data Anni 1570. per quas LUDOVICUM de FRANCKENSTEIN, GEORGII-OSWALDI quondam Filium, nec non ejus agnatos: JOANNEM, & BARTHOLOMÆUM de FRANCKENSTEIN, GODEFRIDI quondam Filios, de eodem supradicto feudo investit. Hos exceperunt.

Anno 1638. post obitum JOANNIS-EUSTACHII de FRANCKENSTEIN, Filius ejus JOANNES-CAROLUS, simul cum agnatis.

Anno 1680. PHILIPPUS-LUDOVICUS de FRANCKENSTEIN, quà Familiæ senior, ejusque agnati omnes.

Anno 1708. JOANNES-PHILIPPUS L.B. de FRANCKENSTEIN, uti senior; unà cum reliquis.

Anno 1711. FRIDERICUS-GODEFRIDUS de FRANCKENSTEIN in *Ockstatt*; uti senior; ac cum eo masculæ stirpis reliqui.

FRAWEN-

FRAWENBERG.

Jus patronatus in Northeim ſimul cum attinentiis, quod Feudum fuerat quondam BALTHASARIS de NEWHAUS, ſibi acquiſivit LUDOVICUS de FRAWENBERG deque eodem inveſtitus fuit Anno 1529. ut nos docet charta ſequens.

„ Wir Heinrich von Gottes gnaden Coadjutor zu Worms ꝛc. bekennen —— „daß wir unſeren lieben getrewen Ludwigen von Frawenberg/ und ſeinen Man-Lehens- „Erben die hernach geſchrieben Lehen-Gutter, ſo hievor Balthaſar von Neuhauß under „anderen, von unſern Vorfahren und Stifft Wormbs zu Man-Lehen emphangen und „getragen hat, und nach ſeinen todlichen abgang, mit unſer bewilligung (vermöge zweyer „Entſcheidt, zwiſchen erſtgedachtem Ludwigen von Frawenberg ſeiner Haußfrauen Anna „von Stetten / vorgemelts Balthaſars von Newhauſen verlaſſener Wittib, an einem; „und beyden Philipſen Gebruder von Neuhauß, andertheils, beteidinget) in eines rech- „ten ewigen Kauffweiß uff denſelben Ludwigen von Frawenberg ſeinen Namen und Stam- „men erblich erwachſen —— mit Namen: den Kirchſatz zu Northeim, bey Brackenheim „gelegen mit dem theil der Frucht, und Wein Zehenden ꝛc. ——— Dat. Dirmſtein „MDXXIX.

Subſtitit autem hoc Feudum adhuc usque in annum 1596. quo JOANNES-LUDOVICUS de FRAWENBERG ejus inveſtituram obtinuiſſe reperitur.



GAWER de FLAMBORN.

Exſtant litteræ Mathæi Worm. Epiſcopi ſub data Anni 1406. quibus PHILIPPO GAWER de FLAMBORN confert in Feudum inter alia bona plurima, agrorum jugera LX. in diſtrictu villæ Flamborn ſita; tum villam ipſam.

Succedit in Feudo paterno ſub annum 1427. EMICHO GAWER; ac tandem in PHILIPPO GAWER, ſtirpe deficiente, bona ſupradicta obtinent Nobiles de Rodenſtein. vid. Rodenſtein.

GEMMINGEN in GUTTENBERG, BONFELT, & FURFELT.

Poſtquam circa annum 1449. JOANNES de GEMMINGEN, cognomento *Dives*, arcem Guttenberg unà cum circumjacentibus villis ac prædiis acquiſiviſſet; Filius ejus PLEIKARDUS arcem Bonfelt cum attinentiis ſuis univerſis Anno 1476. a Nobb. de Helmſtat pariter coemit, ac utramque ſe ſe ab Eccleſia Wormatienſi tenere & poſſidere in Feudum, teſtatus eſt per ſolemnes litteras, datas Anno 1483. in hunc ſenſum.

„ Ich BLICKER von GEMMINGEN bekennen —— ſo als der veſte „HANS von GEMMINGEN myn liber Vatter, Guttenberg das Sloſs „mit Dorffern, Wylern, und Hoffen, Mulbach und Huffenhart, „Sigelbach, Kelwertshauſen &c. ſolichs von dem Erwird. in Got „Vatter und Herren, Hern JOHAN Biſchof zu Worms &c. zu Le„hen ruret und geet, mit des Erwirdigen in Got Vatters, Biſchoff

„Reinharts, seiner gnaden Fursarn seligen verhengniss kaufft hat —— „da han ich obgenant Blicker, von dem egemelten Herren Johans Bischoff „zu Worms &c. die itzgemelten Lehen gutter, Guttenberg das Slofs &c. „zu rechtem Manlehen, fur mich, und myn Manlehens Erben entphangen „—— Anderwerff han ich Blicker von dem obgenanten mynem gnedigen „Herren, die Burg und den Furhoff zu Bonfelt als wyt es mit Garten und „Graben umbgriffen hat. Item das Dorff mit dem Gericht und Vogthy da„selbs mit aller finer zugehornden &c. an das die Fryhen von Dreschlingen „da haben, das da auch von dem obgenanten mynem Gnedigen Herren „und finer Stifft Worms zu Lehen ruret, wie dan Henrich von Helm„stat der alt, und sin Furaltern das bis hieher daselbst gehapt, gnossen, „und von finer gnaden Fursarn seligen und Stifft Worms zu Manlehen ge„tragen und mit desselben finer gnaden Fursarn seligen gonnung umb den„selben Henrich von Helmstat kaufft hat &c. —— Geben zu Heidelberg uff „Sant Thomas Tag —— Anno MCCCCLXXXIII.

His accessêre Bona alia quæ sub annum 1516. a Sebastiano, & Burchardo de Helmstat, comparaverunt supradicti Pleickardi relicti Filii: Philippus, Diethericus, & Wolfgangus de Gemmingen videlicet villam Erstat, nec non partem villæ Steinfurt cum attinentiis, tum & Arcem, & oppidum Furfelt &c. consensum necessarium ad hoc præbente Domino directo, cujus proinde Investituræ litteras bonorum illorum possessoribus, adhuc Anno 1617. concessas hic subjicimus.

„ Wir von Gottes gnaden **Georg-Friederich** Bischoff zu Wormbs ꝛc. bekennen „und thun kunt —— daß wir dem Vesten unsern lieben getrewen **Friederichen** von „**Gemmingen** wegen bruderlicher Erbtheilung, und aus unpartheyischen Loß inhaberen „Furfeld Burg, und Statt, und als gevollmachtigten seines Bruders **Reinharts** von „**Gemmingen** zu Bonfelt, Item **Eberharts** von und zu **Gemmingen / Philipps-„Otten**, und **Wolff-Andreß**/ Gebrudere, **Johans** seeligen Söhne; **Diethrich**/ „und **Hanß-Wolff**/ **Wolff-Diethrich** seeligen Söhne, gevettern; alle von und zu „Gemmingen; als vor sich selbsten. So dann obgedachts Eberhartz von und zu **Gem„mingen**, und Johann-Philipps Grecken von Kochendorff in Nahmen **Wolffs. Die„thrichs**/ **Wolffen-Dietrichen** von **Gemmingen** seeligen noch minderjährigen Sohns. „Wie nit weniger auch Melchior-Ludwigs von und zu Neypperg, als Weyland **Chri„stophs** von und zu **Gemmingen** zu Guttenberg, seeligen hinderlassenen dreyer Söhne, „Namens: **Ernst-Diethrich**/ **Georg-Wilhelm** und **Hans-Bernharten** bestattigter „Vormunder. Wiederumb und ebenmäßig mehr ermeldtes Eberharten von und zu Gem„mingen, in Namen **Hanß-Bleichhart** von **Gemmingen** / Weylandt **Ludwigen** von „und zu **Gemmingen** zu Guttenberg seeligen hinterlassenen Sohns, als nächten Blut„freundt und nächten Agnaten, diese hernachgeschriben Lehen Gutter, so von Uns, und „von unseren Stifft Wormbs zu Lehen gehen, alsdamn gedachter Bleickhart, und seine „Brüder seelige, solche umb Weylandt Bastian, und Burcharten von Helmstatt erkaufft „ꝛc. zu rechten Man-Lehen gelichen, und leihen ihnen die inn- und mit Krafft dieses „Brieffs, mit Namen: Furfelt Burg und Statt ꝛc. Geben zu Laudenburg den XXIIII. „Julii Anno Dom. MDCXVII.

Eodem plane modo investiti fuêre ab Hugone-Eberhardo Episcopo An. 1660. Wolfgangus-Fridericus & Wiricus, Friderici de Gemmingen relicti Filii. Tum Pleikardus-Diethericus, Diethericus, Joannes-Diethericus, Bernolfus-Diethericus, & Otto-Diethericus de Gemmingen, Fratres. Item Wolfgangus-Fridericus, quondam Wolfgangi-Diетherici Filius, ac denique Joannes-Rudolfus, quondam Wolfgangi-Andreæ Filius.

Anno

Anno 1680. Feuda innovant. PLEIKARDUS-DIETHERICUS de GEMMINGEN, tum & reliqui ejus respective Fratres, & agnati: DIETHERICUS, BERWELFUS, THEODORICUS, JOANNES-THEODORICUS & OTTO-DIETHERICUS; item, WOLFGANGUS-FRIDERICUS, & JOANNES-RUDOLFUS, qui suprà.

Anno demum 1712. JOANNES-DIETHERICUS de GEMMINGEN unà cum agnatis suis, videlicet: JOANNE-ADAMO, Joannis-Dietherici quondam Filio. PLEICKARDO-DIETHERICO, & FRANCISCO-REINHARDO, quondam Pleickardi-Theodorici Filiis. FRIDERICO-CASIMIRO, REINHARDO, & PHILIPPO, quondam Friderici-Christophori de GEMMINGEN, Filiis.

GEMMINGEN in DRESCHLINGEN.

Avitum Gentis hujus Feudum, fuerat Curtis quædam in Bonfelt cum attinentibus bonis; auxit illud deinde sub annum 1538. EBERHARDUS de GEMMINGEN, dum interveniente consensu Domini directi, acquisivit â SEBASTIANO de HELMSTAT, arcem Dreschlingen cum subjectâ villâ cognomine, nec non juribus universis; prout investituræ litteræ id nos plenius edocent. vid. Nidock & Helmstat.

„Wir Heinrich von Gottes gnaden Administrator des Stiffts Wormbs ꝛc. bekennen —— daß Wir unseren lieben getrewen Eberharten von Gemmingen, und seinen Man-Lehens Erben, zu einem rechten Man-Lehen gelauhen haben, und leihen ihm die in Krafft dieß Brieffs, die dann von uns und unserem Stifft Wormbs zu Lehen ruren und der vorgenant Eberhart, umb Bastian von Helmstat erkaufft hat, mit namen: Dreschlingen new und alt Burgk, das Dorff mit der Vogtey-Gericht, Walde, Wasser ꝛc. Item noch zwene Höffe zu Dreschlingen so Hans von Neydeck von Teutschen-Herren an sich mit 200. fl. gelöst hat. Item ein Hoff zu Bonfelt ꝛc. —— Geben Mitwoch nach Palmarum Anno Dom. Tausent, funffhundert dreißig und acht Jar.

Successisse itaque in his Feudis reperiuntur:

Anno 1573. EBERHARDUS junior, REINHARDUS, & JOANNES-WALTHERUS, relicti quondam EBERHARDI de GEMMINGEN, Senioris, Filii.

Anno 1596. REINHARDUS a GEMMINGEN, nec non relicti ex Fratre ejus EBERHARDO Nepotes: BERNOLFUS, & SWICKARDUS de GEMMINGEN.

Anno 1676. WIPERTUS, quondam REINHARDI de GEMMINGEN Filius; tum & JOANN-REINHARD, quondam JOANNIS CHRISTOPHORI Filius. Item: GEORGIUS-SWICKARDUS, & ACHILLES-CHRISTOPHORUS, quondam EBERHARDI de GEMMINGEN Filii; denique & JOANNES-ALBERTUS, JOANNIS CONRADI de GEMMINGEN, quondam Filius; Agnati.

Anno 1712. REINHARDUS de GEMMINGEN, Senior unà cum Fratribus suis EBERHARDO, FRIDERICO & LUDOVICO.

JOANNES-ADAM, CAROLUS-LUDOVICUS, & VRIEL, quondam VRIELIS de GEMMINGEN in Hornberg & Rappenau, Filii.

ERNESTUS-LUDOVICUS de GEMMINGEN in Hornberg, quondam WIPERTI Filius.

JOANNES-CHRISTOPHORUS, quondam JOANNIS REINHARDI de GEMMINGEN in Meihenfelt & Jugenheimb Filius.

JOANNES-REINHARDUS & FRIDERICUS, quondam JOANNIS-ALBERTI in Wieden & Meyenfelt Filii.

JOANNES-BERNARDUS & EBERHARDUS, quondam ACHILLIS-CHRISTOPHORI de GEMMINGEN in Burg, Filii.

FRANCISCUS-IGNATIUS, quondam JOANNIS-GOTLIEB de GEMMINGEN Filius.

GILTLINGEN.

Acquiſitum aliàs a BERTHOLDO de KIRCHEIM Feudum videlicet: Curtem in Weibſtatt cum appenditiis, Nobiles de VENNINGEN ſub annum 1468. alienarunt in ſavorem BALTHASARIS de GILTLINGEN, qui & illud poſtmodum obiens transmiſit in JOANNEM filium, ut ex litteris ſequentibus.

Vid. Venningen.

„Ich HANS von GILTLINGEN, BALTHASARS ſeligen Sone, be„kennen —— das ich von dem Hochwird. in Gott Vatter und Hern, Hern „JOHANS Biſchof zu Worms &c. zu einem rechten Manlehen entphangen „han —— ein Hoff zu Weibſtat gelegen —— die etwan BERTOLD von „KIRCHEIM ſelige von ſime Stifft gehabt, und von demſelben Bertold an „die von VENNINGEN komen, die den auch gehabt und zu Lehen getra„gen —— und BALTHASAR myn Vatter ſelig, denſelben Hof mit allen zu„gehorden umb die von Venningen kaufft hat &c.

„Anno Dom. MCCCCLXXXIII.

Quanquam Curtis illa ad Nobiles de Venningen ſupradictos rediiſſe videatur ſub annum 1560.

GOELER de RAWENSPURG.

ENGELHARDUS GÖLER, accedente conſenſu Worm. Epiſcopi, quà Domini directi, acquirit Anno 1616. bona quædam in Nordheim, Zimmern, & Neipperg, quæ prius Feudi Lege poſſidebant Nobiles LEMLIN de DALHEIM, deque iis anno proxime ſequenti 1617. inveſtitus eſt.

vid. Lemlin.

Succeſſit in hoc Feudo FRIDERICUS GÖLER, qui illud in FRIDERICUM-JACOBUM Filium transmiſit, verum hoc abſque prole maſcula obeunte Anno 1717. rediit in Dominium Eccleſ. Wormatienſis.

GRECK de KOCHENDORFF.

JOANNES GRECK, GOZONIS Filius, inveſtitur Anno 1392. more majorum, de bonis ac juribus quibusdam in Kochendorff videlicet: *zwo Fiſchenzeen zu Kochendorff. Item ein acht-teil des zehenden in der Marck doſelbs, groſs und klein. Item das Fare zu Iagesfelt &c.* in quæ omnia pariter admiſſi fuerunt.

Anno 1411. SIFFRIDUS GRECK, præcedentis Joannis Filius.

Anno 1427. JOANNES GRECK, Siffridi Filius.

Anno 1439. CRATO, & WOLFGANGUS GRECK.

Anno

Anno 1480. CRATO & JOANNES GRECK, quondam Cratonis Filii, qui & anno proxime sequenti, Feudum aliud, sibi, suisque posteris acquisiverunt a Wilhelmo Bocklin; ut constat ex charta sequenti. vid. Bocklin.

„ Ich HANS GRECK von KOCHENDORFF bekenne —— solichs Lehen, so „ WILHELM BOCKLIN von Utinger-dall von dem Hochwird. in Gott Vat- „ ter &c. REINHART Bischove zu Worms &c. zu Lehen gehapt und ge- „ tragen, die myn Bruder, und ich mit unsers gnedigen Herren gunnung „ recht und redelich gekaufft haben, und der obgenant Herre, mir, und „ CRAFFTEN myn Bruder vorgenant &c. zu einem rechtem Manlehen gelu- „ hen hat —— mit Namen ein teyl an dem Wyn-zehen zu Northeim &c. „ —— Geben nach Cristi geburt Vierzehenhundert Achtzig und ein Jar.

Hinc ambo supradicti Fratres Anno 1483. quemadmodum & eorum posteri Feudum illud per litteras separatas recognoverunt. Hoc fere ordine:

Anno 1515. JOANNES, & WOLFGANGUS GRECK; quondam Joannis Filii.

Anno 1535. JOANNES, & WOLFGANGUS-CONRADUS GRECK, agnati.

Anno 1599. WOLFGANG-CONRADUS junior; nec non Fratres ejus JOANNES-PHILIPPUS, & WALTHERUS, quondam Senioris Wolfgangi-Conradi GRECK Filii.

Anno 1628. WOLFGANG-CONRADUS junior, unâ cum agnatis suis WALTHERO, & JOANNE-WOLFGANGO GRECK.

Anno 1660. JOANNES GRECK quondam Wolfgangi-Conradi superstes Filius, qui cum obiisset Anno 1713. successerunt anno mox sequenti ejus Filii duo: JOANNES-WOLFGANGUS & WOLFGANGUS-CONRADUS L.L. B.B. GRECK in KOCHENDORFF.

GREIFFENCLAU in VOLLRATZ.

Obeunte JOANNE de RODENSTEIN, sui stemmatis ultimo, Feuda ipsius quæ An. 1627. Ecclesiæ Wormatiensi vacaverant, collata fuêre in FRIDERICUM de GREIFFENCLAU, vigore Litterarum sequentium. vid. Rodenstein.

„ Wir **Georg Friederich** von Gottes gnaden des H. Stuls zu Meyntz Ertz- „ Bischoff ꝛc. Bischove zu Wormbs ꝛc. bekennen —— Nachdem uns, und unseren „ Stifft Wormbs durch absterben **Hansen zu Rodenstein**, als uff Seiten des ersten „ Acquirenten, und letzten des Stamm und Nahmens, diejenige Lehenstuck so Er von „ uns, und unserm Stifft zu Wormbs theils in gemeyn mit und neben andern dreyen „ Stammen Swalbach, Mosbach, und Hatstein —— welche bey lebzeyten und vor- „ absterben die von Rode zu Lehen gehabt. So dann ein Schiff am Fahr zu Wormbs „ am Rhein, so vor diesem durch todlichen abgang Friederichen von Lewenstein sampt an- „ dern stucken eröffnet —— und Er von Rodenstein damit von newen investiret gewesen „ —— das wir nunmehro uff das vesten unseres Raths ꝛc. und lieben getrewen **Hein- „ rich Greiffenclaen** von Vollrats, underthanig bittlich ersuchen, und unsers Dhom- „ Capitels zu Wormbs daruber erlangte Bewilligung ꝛc. solch obspecificirte Roden- und „ Lewensteinische, uns heimgefallene Lehenstuck, under welchen der Zehendt zu Windthaus- „ sen, item zu Cubach ꝛc. Jme, und seinen Leibs-mans Lehens-Erben zu rechten newen Man- „ Lehen gnädiglich gelihen —— Geben zu Aschaffenburg den 30. Junii Anno Dom. Millesexcentesimo vigesimo septimo.

Feudi hujus investituram deinceps innovarunt:

Anno 1639. FRIDERICUS GREIFFENCLAU.

Anno 1662. FRIDERICUS, & GEORGIUS-PHILIPPUS LL. BB. de GREIFFENCLAU, quorum prior obiit Anno 1681, alter 1689. Eos itaque exceperunt, JOANNES-ERWINUS, FRANCISCUS-FRIDERICUS, & CHRISTOPHORUS-HENRICUS BB. de GREIFFENCLAU, Fratres.

Anno 1727. JOANNE-ERWINO defuncto, Feudi investituram obtinuit CAROLUS-PHILIPPUS-HENRICUS tam pro se, quam & reliquis Fratribus suis.



HANDSCHUESHEIM al. HENTSCUSHEIM.

Feudum quod Nobili huic Genti primùm inhærebat, recognovit Anno 1427. HARTMANNUS de HANDSCHUESHEIM, in hæc verba.

„Ich HARTMAN von HENTSCHUSHEIM, bekenne —— daz ich von „dem Erwird. in Got Vatter und Herren, Hern Friderichen Bischoff zu „Wormbs &c. entphangen han —— XII. phunt gelts, alle Jare uff S. Martins-tag off dem Scholtheissen Ampt zu Laudenburg, daz ist ein Burg-„Lehen doselbs; item; ein dritteil an dem Fruchtzehenden zu Blangstatt; „item; ein Dritteil an dem Kleinzehenden doselbst zu Greusshein. Daz ist „alles Manlehen —— Dat. Anno MCCCCXXVII.

Succedunt postmodum Anno 1488. in eadem bona DAMIANUS de HENTSCHUSHEIM, nec non agnati ejus DIETHERUS, & HENRICUS de HENTSCHUESHEIM, qui posterior rem familiarem insigniter auxit, dum sub annum 1515. a Joanne de Erlickem locum Swabenheim cum jurisdictione, alisque commodis ac proventibus acquisivit, simulque a consentiente Domino Feudi, omnium investituram obtinuit eodem Anno 1515. posteris vero concessa est, prout sequitur. vid. Erlickem

Anno 1575. admissi fuère in suprascriptis Feudis CHRISTOPHORUS, & JOANNES de HANTSCHUESHEIM, quondam DAMIANI Filii, tum & WILHELMUS, & HENRICUS de HANTSCHUESHEIM, quondam CHRISTOPHORI Filii.

Anno 1589. JOANNES, unicus ex Henrico de HENTSCHUESHEIM superstes Filius, sub tutela Philippi de Lambsheim constitutus, adhuc An. 1596.

HATSTEIN.

Commune quoddam Feudum olim exstitit, in quod simultanèe cum Nobilibus de Rode, Mosbach, & Swalbach admissus tandem fuit Anno 1477. JOANNES de HATSTEIN, quondam Conradi Filius; hunc in eodem exceperunt. vid. Rode.

Anno 1483. MARQUARDUS ab HATSTEIN quondam Joannis Filius.

Anno 1520. JOANNES ab HATSTEIN, quondam Marquardi Filius.

Anno

Anno 1557. WOLFGANGUS, & DIETHERICUS ab Hatstein, quondam Joannis Filii, unà cum CONRADO, & GEORGIO, quondam CONRADI ab HATSTEIN Filiis.

HAUBEN.

Duxerat VALENTINUS ab HAUBEN in conjugem, CATHARINAM, BALTHASARIS de WYLER filiam, quæ cum ipsi attulisset in dotem bona plurima sita in Ebershein, ea, quod lege Feudi sed promiscui dependerent ab Ecclesia Wormatiensi, ipse tanquam Provasallus, suscepit Anno 1497. vid. Wyler. successerunt deinceps in idem Feudum suscepti ex hoc matrimonio liberi.

Anno 1537. WOLFGANGUS, ERASMUS, & JOANNES ab HAUBEN, Fratres.

Anno 1553. JOANNES ab HAUBEN, nec non relictus ex ERASMO Fratre nepos JOANNES-ALBERTUS.

Anno 1573. VALENTINUS, & JOANNES-WOLFGANGUS ab HAUBEN, agnati.

Anno 1583. JOANNES-WOLFGANGUS ab HAUBEN nec non relicti ex Valentino Filii FRIDERICUS, & CASPAR ab HAUBEN. Ex quibus Joannes-Wolfgangus superstes mansit usque in annum 1617. & ultra.

Anno 1660. accessit ex singulari gratia Hugonis-Eberhardi Worm. Episcopi Feudum novum videlicet: Curtis in Bapstat &c. cujus proinde investituram accepit per Filium suum Joannem-Georgium, JOANNES-CASPAR ab HAUBEN; anno ut supra. Recognoscendo simul per litteras separatas Feudum alterum promiscuum, id quod & posteri observarunt.

Anno 1688. JOANNES-GEORGIUS ab HAUBEN.

Anno 1708. JOANNES-CAROLUS, JOANNES-LOTHARIUS, JOANNES-GEORGIUS, & JOANNES FRIDERICUS ab HAUBEN, præcedentis Joannis-Georgii relicti Filii, ex quibus unicus superstes remansit Joannes Carolus usque in annum 1728. quo obiens, Feudum masculinum reliquit apertum, dum in promiscuo successère ANNA-ELISABETHA ab HAUBEN defuncti soror, & Neptis ex Fratre; & LOTHARIUS & WILHELMUS BB. de LEYSER in Lambsheim.

HELMSTAT.

Ex multis, iisque insignibus Feudis, quibus nobilis hæc prosapia olim cumulata fuerat a Worm. Ecclesia, recensentur.

I. Arx, & oppidum Furfelt cum attinentiis, similiter Arces Bonfelt, & Dreschlingen, nec non villæ Erstat, Steinfort &c. de quibus omnibus investiti reperiuntur: PETRUS de HELMSTAT, RABANI Filius Anno 1427. Item HENRICUS de HELMSTAT; tum REINHARDUS, Petri de HELMSTAT Filius Anno 1483, ac tandem SEBASTIANUS & BURCHARDUS de HELMSTAT Anno 1516. qui opulentam illam hæreditatem distraxerunt, ac de consensu Domini directi transtulerunt in Nobilem Gentem de Gemmingen. vid. Sassenheim. vid. Gemmingen.

II. Pars

II. Pars decimæ in Helmſtat, unà cum aliquot aliis bonis, ac cenſibus; quod omne JOANNES de HELMSTAT, quondam CONRADI Filius, Anno 1484 in Feudum maſculinum a Joanne Worm. Epiſcopo accepit, tam pro ſe, quam & Fratribus ſuis; hos exceperunt:

Anno 1572. ERASMUS, JOANNES-CONRADUS, & JOANNES-PHILIPPUS, quondam ADAMI ab HELMSTAT Filii.

Anno 1584. JOANNES-PHILIPPUS, JOANNES-CONRADUS, PETRUS, & RABANUS, omnes reſpective Fratres, & agnati, ab HELMSTAT.

Anno 1651. JOANNES-CONRADUS, ADAM-CHRISTOPH, EBERHARDUS-PLEICKARDUS, & CAROLUS-FRIDERICUS ab HELMSTAT, agnati.

Tandem cum aliquando ſolus, ac unicus a primo acquirente ſuperfuiſſet WOLFGANGUS-ADAM ab HELMSTAT, isque absque prole maſcula obiiſſet Anno 1694. Feudum ejus declaratum fuit apertum.

III. Vicus, ſeu oppidum Biſchofsheim cum arce, ac attinentiis, Curtis in Buchelbach, pars decimæ in Weibſtat &c. vetus Gentis Helmſtatianæ Feudum conſtituunt; ſiquidem jam Anno 1330. Jus patronatus in Biſchoffsheim RABANUS de HELMSTAT tradidit Eccleſiæ Colleg. Wimpinenſi, de conſenſu Gerlaci Worm. Epiſcopi qua Domini directi. Exſtant inſuper WIPERTI ab HELMSTAT litteræ reverſales in hæc verba:

„ Ich WYPRECHT von HELMSTAT, Ritter, bekenne —— daz ich
„von dem Erwird. in Got Vatter &c. MATHEO Biſchoffe zu Wormſſe &c.
„zu Lehen entphangen habe —— Biſchoffsheim mit allen ſinen zugehor-
„den —— Item den Obern - Hoff zu Buchelbach —— item ein Sechsteil
„der Zehenden zu Weibſtat &c. Datum feria III. poſt Martini Epiſcopi
„Anno Domini MCCCCIX.

Continuantur itaque in hoc Feudo:

Anno 1421. JOANNES ab HELMSTAT, quondam Wiperti Filius.

Anno 1423. WIPERTUS ab HELMSTAT.

Anno 1447. JOANNES, & WIPERTUS, quondam REINHARDI ab HELMSTAT Filii, unà cum agnatis;

Anno 1479. MARTINUS ab HELMSTAT, quà Senior pro reliquis.

Anno 1514. WIPERTUS ab HELMSTAT qua Senior pro reliquis. Hic acquirit a CHRISTOPHORO ab HELMSTAT agnato ſuo partem quam is in Feudo Biſchoffsheim habebat. Huic, Wiperto indulſit inſuper Reinhardus Epiſcopus Anno 1524. ut Claram-Annam natam Greck de Kochendorff conjugem ſuam dotare poſſit de bonis quibusdam Feudalibus ad dies vitæ.

Anno 1526. PHILIPPUS, & JOANNES ab HELMSTAT, agnati. Hi acquirunt pro ſe ac hæredibus a Wernhero de Utzlingen partem decimæ in Berwangen cum Terris ac cenſibus, ibidem; aſſenſum ad hoc præbente Henrico adminiſt. Worm. Eccleſiæ per litteras ſequentes dat. Anno 1529.

„Wir

„ Wir Heinrich von Gots gnaden Coadjutor zu Worms &c. bekennen —— daß
„ wir unserm lieben getrewen Philipsen von Helmstat, von wegen sein, und
„ Johans von Helmstat seines Vettern, und ihrer beyder Man-Lehens Erben sampt
„ und sonder in rechter gemeinschafft, die hernach geschrieben Lehen gutter, die Er, und
„ bemelter sein Vetter Johann umb unseren lieben getrewen Wernher von Utzlin-
„ gen recht und redelichen, in eines rechten ewigen Kauffs weiß mit unsers Thum-Ca-
„ pitels gutten Wissen und bewilligung erkaufft haben —— zu einen rechten Man-
„ Lehen geluhen haben —— nemlich ein dritten teil an der Zehenden zu Berwangen,
„ Item XII. morgen acker &c.

„ Geben zu Spier uff den Sontag Jubilate Ann. Dom. MDXXIX.

Sic Feudo hoc pariter ad Posteros transmisso, duplici etiam deinceps investitura opus fuit, quam & hoc fere ordine susceperunt.

Anno 1542. Philippus-Jacobus ab Helmstat, quà Familiæ senior, pro reliquis.

Anno 1570. Christophorus ab Helmstat, quondam Joannis Filius; quà senior.

Anno 1579. Joannes-Philippus ab Helmstat pariter Joannis Filius; uti senior.

Anno 1595. Joannes-Wipertus ab Helmstat quondam Joannis-Philippi Filius, pro Pleickardo, Valentino, Ludovico-Carolo, & Philippo, Fratribus; nec non & Agnatis.

Anno 1607. Ludovicus-Carolus ab Helmstat uti senior, pro reliquis.

Anno 1660. Joannes-Nicolaus ab Helmstat unà cum agnatis suis Joanne-Friderico, & Carolo-Valentino.

Anno 1680. Carolus-Valentinus ab Helmstat & Joannes Fridericus quondam Pleikardi filius, ejus agnatus.

Anno 1701. Carolus-Valentinus, & Pleikardus ab Helmstat, agnati.

Anno 1720. Pleickardus ab Helmstat simul cum agnatis suis Eberhardo-Wirico, Joanne-Friderico, Wolfgango-Henrico, ab Helmstat.

HULCH, al. HILCHEN de LORCH.

Fridericus Hulch tenebat a Worm. Ecclesia in feudum tres curtes in marca seu districtu loci Brubach, &c. illasque post obitum suum transmisit Anno 1485. in Philippum Filium. vid. Stein.

Philippus vero, idem Feudum Anno 1506. ob ingravescentis ætatis incommoda ad manus Domini directi refutans, petiit de eo investiri Filium suum cognominem Philippum, a quo postmodum videtur descendisse Fridericus Hulch seu Hilchen qui supradicta bona adhuc possidebat Anno 1555. ut constat ex Litteris ejus reversalibus.

 HIRSSHORN.

HIRSSHORN.

Avitum Genti huic inhæsisse Feudum testantur Litteræ sequentes, per quas OTTO de HIRSSHORN Anno 1483. recognoscit se, suosque agnatos tenere ab Eccles. Worm. in feudum, villam Aglasterhausen ex integro, partem vero arcis Steinach &c.

vid. Steinach.

„Ich OTTE von HIRSSHORN, Ritter, bekenne — daz ich von „dem Hochw. Fursten Hern JOHANS Bischoff zu Worms &c. als der Elts „diss zyt, von myn, und CASPAR myns bruders selige Sône, HANSEN, „und EVCHARIEN, wegen, zu Lehen entphangen han — Agle-„sternhusen das dorff gantz mit Gericht und Vogtey &c. Item „das teil an der Burg Steynach, item ein teil an dem dorff „Dasperg &c. —

Geben Anno Dom. MCCCCLXXXIII.

Succedunt in bonis illis Feudalibus Anno 1490. JOANNES ab HIRSSHORN, nec non relictus ex Ottone ab Hirsshorn Filius PHILIPPUS; tum demum Anno 1569. LUDOVICUS, & PHILIPPUS ab HIRSSHORN, quondam Joannis Filii.

HOËNNBERG al. HOËMBURG.

Exstant Litteræ JOANNIS de HOENBERG sub data anni 1428. per quas fatetur se se ab Eccles. Worm. possidere in feudum jus Patronatus Oratorii S. Servatii in Hoffheim, Dioëces. Trevirensis. Illud postquam ad JOANNEM, & DIETHERUM de HOENNBERG, forte præcedentis Joannis Filios, pervenisset; cessit ex horum liberalitate in donum F. F. Ord. Guillelmitarum Limpurgi ad Lanam commorantibus; ne tamen suo jure frustraretur per hoc Wormatiensis Ecclesia, substituerunt supradicti Nobiles redditum annuum X. modior. frumenti super curia sua in Fulbach quotannis percipiendum, ac feudi Lege tam ab ipsis quam ab Eorum posteris perpetuo deinceps possidendum. Litteras Anno 1486. desuper confectas hic subjicere visum est.

„Ich HANS von HOENNBERG bekenne — als ich, und myn bru-„der DIETHER von Hoenberg, Got zu lob und zu eren, die Capel und „beneficium zu Offheim Triers Bisdom, in sant Servatius Ere gewihet, in „der pharkirchen zu Diekirch begriff gelegen, den Ersamen und Geistli-„chen Hern Prior, und Convent in der Windespach zu Limpurg, sant „Wilhelms Orden, und iren nachkomen &c. zugeeygnet — und damit „dem stifft Worms nit abbruche geschee an stat des obgemelten Lehens, „widerlegt, und zu lehen gemacht X. malter korns uff all unser eigen „guter und hoff zu Fulnbach, die ich, myn erben und nachkomen ewig-„lich hinfur von eym Bischoff und stifft Worms zu Lehen entphangen und „tragen sulln —

„Geben zu Francfort Anno Dom. MCCCCLXXXVI.

HOHENFELS.

HOHENFELS.

Wernherus, & Hermannus, quondam Philippi de Hohenfels filii alienant Anno 1294. in favorem Decani ac Capituli Ecclef. maj. Worm. tertiam partem decimæ in Colgenftein &c. idque de confenfu Emichonis Epifcopi Worm. quà Domini directi.

HORNECK de HEPPENHEIM.

Eadem fere huic Genti fuerunt Feuda, quæ nobilibus Bonn de Wachenheim, fi pauca excipias, quale fuit inter alia: *ein Sand, der fich erhaben hat an der Mulber avv zu Worms, den mus ich gantz von nevven mit Wyden befetzen*; ut loquitur in fuis reverfalibus Wernherus de Horneck; quo tandem Anno 1491. obeunte absque liberis, cuncta ad Worm. Ecclefiam rediêre. vid. Morfsheim.

HOTZFELT.

Habuit Godardus de Hotzfelt in feudum ab Ecclefia Worm. inter alia decimam in Hophaufen, nec non jus patronatus in Hoger, Fronhaufen, Drefcheldorff &c. quorum omnium inveftituram a novo acceperunt Godardi relicti Filii, Crato & Joannes de Hotzfelt Anno 1485. à quibus translata fuêre per gratiam ad nobiles de Kolb. vid. Kolb.



KLUPPEL, feu KLUPPFFEL de ELKERSHAUSEN.

Joanni Kluppel contulerat in feudum Reinhardus Worm. Epifcopus Anno 1447. medietatem decimarum in Weinbach, nec non jus patronatus ibidem. Ut ex ejus Litteris:

„ Ich Hengin Klüppel von Elkershufen bekenne —— das ich von
„ dem Erwird. in Gott Vatter und Hern, Hern Reinharden Bifchoff zu
„ Worms &c. den Zehenden halber zu Wynbach, und den Kirchfatz do-
„ felbs zu rechtem Manlehen entphangen han ——

„ Geben Anno Dom. MCCCCXLVII. &c.

Cujus Feudi inveftituram renovarunt pofteri hoc ordine.

Anno 1483. Philippus, & Joannes Kluppel, prædicti Joannis quondam, Filii.

Anno 1508. Philippus Kluppel.

Anno 1555. Joannes, & Eckardus Kluppel, agnati, eorumque refpective Fratres.

Anno 1588. JOANNES-FRIDERICUS, & PHILIPPUS-CUNO KLUPPEL, agnati.

Anno 1660. JOANNES-PHILIPPUS, JOANNES-ALBERTUS & PHILIPPUS ADAM, KLUPPEL, agnati.

Anno 1676. JOANNES-PHILIPPUS, & JOANNES-ADAM KLUPPEL.

Anno 1680. JOANNES PHILIPPUS, & PHILIPPUS-ADAM KLUPPEL, agnati.

Anno 1694. PHILIPPUS-FRANCISCUS KLUPPEL sub tutela matris suæ Mariæ-Annæ ab Hatzfelt constitutus; qui postmodum obiens anno 1725. absque prole mascula, Feudum suum Ecclesiæ Worm. reliquit apertum.

KOLB de WILENSDORFF.

vid. Hotzfelt.

Feudum masculinum quod nobiles de HOTZFELT possidebant ab Ecclesia Worm. illis de KOLB concessum videtur in persona HERMANNI, qui illud anno 1496. moriens transmisit in Filium suum JOANNEM KOLB; ut constat ex hujus Litteris reversalibus.



LAMMERSCHEIM, sive LAUMERSCHEIM.

vid. Ruxingen.

Decimæ in Northeim, aliaque bona ibidem, quæ quondam Nobilium de RUXINGEN feudum constituebant, SAMSONI de LAMMERSCHEIM collata fuêre, pari lege possidenda, ut ex hujus Filii JOANNIS-JACOBI de LAMMERSCHEIM Investituræ litteris, datis Anno 1583. constat fusius.

„Wir GEORG von Gottes gnaden Bischoff zu Wormbs &c. bekennen — daß „wir unsern lieben getrewen HANS-JACOBEN von LAMMERSCHEIM diese nachfolgende „Guter zu rechten Manlehen gelauhen, wie das vormals die von Ruxingen von uns — „zu Lehen gehabt und getragen, und uns, und unserm Stifft Wormbs durch absterben „Weyland GEORGEN von RUXINGEN wiedrumb heimgefallen und SAMSON von „LAMMERSCHEIM, sein Hanß-Jacobs Vatter, von unsern Vorfahrn hochseeliger Ge„dachtnus mit Vorwissen und Bewilligung Dechan, und Capitels unsers Thum-Stiffts „zu Worms von newen angesetzt —

„Geben zu Wimpffen den 19. Decemb. im Funffzehen hundert, drey und achtzig„sten Jar.

Idem Feudum Anno 1595. JOANNES-SIXTUS de LAMMERSCHEIM, pro se, nec non Fratribus suis JOANNE-CASPARO, JOANNE-CHRISTOPHORO, WOLFGANGO-ALBERTO & JOANNE-RICHARDO, suscepisse reperitur.

LANDSCHAD de NECKER-STEINACH.

Feudi, quod nobilis hæc prosapia olim ab Ecclesia Worm. tenuit ac possedit, antiquitatem simul & valorem demonstrant Litteræ sequentes:

„Ich

„ Ich DIETHER LANTSCHADE, erkenne —— daz ich zu eym rechten „ Man-Lehen han von dem Erwird. in Gott Vatter und Hern, Hern FRIEDERICHEN Bischoff zu Worms &c. zu ersten: Steinach die Burg, gantz, ane „ das teyl das ein Bischoff von Spier da hat, daz Henzel Triegel inne hat. Item „ zu Steynach in der statt das Gericht halbs, item das Gericht zu Grive mit seiner zugehorden; Item das Gericht zu Branbach &c. jtem Langendall das „ dorff gantz &c. item zu Hendespach der klein und grosse zehenden &c.

„ Geben uff sant Kilians tag. Anno Dom. MCCCCXXVII.

Occurrit post DIETHERUM supramemoratum in bonis illis Feudalibus BLICKERUS de LANDSCHAD Anno 1483. a quo ea successive pervenerunt ad JOANNEM LANDSCHADE; siquidem hujus Filii JOANNES-ULRICUS, & OTTO-HENRICUS, eorundem investituram obtinuisse reperiuntur Anno 1596. tam pro se, quam & reliquis agnatis suis JOANNE, & PHILIPPO, tum & relicto PHILIPPI LANDSCHADE minorenni Filio PHILIPPO-PLEIKARDO, sub Tutela Dietheri Knebel de Katzenelnbogen. Demum Anno 1645. post PHILIPPI-BERNARDI LANDSCHAD obitum, successit FRIDERICUS ejus agnatus, quo pariter absque hærede masculo defuncto, Feudum Anno 1653. caducum, ex nova gratia translatum est in nobilem Gentem de Metternich de Borscheid; eadem, qua supra, Lege deinceps tenendum ac possidendum. vid. Metternich in Borscheid.

LEMLIN, seu LEMBLIN de DALHEIM, in HORCKE.

Acquirit Anno 1470. VOLMARUS de LEMLIN senior a GEORGIO de NEWHAUSEN, Feudum quod hic ab Ecclesia Worm. more majorum possederat, videlicet partem decimarum in Neyperg, Zimmern, & Northeim &c. contractum ratum habente Domino Feudi directo.

Successerunt itaque in bonis illis ex Volmaro orti.

Anno 1483. JOANNES LEMLIN, nec non Fratres ejus PETRUS, & VOLMARUS.

Anno 1533. VOLMARUS, junior.

Anno 1554. VALENTINUS, quondam JOANNIS LEMLIN filius.

Anno 1569. GODEFRIDUS quondam VOLMARI LEMLIN Filius.

Anno 1596. PHILIPPUS, & PHILIPPUS-CHRISTOPHORUS LEMLIN, agnati, quos secutus est GEORGIUS-VALENTINUS LEMLIN, qui de consensu Episcopi Worm. Feudum transtulit Anno 1616. in Nobiles de Göler. vid. Göler.

LERCH, seu LERCKEL de DIRMSTEIN.

Avitum in hac Gente Feudum haud magni valoris fuisse, testantur Litteræ quibus Anno 1481. de eodem investiuntur ANTONIUS, & CASPARUS, relicti CASPARIS LERCH minorennes Filii.

„ Ich Heinrich Muspach bekenne —— daz ich von dem Hochw. in „ Gott Vatter und Hern, Hern REINHARTEN Bischoff zu Worms &c. die- „ se nachgeschriben Lehenguter, als ein treger ANTONS, und GASPAR „ LERCKLEN von Dirmstein, gebruder, GASPAR LERCKLEN seligen, söne, „ die noch under iren jaren sin, zu einem rechten manlehen entphangen „ han —— mit namen: XII. malter korns, und II. fuder wyns uff dem ze- „ henden, und bett, alle jare zu Dirmstein fallend &c.

„ Geben uff S. Gallen-tag Anno Dom. MCCCCLXXXI.

Verum postquam ex duobus illis Fratribus solus aliquando superstes CASPAR LERCH, duxisset in conjugem, Magdalenam de Rippur, Reinhardi Worm. Episcopi, ex Fratre Casparo neptem, sensit præsulis hujus benignam ac liberalem manum, siquidem, Feudum ejus paternum ex sibi Anno 1519. vacantibus prædiis abunde auxit, ut constat ex Litteris sequentibus. *vid. Rubsame.*

„ Wir REINHART von Gottes gnaden Bischoff zu Worms &c. bekennen —— das „ wir den Vesten unseren lieben getrewen CASPAR LERCHEN von Dirmstein, und sinen „ Mans-Lehens-Erben —— zu besserung siner Lehen so Er vorher von uns, und unseren „ Stifft Wormbs obgemelt habent und tragent ist, geluhen han, und liehen ihm hiemit „ diese hernach geschriebene Mann-Lehen, die Wylant der Vest, unser lieber getrewer „ EBERHARD RUBSAME seliger, von uns, und gemelten unseren Stifft, zu Manlehen „ gehabt, und nochmahls durch desselben Eberharts seeligen Doit und Abgang, uns, und „ unseren Stifft verfallen sin, nemlich: Den Zehenden zu Dielnhaußen &c. Item die Le- „ hen so Wilant HANS RUBSAME, des genanten Eberharts seeligen Vatter, von Wy- „ land unseren Furfaren Bischoff Friederichen seeligen emphangen hat, die jetzgenanten „ Bischoff Friederichen, und Stifft Wormbs verfallen waren von CRAFT von CLEEN „ seeligen, mit namen: Den Zehenden zu Lichtenhart Item zu Ramshart &c. wyther, so „ haben wir Jhm, Caspar Lerchen geluhen den Lehen-Zintz von XLV. Morgen Ackers zu „ Dirmstein gelegen, die wir hievor Jhm zu Wylant Frau MAGDALENEN, CASPARS „ von RIEPPUR, unsers lieben bruders seligen Dochter, syner ehlichen Haußfrawen zu „ Ehestewer geben haben &c. darumb so hat derselbe Caspar uns mit Hand-gebenden „ truwen gelobt &c. —— *vid. Clee*

„ Geben off Donnerstag nach S. Margreten-Tag Anno Domini Millesʃ. Quingentesimo „ Decimo-nono.

Duplicem igitur investituram per Litteras suas recognoverunt, qui Casparis illius Anno 1555. defuncti Filio, CASPARO, dati fuêre Tutores; idem & observarunt ejusdem Casparis Filii Anno 1593. videlicet CHRISTOPHORUS, & CASPAR LERCH, quos exceperunt, tam in supradictis Feudis, quam & in illis quæ ipsis deinceps cum Waissis communia fuêre. Anno 1660. MICHAEL-CASPAR-HENRICUS LERCH, post obitum Fratris sui WILHELMI-CASPARIS; tum & relictus ex eodem nepos, HUGO-EBERHARDUS-MICHAEL LERCH; qui postremus dum Anno 1675. solus ac unicus feudi hæres existit, illud Anno 1699. per subsecutum obitum suum, Ecclesiæ Worm. reliquit apertum. *vid. Wais de Furbach.*

LEWENSTEIN.

Anno 1483. duplex nobili huic Familiæ Feudum obtigit, unum Castrense, in Neo-Leiningen deserviendum, ut sequentes Litteræ id innuunt:

„ Ich

„ Ich Brenner von Lewenstein bekenne — daz ich von dem „ Hochw. in Gott Vatter und Hern, Hern Johans Bischoff zu Worms &c. „ IX. phunt gelts jerlich zu Asselnheim fallende, die sin Gnade mit Nuntzig „ phunt Heller ablosen mag, zu Burglehen zu Nuwe-Leiningen entphangen „ han — und sullent ich obgenant Brenner, oder myn Lehens Er- „ ben solich nuntzig phunt in eygen guttere zu dem besten anlegen, „ und dann dieselben von yme oder siner gnaden nachkomen zu Burg-Lehen „ haben &c. —

Dat. Heidelberg uff montag assumpt. B. Virg. Anno MCCCCLXXXIII.

Feudum aliud, quod diversos census ac redditus annuos in se complectebatur, quales erant: *uff dem schultheissen ampt zu Worms XXVI. untz Heller &c. Item ein schiff an dem Fare zu Worms an dem Rine — Item vver ein Husgenoss zu Worms vvirt, der gibt iglicher ein halben gulden &c.* hoc per chartam sub eadem data, qua præcedens, contulit Joannes Worm. Episcopus Emerico de Lewenstein, quondam Emerici Filio, ejusque Hæredibus masculis possidendum; quales exstitêre.

Anno 1534. Joannes, & Emico de Lewenstein, Fratres.

Anno 1536. Wolfgangus, Fridericus, & Carolus de Lewenstein, quondam Joannis relicti Filii.

Anno 1558. Fridericus de Lewenstein, nec non relicti ex Fratre ejus Carolo, Liberi: Wolfgangus & Sampson de Lewenstein.

Anno 1571. Wilhelmus, & Christophorus de Lewenstein, Fratres.

Unicus demum ex omnibus a primo acquirente ortis superstes Fridericus de Lewenstein, deficiente prole mascula, Feudum amisit obiens; dum ex nova gratia translatum fuit in Nobilem Gentem de Rodenstein, ut constat ex Litteris anni 1602. vid. Rodenstein.

Tertium Feudum a prioribus distinctum, videlicet tres partes Vineæ in Randeck obtinebat is qui supra ad annum 1558. memoratur Wolfgangus a Lewenstein, idque qua membrum ganerbiatus in arce Randeck.

LEYEN.

Feudum, quod originarie a Nobilibus de Stockheim provenit, consistebatque in aliquot jugeribus vinearum, & Curia in superiori Ingelheim, obtinuit olim Ulricus de Leyen, communi manû cum Hermanno Stump de Waldeck tenendum ac possidendum, ut constat ex horum Litteris reversalibus datis Anno 1410. vid. Stockheim.

Successerunt itaque in hoc feudo Anno 1433. Adam de Leyen, supradicti Ulrici filius, tum Anno 1515. Petrus de Leyen, quondam Philippi Filius. Denique Anno 1575.

Joannes.

JOANNES-MEINHARDUS, & PETRUS de LEYEN, quondam EBERHARDI relicti Filii, qui dum feudum idem adhuc tenerent anno 1617. quo Stumphiorum stirps defecit, illud ipsis ex integro cessit.

II. Obtigit interea Genti de Leyen Feudum aliud, quod olim tenebat Hermannus More, cujus Filiam GEORGIUS de LEYEN Adami supramemorati filius in uxorem duxerat, circa annum 1483. hinc duplici investitura opus habuêre, qui Georgii exstiterunt successores; horum cum nonnullos in priori serie jam recensuerimus, reliquum est, ut quos recentiores chartæ indicant, hic quoque subjiciamus.

Anno 1660. EMICHO de LEYEN, PHILIPPI Filius, utrumque Feudum recognoscit tam pro se, quam & tutorio nomine pro relicto PHILIPPI NICOLAI de LEYEN minorenni Filio IGNATIO-WILHELMO-CASIMIRO; tum & pro reliquis agnatis suis, EBERHARDO, WOLFGANGO-FRIDERICO, & CRATONE-CUNONE, Fratribus, quondam JOANNIS MEINHARDI de LEYEN, filiis. Denique & pro FRANCISCO-EBERHARDO quondam JOANNIS-CASPARIS de LEYEN filio.

Anno 1677. WOLFGANGUS-FRIDERICUS Baro de LEYEN, pro se, & Fratre suo CRATONE-CUNONE, nec non reliquis agnatis.

Anno 1721. JOANNES-WILDRICUS Baro de LEYEN, parentis sui JOANNIS-EBERHARDI nomine, investitur, simulque probat quidquid circa Feudum Stumpiorum aliàs gestum fuit; ac in sequentibus Litteris plenius continetur.

„ Wir FRANTZ-LUDVVIG von Gottes gnaden Ertzbischoff zu Trier &c. &c. Bischoff zu Wormbs &c. bekennen —— als weyland JOHANN MEYNHART, und PETER von LEYEN gebruder, die jenige Lehenstucke zu Ober-Jngelheim, so sie in gemeinschafft mit den Stumppffen von Waldeck, von unseren Stifft Worms zu Lehen getragen, und nach der Stumppffen absterben, gäntzlich Lehen-weiß ingehabt und genossen, nach inhalt des jungeren Lehenbrieff de anno 1617. mit consens unsers Vorfahren am Stifft Worms, Herrn Bischoffen GEORG-FRIEDERICH, und unser Domb-Capitul genemhaltung umb funffhundert Gulden dergestalt verkaufft haben, daß sie auß ihren eigenthumlichen adelichen Guttern ein æquivalent vor solche verkauffte stuck zu widersetzen sollen &c. solches aber wegen langwirigen Krieg, biß zu unsers Vorfahren am Stifft Worms, Herren Bischoffen HUGO-EBERHARDEN wohl-seelig andencken, Regierungs zeiten anstehen blieben, das seine Liebden, vermöge dero Lehen-brieff, mit weyland EMICHEN, und EBERHARDEN von LEYEN, als ältisten, und gevollmächtigten dieses Stammes, sich dahin verglichen, daß an statt der verkaufften Lehenstuck, diese hernachvolgende Eigenthumliche freye adeliche Güter zu Selsen &c. wurcklich cedirt, abgetretten und eingeraumt &c. und solten nummehr hinfuro vorgemelter Emich, und Eberhard von Leyen, ihre Mans-Erben solche Güter so dick es zum fall kommet, von uns, und unsern Nachkommen am Stifft Wormbs zu rechten Man-Lehen emphangen; als auch der Wohlgeborne JOHANN-WILDERICH Freyherr von LEYEN, in crafft gewalts von seinen Vattern dieselben Guter, jetzo also emphangen —— und seint diß die Guter, nemlich: uff dem feld nacher Momenheim acht halb morgen ackers —— Item drey morgen ackers, seind gar zehend frey &c.

„ Geben zu Worms, den Eilfften Februarii im Jahr Ein tausent, Sieben-hundert, und Ein und Zwantzig.

Mortuo denique Anno 1732. post Filium etiam patre, cum nulla ex ambobus proles mascula superesset, feudum, ut apertum, recidit in Ecclesiam Wormatiensem.

LINDEN-

LINDENFELS.

Refutaverat feudum fuum, confiftens in pratis aliquot circum villas Lampertheim & Burftat &c. Henricus Silberborn, quando ea Anno 1501. eadem lege poffidenda accepit PHILIPPUS de LINDENFELS.

Succeffit ipfi Anno 1505. Filius ejus minorennis PHILIPPUS, primùm fub tutela patrui fui Joannis de Lindenfels, dein Anno 1509. fub illa Jodoci Martolfi, dicti Rineck conftitutus. Ab hoc autem Philippo progenitus fuit CHRISTOPHORUS de LINDENFELS, qui improlis obiens, feudum reliquit apertum. vid. Affenftein.

LUTERSHAUSEN.

Exftant GELFFRICI de LUTERSHAUSEN litteræ de Anno 1427. in hæc verba:

„ Ich HANS GELFFRICH von LUTERSHAUSEN erkenne — daz „ich von dem Erwird. in Got Vatter und Herren, Hern FRIEDERICH Bi- „fchove zu Worms &c. zu rechtem Burglehen enphangen han — uff den „Schultheiffen Ampt zu Laudenburg XX. Unz. Heller jarlich uff Sant Mar- „tins-Tag fallende. Item: han ich ein Schultheiffen, und ein Schulzen „zu fetzen — Geben Anno Dom. MCCCCXXVII.

Tranfiit feudum hoc ad Joannis Filium cognominem, quo fub annum 1470. fatis functo, fimul bona ad Dominum directum rediêre.



MARSCHALCK de WALDECK.

Bona, quæ in diftrictu Locorum Dirmftein & Lamperthem, feudi lege, tam fuo, quam Philippi Fratris fui nomine fufceperat Anno 1483. Joannes Marfchalck, haud ultra Philippum-Melchiorem Marfchalck fuere transmiffa in pofteros. Hic enim, qui Anno 1533. adhuc minorennis de iisdem inveftitus fuerat, vices ejus in hoc peragente Tutore Conrado Stumpff de Waldeck, vitam fimul cum feudo amifit Anno 1555. quo illud in Nobiles de Bettendorff gratiofe contulit Theodoricus Worm. Antiftes. vid. Bettendorff.

MASSENBACH.

Fuit JOANNI de MASSENBACH in feudum pars Juris patronatus in Northeim, ut ex ipfius charta innotefcit, quam hic fubjicimus.

„ Ich HANS von MASSENBACH erkenne mich daz ich difs nachge- „fchriben Lehen han und trage von dem Erwird. in Gott Vatter und Herren, „Hern MATHEO Bifchoff zu Worms und fime Stiffte, mit Namen: ein „dritteil des Kirchfatz zu Northeim, mit finer zugehorungen, und fal ym „darumb verbunden fin, als ein Mann fynem Herren —

„ Dat. Anno Dom. MCCCCVI. in Oppido Heidelberg, Dominica qua „in Ecclefia Dei cantabatur Cantate.

Videtur autem hoc feudum adhuc Anno 1355. fubftitiffe in BERTOLDO, & ALBERTO de MASSENBACH.

METTERNICH in BORSCHEIDT.

vid. Landschad.

Vacantia Anno 1653. Landschadiorum feuda ex obitu ultimi possessoris, postquam WOLFGANGUS HENRICUS de METTERNICH prece, ac pretio, ab utroque Domino directo, videlicet: Wormatiensi, & Spirensi, Episcopis impetrasset, tres ejus filii, quibus dives hæc parabatur successio, morte sublati fuerunt, hinc mœstus parens apud ambos præsules mature agere cœpit, de Genero sibi in iisdem feudis post obitum substituendo; jamque res procedebat feliciter, quando & ipsum mors sustulit die 12. Decembris Anni 1699.

METTERNICH in MULLENARCH.

CAROLUS-CASPAR-HUGO B. de METTERNICH, alter demortui Metternichii in Borscheid Gener, potenti, JOANNIS-HUGONIS Electoris Trevirensis, quà Spirensis Episcopi, nec non feudi denuo vacantis Con-Domini, intercessione usus, tandem voti compos factus est, & sæpedicti feudi investituram, etiam ex parte FRANCISCI-LUDOVICI Worm. Episcopi obtinuit die 29. May 1700. exsolutâ prius (juxta quod, pro impetrando Maj. Capituli Worm. consensu, conventum fuerat) 6000. Flor. Summâ, quæ in Cathedralis Ecclesiæ instaurationem conversa est.

MORE.

GERBODO, & GODEFRIDUS de MORO, decimas, & Jus patronatus in Uzelenheim, hodie minori Nittesheim, avitum Gentis suæ feudum, transtulêre Anno 1270. in Decanum ac Capitulum Ecclesiæ S. Andreæ Worm. idque de consensu EBERHARDI Worm. Episcopi quà Domini directi.

MORSSHEIM.

vid. Horneck.

Bona in Roxheim; tum & quæ olim ab Eccles. Worm. in feudum tenuerant Nobiles Horneckii, hæc Morsheimiorum fuit possessio, ut constat ex litteris sequentibus.

„Wir **Diethrich** von Gottes gnaden Bischoff zu Worms rc. bekennen —— das „wir dem Vesten, unsern lieben getrewen **Hanß-Henrich** von **Morßheim** / **Johan** „von **Morßheim** Ritters Seeligen Sohn, von sein, und **Hansen-Melchiors** / sei„nes Bruders wegen, zu rechten Man-Lehen geluhen haben, diese hernach geschribene „Lehen, so Weylant der obgemelt Johan von Morßheim desselben Vatter, und Voraltern „seelige von Alter hero von unsern Stifft Worms zu Lehen emphangen haben, mit Na„men: ein Auwe zu Roxheim, gnant die Kuitten-Awe rc. weither, die hernach geschrie„ben Lehen die hievor der erste **Horneck** von **Heppenheim** / und seine Voraltern, und „zuletzt der vorgeschrieben Johan von Morßheim Ritter von uns, und unsern Stifft „Wormbs zu Man-Lehen entphangen haben, nemlich ein theil am Irrwasser ein theil am „Moorswerde rc. —— Geben Mitwoch nach Galli, Tausent, funffhundert, funffzig und „vier Jahr.

Investiti itaque, juxta præcedentes hasce litteras, JOANNES-HENRICUS, & JOANNES-MELCHIOR, de MORSSHEIM, quondam JOANNIS Filii Anno 1554. feudum ad posteros transmisêre hoc ordine:

Anno

Anno 1570. JOANNES-LUDOVICUS de MORSSHEIM quondam JOANNIS-HENRICI Filius, Feudi renovationem obtinet, tam pro se, quam & JOANNE-MELCHIORE agnato, nec non Fratribus suis LUDOVICO-FRANCISCO, & HARTMANNO, de MORSSHEIM.

Anno 1595. LUDOVICUS de MORSSHEIM, pro se, & agnato suo JOANNE-FRIDERICO, tum & pro relictis ex hujus defuncto Fratre Henrico liberis GEORGIO - ALBERTO, & JOANNE MELCHIORE, de MORSSHEIM.

MOSBACH de LINDENFELS.

HENRICUS de MOSBACH investitur Anno 1483. de Feudo, cujus simultanei cum ipso possessores erant Nobiles de Rode, Schwalbach & Hatstein. Succedunt: vid. Rode.

Anno 1488. PHILIPPUS, & HENRICUS de MOSBACH, quondam Henrici præcedentis Filii.

Anno 1533. HENRICUS, & PHILIPPUS de MOSBACH, Fratres.

Anno 1567. JOANNES-FRIDERICUS, JOANNES-ANDREAS, & JOANNES-BALTHASAR de MOSBACH, Fratres; tum & relicti ex prædefuncto eorum Fratre REINHARDO Nepotes, JOANNES-HENRICUS, & JOANNES-ANDREAS de MOSBACH.

Occurrit demum HENRICUS de MOSBACH ad annum 1677. quo feudum hoc transtulit in Illustr. Familiam de Leyen. vid. Leyen in super. Elencho.

MUDERSPACH.

Insigne feudum olim ab Ecclesia Worm. retulit DANIEL de MUDERSPACH, ut constat ex ejus reversalibus litteris datis Anno 1446.

„ Ich DANIEL von MUDERSPACH, Ritter bekenne —— daz ich diss „hie nachgeschriebene Lehen von dem Erwird. in Gott Vatter und Herren, „Hern REINHART Bischoff zu Worms zu rechtem Man-Lehen entphangen „han &c. —— und sint diss die Gutere : zwo Huben Landes in Kingswi„sen —— Item ein teil an dem Zehenden zu Katzenfurt, item zu Dieln„heim, zu Eringshausen, Kolhausen &c. ——

„ Geben Anno Dom. MCCCCXLVI.

Succedunt itaque Danielis posteri in feudis illis, hoc ordine.

Anno 1478. JOANNES, & FRIDERICUS de MUDERSPACH, Fratres; quondam Danielis filii.

Anno 1511. LUDOVICUS, & FRIDERICUS de MUDERSPACH, agnati.

Anno 1521. EMERICUS, & WIGANDUS de MUDERSPACH Fratres, nec non eorum agnati LUDOVICUS, & WILHELMUS MUDERSPACH.

Anno 1541. WOLFGANGUS de MUDERSPACH, quondam Emerici Filius, tum & ejus agnati WIGANDUS, & WILHELMUS de MUDERSPACH.

Anno 1572. DANIEL de MUDERSPACH, qui demum Anno 1601. obiens absque prole mascula, feudum reliquit apertum. vid. Croneberg.

NAGEL de DIRMSTEIN.

Quas FRIDERICUS NAGEL de SOBERNHEIM decimas in Roxheim &c. adhuc Anno 1427. titulo Feudali possederat, hæ in Gentem NAGEL de DIRMSTEIN translatæ fuerunt, siquidem earum possessor occurrit ad ann. 1483. PETRUS, ex Gente illa nobili originem trahens.

Accessit deinde Feudum aliud in Neo-Leiningen, Castrensium more deserviendum, quod Anno 1555. THEODORICUS Worm. Episcopus PETRO NAGEL de DIRMSTEIN gratiose contulit, ac in quod Anno 1581. successit PETRUS NAGEL, prædicti Petri Filius, quem Anno 1596. duo ejus Filii excepisse videntur.

NIDECK.

Ex duplici capite Gens hæc erga Worm. Ecclesiam adstricta erat.

Primo: ratione partis decimarum in Hassmarsheim quam unà cum duabus Curiis ibidem in Feudum tenère visus est CONRADUS de NIDECK Anno 1427.

Secundo: Ob arcem Dreschlingen, quam unà cum subjacente villa, nec non universis juribus, titulo Feudali, quondam possedit MARTINUS de NIDECK; quo sub annum 1483. mortuo, admissi sunt in idem Feudum EBERHARDUS, & DITHERICUS de NIDECK; a quibus deinde illud acquisiverunt Nobiles de Helmstat.

vid. Helmstat.

NEUHAUSEN aliàs NUWENHUSEN.

THEODORICUS Worm. Episcopus confert Anno 1360. HENRICO de NEWHAUSEN, ejusque Filio JOANNI in Feudum, *daz Dorff, daz do heiß Eyrstat, und das Viertel-teil des Dorffes daz do heizzet Steinfurt, item daz Dritteil der zehenden zu Hauffen &c.* ut habent ejusdem litteræ;

II. Accessit deinde & Feudum aliud, videlicet: Jus patronatus in Northeim, cum attinentiis &c. ut constat ex litteris reversalibus Alberti de Neuhausen, datis Anno 1406. in modum, qui sequitur.

„ Ich ALBRECHT von NUWENHUS erkenne mich, daz ich dis nach-
„ geschriben Lehn von dem Erwird. in Gott Vater und Hern, Hern MA-
„ THEO Bischoff zu Worms, und sime Stifft han, mit namen: den Kirch-
„ satz zu Northeim by Lossn gelegen mit sinen zugehorde. Item zu Zim-
„ mern by Brachenheim ein teil an der Zehenden. Item an dem Dorff zu
„ Steinfort by Sunsheim ein Funffteil. Item Erstat das Dorff by Nuwen-
„ hus ganz, mit sinen zugehorungen &c. Geben als man zalt &c. Vier-
„ zehenhundert und sechs Jar.

Succedunt deinceps pari modo in utroque Feudo:

Anno 1412. BERTOLDUS, ALBERTUS, & EBERHARDUS de NEUHAUSEN, agnati.

Anno 1419. WIPERTUS de NEUHAUSEN.

Anno

Anno 1444. BALTHASAR de NEUHAUSEN.

Anno 1475. WIPERTUS de NEUHAUSEN, quondam Balthasaris Filius.

Anno 1502. BALTHASAR de NEUHAUSEN, nec non Fratres ejus, BERNHARDUS, & WIPERTUS.

Anno 1520. PHILIPPUS Senior, & PHILIPPUS junior, de NEUHAUSEN Fratres; qui de consensu Domini directi partem Feudorum suorum alienant in favorem Ludovici de Frawenberg, ut patet ex charta sequenti, data Ann. 1529. vid. Frawberg.

„ Wir Heinrich/ von Gottes gnaden Coadjutor erweltter und bestettigter zu Wormbs „ rc. bekennen —— daß wir unsern lieben getrewen Philippen von Neuhauß den Eltern, von sein, und seines Bruders Philips wegen, und ihrer beyder Mann-Lehens „ Erben zu rechten Man-Lehen geliehen haben —— mit Namen: ein Viertheil an dem „ Dorff Erstat by Nuwenhausen gelegen rc. wie dann solich Lehen Balthasar von Neu„ hauß von unsern Vorfahren und Stifft Wormbs emphangen und getragen hat, ohne „ den Kirchsatz zu Northeim/ mit den Zehenden und Zugehorungen, so ermeldter Baltha„ sar von unsern Vorfahren auch zu Mann-Lehen getragen, und sie beyde Philippen Ge„ bruder, demselben, unsern lieben getrewen Ludwig von Frawenberg/ mit unser Be„ willigung verkaufft haben —— Geben Samstag nach Sontag Cantate. Anno Dom. „ MCCCCCXXIX.

Præterea reperio, quod ex supramemoratis Philippis de Neuhausen, unus, aut alter, recognoverit Anno 1535. in Feudum, suæ proprietati decimam in Erstat unà cum jugeribus Terræ araturiæ XVII. ea lege, ut sibi, suisque posteris in proprietatem perpetuò cederent duæ octavæ partes in Steinfort.

Cæterum, in Feudo paterno successit An. 1554. PHILIPPUS, quondam PHILIPPI de NEUHAUSEN Filius, tum reliqui, prout sequitur.

Anno 1567. LUDOVICUS, & DAVID, quondam Philippi Filii.

Anno 1574. JOANNES-PHILIPPUS de NEUHAUSEN, quondam Ludovici Filius, sub tutela Reinhardi de Neipperg constitutus; is cum Anno 1580. absque prole mascula obiisset; Feudum ejus, ex mera gratia, translatum fuit in Nobiles de Degenfelt. vid. Degenfelt.



OBERSTEIN.

Commune Feudum cum nobilibus Bonn de Wachenheim, habuêre ab Ecclesia Worm. Nobiles ab Oberstein, ut fidem faciunt litteræ Sigifridi, in hæc verba. vid. Bonn.

„ Ich SIGIFRIT von OBERSTEIN bekennen —— daz ich von dem „ Erwird. in Gott Vatter und Herren, Hern FRIEDERICHEN Bischoff zu „ Worms &c. zu einem rechten Man-Lehen enphangen han —— die Awe „ die da heisset die Auwel, Item den Salmengrunt, Item XX. Untz Heller „ uff der BONNEN theil &c. Geben Anno MCCCCXXVII.

Occurrit deinde in iisdem Feudis ad annum 1483. YMAS de OBERSTEIN, quem secuti sunt Anno 1578. WOLFGANGUS ab OBERSTEIN, ejusque Fratres RUDOLFUS & GEORGIUS, quondam JOANNIS-SIGIFRIDI ab OBERSTEIN Filii.



PRUMBHEIM.

vid. Bechtolsheim.

CAROLUS de PRUMBHEIM obtinet Anno 1483. Feudum Castrense in Neo-Leiningen, quod ex obitu HESSONIS Landgravii de Leiningen vacaverat; at eo haud diu potitus est; siquidem & ipso mortuo, translatum fuit in Rudwinum de Turkeim; a quo ulterius pervenit ad Nobiles de Bechtolsheim.



RAMMUNG de DASPACH.

Acquisitæ, titulo oneroso, curtis, domus, aliaque iisdem adjacentia bona in Weibstat, nexu feudali vinctos detinuêre aliquamdiu Nobiles de Rammung, ut ex Mathiæ sequentibus litteris Anno 1483. datis, constat.

„ Ich MATHIS RAMMUNG von Daspach, bekenne —— daz ich „von dem Hochw. in Gott Vatter, und Herren, Hern JOHANS Bischoff „zu Worms &c. solich Man-Lehen so Her HANS RAMMUNG Ritter, und „HANS RAMMUNG, myn Vatter, und Bruder seligen, von sin gnaden „Furfarn, und Stifft getragen haben, nemlich: den Hoff, Garten, Ecker „&c. zu Weibstat gelegen, gnant der Erlicher Hoff &c. Item IIII. Mor„gen Korn Ackers, gelegen an dem Rorbacher Hoff &c. —— das alles der „benant min Vatter selig, umb ALBRECHT von VENNINGEN kaufft hat „—— fur mich, und myn Man-Lehens-Erben, solich obgemelt Manle„hen von sin gnaden alsso enphangen ——

„ Dat. Anno MCCCCLXXXIII. uff Sant Johan-Evangelisten Tag.

RANDECK.

vid. Affenstein.

Nobilis hæc Gens, in duas divisa lineas, totidem feuda olim possedit ab Ecclesia Wormatiensi; nam quæ HESSONI de RANDECK jam Anno 1427. fuêre in feudum, videlicet: pars decimæ in Kircheim sub Leiningen, item Curtis ibidem &c. hæc, post obitum aliquot EMERICORUM de RANDECK, pervenerunt in Familiam de Affenstein sub annum 1561.

vid. Flersheim.

Aliud Feudum; nimirum: bona in Gleffwiler, & Lampertheim &c. a GODEFRIDO de RANDECK, in WILHELMUM pervenit Anno 1483. & ab hoc denuo in GODEFRIDUM hujus nominis alterum; donec tandem obeunte ADAMO de RANDECK, Godefridi ejusdem Filio, simul periit; & Flersheimiorum prosapiæ Anno 1537. in modum novi feudi, dono cessit.

RODE.

Tria in hac Gente occurrunt Feuda, inter se distincta.

vid. Scharffenstein.

I. Primum a JOANNE de SCHARFFENSTEIN sibi suisque posteris, de consensu Domini directi sibi acquisivit Anno 1466. PHILIPPUS RODE; ut fidem faciunt litteræ sequentes:

„ Ich

„ Ich PHILIPS RODE, bekenne — als JOHANN von SCHARPENSTEIN dem Hochw. &c. REINHART Bischoff zu Worms, in eym offen „Brieff geschriben hat, wie daz er sich mit mir eyns Kauffs der Lehen halben, so er von dem obgenanten mynem gnedigen lieben Herren, und sime „Stifft bisher zu Manlehen gehapt und getragen vereinigt habe, und sine „gnade deshalben gebetten sinen gunst, willen, und verhengniss darzu „zutun — demnach han ich Philips Rode diese nachgeschriben Lehen, „von dem obgenanten minem gnedigen Herren zu rechtem Manlehen entphangen — mit Namen: ein Hoifstat zu Wilburg; item den Zehenden „zu Herbishausen, item den Zehenden zu Tromershusen —

„ Dat. Anno MCCCCLXVI. uff Sant Michels-Tag.

II. Alterum Feudum, videlicet: Jura patronatus in Heyer, Fronhusen, Dressildorff aliisque locis, obtinuit THEODORICUS RODE Ann. 1467. Ejus litteræ reversales, sic habent:

„ Ich DIEDERICH RODE, bekenne — daz ich von dem Hochw. „in Gott Vatter und Hern, Hern REINHART Bischoff zu Worms diese „nachgeschribene Lehen zu eym rechten Man-Lehen entphangen han &c. „und sind diz die Lehen mit Namen: den Kirchsatz zu Heyer, den Kirchsatz zu Fronhusen, zu Dressildorff, zu Burgbach, zu Nunkirchen, zu „Wilensdorff, zu Rode, zu Affil; Item ein teil an dem Zehenden zu Hophausen, zu Ordorff, zu Steinbach &c.

„ Anno Dom. MCCCCLXVII.

III. Tertium æque antiquum, si non antiquius reliquis, consistebat pariter in diversis decimis ac Juribus patronatus, sed quæ omnia RODII per simultaneam investituram possidebant, cum nobilibus de Mospach, Swalbach, & Hatstein, ut patet ex litteris reversalibus Friderici Rode, de data Anni 1477.

„ FRIEDERICH RODE bekenne — daz ich von dem Hochwird. in „Gott Vatter und Hern, Hern REINHARTEN Bischoff zu Worms &c. von „mym, und JOHANS myns Bruder wegen, diese nachgeschriebene Lehen „in gemeynschafft mit Heinrich Mospach, Volprecht von Swalbach, und „Henne von Hatstein, Cuonrats seligen Son, und iren Manlehens Erben „zu besitzen, myn, und myns Bruder teil daran zu Manlehen entphangen han — die dan PHILIPS RODE, unser Vatter selig auch also mit „Henrich Mospach, Volprecht von Swalbach, und Henne von Hatstein seligen, in gemeinschafft gnossen, und besessen hat — und sind diss die Guttere: den Zehenden zu Wilmonster und den Kirchsatz. Item den Zehenden zu Paffenhusen; item den Zehenden zu Helmerode —

„ Geben auff mitwoch nach S. Magdalenen Tag MCCCCLXXVII.

Horum Feudorum investituram per litteras separatas suscepisse reperiuntur.

Anno 1494. FRIDERICUS Rode, pro se, & relicto ex JOANNE Fratre filio minorenni JOANNE RODE.

Anno 1520. PHILIPPUS, & JOANNES RODE, Fratres.

Anno

Anno 1529. Philippus Rode, quondam Philippi minorennis Filius, sub tutela Georgii de Schönborn;

Anno 1596. Georgius supradicti Philippi Filius, nomine parentis sui; at paulò post, morte sublato Georgio, videlicet Anno 1599; parens eum proxime secutus est, sicque bona feudalia omnia suprascripta ad Worm. Ecclesiam reversa sunt.

vid. Rodenstein.

RODENSTEIN.

Ex antiquioribus feudis, quæ nobili huic prosapiæ collata fuêre, unum est, quod ex obitu quondam Philippi Gauwer vacavit, videlicet: villa Flamborn, cum attinentiis, ut ex Joannis de Rodenstein litteris hic appositis constat.

vid. Gauwer

„ Ich Hans zu Rodenstein, Hermans seligen Son, bekennen—
„ daz ich von dem Hochw. &c. Johann Bischoff zu Worms &c. zu rech-
„ tem Manlehen entphangen han — das Dorff Flamborn, und der Hub-
„ Hoff mit andern, das dan Philips Gauwer selige von sinen gnaden
„ Furfarn seliger gedechtniss, und Stifft, zu Manne-Lehen entphangen und
„ getragen hat — Dat. Anno MCCCCLXXXIII.

II. Aliud feudum, nempe: villa Dorren-Massenheim &c. ipsi Joanni Rodenstein supradicto, commune fuit cum Erkengero de Rodenstein, agnato suo; quod & unà cum præcedenti feudo ad posteros transmiserunt; quanquam in Erkengero stirps sua sub annum 1492. defecit; hinc bona, quæ parens ipsius Conradus de Rodenstein, ex obitu Sigifridi de Erphenstein vacantia, a Matheo Worm. Antistite retulerat, denuò caducitatis legi fuêre subjecta.

vid. Bock de Erphenstein.

III. Denique; postquam ex liberali munificentiâ Philippi de Rodenstein, Worm. Episcopi etiam Bona feudalia universa, quæ quondam Philippi, & Georgii Rode, nec non Friderici de Lewenstein possessiones fuerant, de consensu majoris Capituli Wormatiensis, Anno 1602. in Joannem de Rodenstein, supradicti Episcopi fratrem Germanum, recidissent, per modum feudi novi deinceps possidenda, obiit & ipse Anno 1627. prole mascula destitutus, ac alteri Familiæ commoda, sibi inde obventa reliquit.

vid. Rode, & Lewenstein. vid Greiffenclaw.

RUBSAME de MERENBERG.

Feudum vetus, seu primarium, de quo Gens hæc jam ab Anno 1404. investita reperitur, fuêre decimæ in Dilnhausen; at illud postmodum insigniter auxit Fridericus a Domneck Worm. Episcopus, circa annum 1430. dum bona, sibi, ex Cratonis de Cleèn obitu, vacantia, superioribus gratiose conjunxit, ut constat in litteris sequentibus.

vid. Clee sub Num. II.

„ Ich Johann Rubsame von Merenberg, bekenne — daz ich
„ von dem Erwird. in Gott Vatter und Herren, Herren Reinharten Bi-
„ schoff zu Worms &c. diss nachgeschriben Lehen zu einem Manlehen en-
„ phangen han fur mich, und min Lehens-Erben, mit Namen: den zehen-
„ den zu Dielnhusen, mit sinem zugehorden.

„ Auch

„ Auch han ich enphangen solchs Lehen die myn Vatter selig, HANS „RUBSAME, von Bischoff FRIEDERICH selige entphangen und getragen „het, die dan jtz genanten Hern Friederich, und sinem stifft Worms von „dodes wegen CRAFFT von CLEEN verfallen waren &c.

„ Dat. Anno Dom. MCCCCXLVI.

Successit in feudis illis Anno 1483. Joanni parenti, Filius EBERHARDUS RUBSAME, qui decedens Anno 1519. absque prole mascula, feuda reliquit aperta, eaque mox obtinuit Caspar Lerchk, hac lege, ut defuncti Eberhardi Rubsame uxor, Margareta Blick de Lichtenberg, iis frueretur ad dies vitæ. vid. Lercke de Dirmstein.

RUXINGEN.

Contulerat Anno 1427. Fridericus Worm. Episcopus SIGIFRIDO de RUXINGEN, bona quæ sibi per obitum quondam Conradi de Clingenberg recenter vacaverant, videlicet: pars decimarum aliaque bona in Northeim; verum, neglectâ investituræ renovatione, feudum illud, ut apertum, obtinuit proximior agnatus, ut litteræ sequentes fidem faciunt:

„ Ich SYFRID von RUXINGEN, bekenne — daz ich von dem Hochw. „Fursten, in Gott Vatter und Hern Hern JOHANS Bischoff zu Worms &c. die„se nachgeschribene Lehen, die sin gnade und sim stifft Worms, durch nit „entpfange der von RUXINGEN verfallen gewest sint, von sunder gnaden und „flissiger bette willen, zu man lehen geluhen hat, die ich dann also von sinen „gnaden entpfangen, mit namen: ein drittel eins korns-zehenden zu Nort„heim &c.

„ Dat. Anno MCCCCXCIII.

Transierunt itaque hæc bona à parente in Filium GEORGIUM de RUXINGEN, sed cum hic circa Annum 1560. decessisset improlis, ea gratiosè collata fuère nobilibus de Lammerscheim. vid. Lammerscheim.



SASSENHEIM.

BERTOLDO de SASSENHEIM concessit JOANNES Worm. Episcopus, villam Erstat pro medietate, nec non tertiam partem villæ Steinfort &c. aliaque, in feudum masculinum, per litteras suas datas Anno 1422. cujus feudi investituram postmodum etiam innovarunt Anno 1464. relicti ex Bertoldo liberi, CONRADUS & JOANNES de SASSENHEIM, tam suo, quam & prædefuncti Fratris sui Bernoldi, liberorum nomine. Verum hi simul omnes, de consensu domini directi feudum suum alienarunt in gratiam nobilium de Helmstat, contractu desuper cum Reinhardo de Helmstat inito ad Annum 1483. vid. Helmstat.

SCHARFFENSTEIN, al. SCHARPENSTEIN.

Vacantia sibi, per obitum HERMANNI de SCHARFFENSTEIN, bona in Dirmstein, quæ inter recensebantur ultra XXX. terræ jugera, contulit in modum novi feudi, MATHÆUS Worm. Episcopus CONRADO BOCK de ERFENSTEIN; hinc, velut in compensam, majoribus beneficiis affecit Anno 1406. ex eadem gente, CUNONEM de SCHARFFENSTEIN, ut litteræ ejus reversales demonstrant.

„ Difs sint die Lehen, die ich Cunne von Scharpenstein, der alte, „han und trage vor mich, und myn ganerben, von dem Erwird. in Gott Vat- „ter und Herren, Hern Matheus Bischoff zu Worms und sim stiffte, mit „namen: ein Hovestad gelegen zu Wilburg in der stadt — item einen ze- „henden zu Anhusen, item zu Drommersheim &c.

„ Dat. Ladeburgi MCCCCVI.

vid. Rode. Cunoni supradicto substitutus est in feudo Nicolaus de Scharffenstein, cujus Filius Joannes, illud Philippo Rode vendidit Anno 1466. consensum suum ad hoc præbente Reinhardo Episcopo, per litteras suas, datas ipso Festo S. Michaelis.

SCHÖNEBURG.

vid. Lerchk de Dirmstein. Joanne Casparo Weiss de Feurbach, sui stemmatis ultimo, è vivis erepto, sub Ann. 1593.; feudum, quod prius fuerat Nobb. de Clee, & quod tunc per simultaneam investituram possidebat cum Casp. Lerch, contulit nepoti suo, Joanni Richardo de Schöneburg, Georgius ejusdem nominis Worm. Episcopus, Anno, ut supra, die 3. Augusti.

vid. Schönborn Com. Verum pereunte ipsa quoque Schöneburgiorum prosapiâ, feudum vacans Anno 1667. translatum fuit, de consensu maj. Capituli Worm. in illust. Gentem Schönborniam.

SCHUTZ de HOLTZHAUSEN.

Tulit, olim ab Ecclesia Worm. Henricus Schutz tam pro se, quam & hæredibus suis masculæ stirpis in feudum, decimam in Lonburg, aliaque bona in circumvicinis locis, ut testantur litteræ reversales Henrici supradicti Anno 1405.

„ Ich Henrich Schez von Holtzhausen, bekenne, daz ich die „nachgeschriben gude zu Lehen han von mym gnedigen Herren von Wormze „&c. den zehenden zu Lonborg mit aller zugehorde, Item die auwe zu Oder- „spach, item den wingarten berg und gulde die darzu gehorend, und besonder „ein halben morgen wingarten, der Hundis dochter was, den sie usf myns „egenanten Herren Lehen virkouffte hatte mit unrecht; Item; den Hoib zu „Selters, den man nennet Her Johan Stephandis Hoib, der myme Herre, und „syme stiffte vor langen zyden virholen und verfallen ist —

„ Dat. Anno Dom. MCCCCV.

Feudi hujus investituram a novo obtinuerunt Henrici successores, hoc fere ordine:

Anno 1427. Henricus Schutz, Junior.

Anno 1484. Antonius Schutz pro se, & agnatis suis.

Ann. 1505. Gilbertus, & Joannes Schutz Fratres.

Anno 1540. Joannes Schutz, pro se, & relictis, ex Gilberto Fratre, agnatis, Antonio & Joanne Schutz.

Anno 1570. Richardus Schutz, pro se, & Fratre suo Reinhardo-Philippo, tum & agnatis suis.

Anno

Anno 1578. JOANNES-GODEFRIDUS, JOANNES-WILHELMUS, & PHILIPPUS-ECCARDUS, quondam CUNONIS SCHUTZ minorennes Filii sub tutela Georgii a Dehrn. Tum; JOANNES-RICHARDUS, & JOANNES-CUNO, quondam RICHARDI SCHUTZ Filii. Denique ECCARDUS, & PHILIPPUS, quondam JOANNIS SCHUTZ Filii.

Anno 1605. JOANNES-CUNO SCHUTZ, pro se, & agnatis suis JOANNE-GODEFRIDO, & JOANNE-WILHELMO SCHUTZ, Fratribus.

Hi sub Annum 1613. cum Georgio Comite de Nassau Dietz &c. contractu inito, feuda sua commutarunt; at tractatum non nisi aliquanto tempore post probavit Wormatiensis Episcopus, quà dominus directus, ut constat ex charta sequenti data Anno 1660.

» Wir **Hugo-Eberhard** von Gottes gnaden Bischoff zu Worms &c. bekennen —
» als mit vorwissen und bewilligung unser löblicher vorfahren am stifft Wormbs und dhomb-
» capituls, die **Schutzen** von **Holtzhaußen** ihre, von ermeltem unserm stifft getragen man-
» lehen, benantlich den Zehenden zu Lanburg, item den Gersperger Hoff zu Oderöpach &c.
» mit dem Furstl. Hauß Nassaw vertauscht, und dasselbe hingegen diese hernach geschrieben
» eigenthumlich zehendt und guttere, mit nahmen den zehendt zu Flacht, sampt den flachs-
» zehent alda, item den flachs-zehent zu Holzheim, item den zehendt zu Kirberg, item den
» halben zehendt zu Fackenhoffen &c. unserm stifft proprietarie uberlassen, und wurcklich ein-
» geraumbt, das wir dieselben zehendt und gutter, an statt vorgemelter abgegangenen Lehen-
» stuck den vesten, unsern lieben Johan Frid. Koeth, als Vormundt **Caspar-Friederichen**
» **Schutz** von **Holtzhaußen** / Weyland **Johan-Cuno Schutz** / hinterlassen minderjähri-
» gen Sohns, so dann, wegen **Johan Friederich** / und **Philipps-Wilhelmen Schutz** /
» gebruderen, zu rechten man-Lehen geluhen haben, leihen die ihm auch in crafft dieses brieffs
» &c. Der geben ist zu Worms den 12. 8bris 1660.

Admissi itaque in hoc feudum Caspar-Fridericus Schutz unà cum agnatis suis Joanne-Friderico, & Philippo Wilhelmo Schutz, ut jam vidimus; successerunt postmodum distincti inter se.

Anno 1712. FRANCISCUS-ANTONIUS-WOLFGANGUS SCHUTZ, Lineæ Kirbergicæ.

JOHANNES-ERNESTUS SCHUTZ, Lineæ Runkeliæ.

JOHANNES-FRIDERICUS SCHUTZ, Lineæ Budeshemiæ, respective Satores, & agnati.

SCHWALBACH.

In feudo, quod nobili huic genti commune fuit cum Hatsteniis, Rodiis, & Mosbachiis, sibi invicem successisse reperiuntur. vid. Rode.

Anno 1477. VOLPERTUS de SCHWALBACH.

Anno 1520. MELCHIOR de SCHWALBACH quondam Volperti Filius.

Anno 1567. JOANNES, EBERHARDUS, & REINHARDUS de SCHWALBACH, agnati. &c.

vid. Bergen. II. Anno 1581. obtigit GERNANDO de SCHWALBACH insigne feudum, quod ex obitu Joannis Bergen Eccles. Worm. vacaverat; verum, ob subortas difficultates, non nisi serius ejusdem investituram obtinuit, ut discimus ex sequentibus Philippi Worm. Episcopi litteris:

„ Wir **Philipps** von Gottes gnaden Bischoff zu Worms &c. bekennen —— als uns „ und unseren stifft Wormbs, hiebevor, durch toodlichen abgang Weyland **Johann** von „ **Bergen**, seines stammes und nahmens letzten, die jenige Lehenstuck, so Er Johann und „ seine Vorfahren, von unseren loblichen Vorfahren Bischoven von Worms &c. getragen, „ anheim gefallen und eröffnet worden —— daß Weylandt der Erwird. unser nachster Vor„ fahr Seelige Bischoff **Georg** &c. solche eroffnete Lehen, auch Weyland den vesten **Gernan**„ **den von Schwalbach**, auff seine embsig bittlich Ersuchen, und Eingewendte Chur-Mayntz„ sische Intercession, wie nicht weniger nuhmehr auch wir, sintemahl die wurkliche belehnung „ oder Investitur bis daher allerhand behinderung wegen, verblieben, zu Leibs-manns, und „ respective Erb-Lehen anzusetzen, gnadiglich verwilliget, uff maaß, und nach außweisung „ underschiedliche Verglichung und Convention, nemlich, bey vorerwandts unseres Vorfahren „ seligen lebzeyten Anno 1581. So dann zwischen Uns und unserm Dhom-Capitell an einem „ und ihm Schwalbach andern theils Anno 1598. das wir solchem nach nunmehr und auff „ absterben vermelts Gernanden von Schwalbach nachgelassen unmundigen Kindt, solche er„ offnete leben stuck, wie die hernach beschrieben, von newem zu leibs-mans, und further uff „ den fall Erloschung und außsterbung Sein Gernand von Swalbach leibs mans Erben, in „ Erb- oder Dochter Lehen, crafft obberurter verglichung gelihen und angesetzt —— und seind „ diß die Lehen guther, item zu Eschershaussen die Burg halb mit ihrre zugehorde &c.

„ Geben zu Laudenburg den 17. Februarii Sechszehen-hundert und drey Jahr.

Sic patrem secutus in feudo hoc WOLFGANGUS-ADAM de SCHWALBACH Anno 1603. haud diu mansit superstes; siquidem & ipse obiit Anno 1617. duobus ex se relictis Liberis, CASPARE-GERNANDO, & ANNA-URSULA, qui, quòd feudum natura suâ masculinum, factum fuisset promiscuum, ambo in illud simultaneè admissi sunt; tandem & Gernando illo, stirpis suæ ultimo, mortalitatis iter Anno 1633. ingresso, distracta est hæreditas, & feudum Eschershausen, cum ex parte obtigisset, ratione Annæ-Ursulæ de Swalbach, Stephano Ritter de Grunstein ejus conjugi, transiit postmodum in domum Nassowicam, consensum ad hoc præbente domino feudi directo. vid. Nassavv Comes.

SEIBLIN dict. BÖHEL.

vid. Wachenheim, Böhel, Blick de Lichtberg & Bechtolsheim. Feuda, quæ quondam Arnoldus de Wachenheim, dictus Böhel, tum & Fridericus Blick de Lichtenberg, nec non Nobiles de Bechtolsheim, ab Ecclesia Worm. tenuerant, ac possederant; hæc omnia, per obitum eorum aperta, successive contulit THEODORICUS Episcopus, in Cancellarium suum, GEORGIUM SEIBLIN, cum beneficio successionis promiscuæ, deinceps possidenda.

Horum itaque feudorum renovationem post obitum patris, obtinuerunt Anno 1595. ejusdem Filii: GEORGIUS-THEODORUS, CAROLUS, & DANIEL, eaque in eorum posteris etiamnum perdurant.

SICKINGEN.

vid. Thalheim. Jus patronatus in Dielheim, aliàs Duwelenheim, nec non decimæ ibidem, feudum Sickingiorum constituebant, quod ipsis, & Thalheimiis commune erat.

Hoc

Hoc, unà cum bonis, ac censibus quibusdam in Flamborn, tenuisse jam Anno 1412. reperitur HARMANNUS de SICKINGEN, cui successerunt

Anno 1418. PHILIPPUS de SICKINGEN.

Anno 1473. JOANNES de SICKINGEN.

Anno 1491. JOANNES de SICKINGEN.

Anno 1545. FRANCISCUS-CONRADUS de SICKINGEN.

Anno 1575. FRANCISCUS de SICKINGEN, feudi investituram innovans, tam pro se, quam & GEORGIO-WILHELMO, JOANNE-SWICARDO, FRIDERICO, & REINHARDO, Fratribus suis.

Anno 1596. FRANCISCUS de SICKINGEN, idem qui suprà pro se, Fratribus, & agnatis.

Anno 1598. SWICARDUS de SICKINGEN, quondam Francisci Filius, pro se, & agnatis.

Anno 1660. FRANCISCUS L. B. de SICKINGEN, pro se, & agnatis, quos inter recensentur JOANNIS-ARNOLDI de SICKINGEN, Lineæ Ebernburgicæ, relicti Filii: HENRICUS-OTTO, & FRANCISCUS-FRIDERICUS de SICKINGEN.

Anno 1720. DAMIANUS-JOANNES-PHILIPPUS L. B. de SICKINGEN, quà Familiæ senior, pro se, Fratre suo, & agnatis.

II. Alia insuper Nobili huic Genti fuêre feuda, sed quæ mox, ut collata, sic interiêre. Tale fuit Curtis in Erstat, quam a Wiperto de Neuhusen acquisitam, tenuit ac possedit Anno 1483. HENRICUS de SICKINGEN, ac post ipsum Filius ejus MARTINUS de SICKINGEN Anno 1485.

III. Tale, constituerunt bona quædam descendentia a Joanne de Fleckenstein, quæ postquam in SWICKERUM de SICKINGEN Anno 1484. translata fuissent ex autoritate domini directi, tandem Anno 1561. ad FRANCISCUM CONRADUM de SICKINGEN pervenerunt, in quo & desiisse videntur, juxta conditionem ejus investituræ litteris jam alias adjectam, quas proinde hic recitare juvat:

» Wir **Diethrich** von Gottes gnaden Bischoff zu Worms, bekennen —— Solche » Lehen, so **Hans** von **Fleckenstein** / von unsern Verfahren seligen, und stifft Wormbs » zu Mannlehen gehabt und getragen hat, und hernacher uff **Swickart** von **Sickingen** » kommen sint —— haben wir **Franz-Conrad** von **Sickingen** / Wylant genanten » Swicarten von Sickingen Encklen, zu rechten Manlehen gelihen —— und were es daz » Er, oder seine Lehens-Leibs Erben, ohne Lehenbar Leibs Erben abziengen, so sollen » dieselben Lehen an uns, unser nachkommen, und stifft zu Worms verfallen sein ohne » Widerrede ——

» Gescheen den Eilsten Augusti im funfzehen hundert ein und sechzigesten Jar.

SNIEDELOCH, de KESTENBURG.

PHILIPPUS, & JOANNES, quondam GEORGII SNIEDELOCHS relicti Filii, bonorum suorum feudalium in marca villæ Roxheim investituram accipiunt a FRIDERICO Worm. Episcopo, Anno 1427. per Provasallum suum HEILMANNUM SNIEDELOCH, ut constat ex hujus litteris:

„ Ich HEILMANN SNIEDELOCH von Kestenburg, Erkenne, daz ich „von dem Erwird. in Gott Vatter und Herren, Hern FRIEDERICHEN Bischoff „zu Worms &c. als ein treger PHILIPPS, und HANSEN, JORGEN SNYEDELOCHS von Kestenburg, myns bruder seligen söne, die nachgeschriben Le„hen zu rechtem manne-lehen enphangen han — mit namen: ein Hawe„busch von XXX. mansmat wiesen, und ein Fischwasser darinn in der marck „zu Roxheim gelegen. Item VII. phunt geldis zu Dirmstein &c. —

„ Dat. Anno Dom. MCCCCXXVII.

vid. Than. Hoc feudum, ut apertum, transiit, ex gratia domini directi, ad nobiles de Than sub Annum 1483.

STEIN.

vid. Hulchen. Anno 1485. FRIDERICUS de STEIN, tam pro se, quam & pro FRIDERICO de STEIN agnato suo investitur de tribus curtibus sitis in marca Brubach &c. quod feudum ipsis commune tunc erat cum nobilibus Hülchen de Lorch.

Occurrunt deinceps investiti de eodem feudo, ad Annum 1555. FRIDERICUS, quondam VICENTII de STEIN Filius, tum & agnatus ipsius ENGELHARTUS de STEIN.

Anno 1596. CHRISTOPHORUS de STEIN, pro se, & Fratribus suis JOANNE-GODEFRIDO, ANTONIO, & GEORGIO-WILHELMO investituram innovans, nec non pro agnato suo FRIDERICO de STEIN.

STEINACH.

Frequens CONRADI, & BLICKERI de STEINACH, Fratrum, mentio fit in diversis litteris Anni 1225., ut & 1232. & 1237. quibus sese ob Telonium in loco Steinach, aliaque bona, ac prædia circumposita, Vasallos Ecclesiæ Worm. profitentur; nec dubium, quin nobiles de Landschad iis magna ex parte substituti fuerint. vid. Landschad.

STOCKHEM.

Exstant JOANNIS de STOCKEIM litteræ datæ Anno 1406. in hæc verba:

„ Ich JOHANN von STOCKHEM erkenne mich daz ich diss nachgeschri„ben Lehen han und trage von dem Erwird. &c. Herren MATHEO Bischoff zu „Worms. und sim stiffte mit namen: ein Wingarten zu Obern-Ingelheim, „und das back-hus daselbs, und sal im darum verbunden sin, als ein man sinem „Herren —

„ Dat. Anno MCCCCVI. die I. Augusti.

vid. Leyen. Transit hoc feudum ad nobb. de Leyen, & Stumpff de Waldeck.

STRA-

STRALENBERG.

Conradus de Stralenberg, alienat Anno 1294. in favorem maj. Capituli Worm. decimam in Berlebach una cum jure patronatus in Heiligen-Cruz-Steinach; ut habent litteræ consensus Emichonis Episcopi Worm.

Aliud feudum, nimirum: bona in Hohenhart & Heidebach possedit ab Ecclesia Wormatiensi Joannes de Stralenberg, quæ consentiente pariter domino directo ad Nobiles de Helmstat translata sunt sub Annum 1460.

Verum, omnium præstantissimum fuit, arx Waldeck, quam Rennewartus de Stralenberg Anno 1316. Emericho Episcopo Worm. vendidit cum pacto reluitionis intra septennium, ut habent ejusdem litteræ, quas hic subjicimus:

„ Ich Rennewart von Stralenberg, verihen —— daz ich Waldecken die Burg, und die Herschafft die darzu gehoret mit walde, mit wasser, „und mit weyden, und allem dem recht als von alter bis hieher ist komen —— „die ich zu lehen han von dem Erwird. &c. Hern Bischoff Emerich von „Worms, und sime stiffte, verkoufft han recht und redelich dem vorgenanten „Hern Bischoff umb dusent phunt Heller —— auch verigen ich, daz der vor„genant Herre; an die vorgenant Burg anderthalp hundert phunt Heller ver„buhen mag in der zyt der siben jare die do angiengen an Sant-Georgen tag „—— in der zyt ich, adir myn Erben die vorgenanten Burg wider kouffen „mag ——

„ Dat. Anno Dom. MCCCXVI.

STUMPFF de WALDECK.

Feudum quod in superiori - Ingelheim Joanni de Stockhem datum fuerat Anno 1406. hoc paulo post Nobilibus Stumpff de Waldeck, nec non de Leyen traditum fuit communi manu possidendum. Hinc de eodem successive investiti reperiuntur post Hermannum Stumpff, primum acquirentem, Hermannus alter Anno 1472. vid. Stockhem.

Anno 1481. Joannes Stumpff.

Anno 1516. Conradus Stumpff.

Anno 1549. Joannes Stumpff.

SWENDE de WEINHEIM.

Fridericus Worm. Episcopus concessit Anno 1427. Eberhardo Swende annuum redditum XIX. modior. frumenti, in feudum Castrense deserviendum in arce Stein.

Successit deinde in eodem feudo Eberhardi relictus filius, Philippus Swende, qui per obitum suum, illud apertum relinquens, obtinuit ut saltem relicta ejus vidua Margareta Wambolt eo frueretur ad dies vitæ; obiit autem hæc Anno 1483. Sicque Ecclesia Worm. liberata fuit a præstando reditu annuo supradicto.



THALHEIM, ſive DALHEIM.

Decima vini in Huſen, & Schuſen, & Northeim avitum hujus gentis feudum conſtituunt, ut ex litteris ſequentibus innoteſcit.

„ Ich HELFRICH von THALHEIM, erkenne —— daz ich von dem Er-„wird. &c. Hern FRIEDERICH Biſchoff zu Worms &c. zu eym rechten Mann-„lehen enphangen han —— eyn virteil an dem Wyn-zehenden zu Huſen by „Brachenheim gelegen. Item, ein virteil an dem Wyn-zehenden gelegen an „der ſehe zu Schuſen &c. ——

„ Dat. Anno MCCCCXXVII.

Succedunt in hoc feudo poſt CONRADUM de THALHEIM, quondam Helfrici Filium, EBERHARDUS de THALHEIM Anno 1492. dein ſerius occurrunt ad Annum 1556. REINHARDUS, & CHRISTOPHORUS de THALHEIM, Fratres; quorum prior JOANNEM-ULRICUM Filium reliquit feudi hæredem, qui & Anno 1572. Chriſtophorum patruum ſupervixit, & uſque in Annum 1596. ſuperſtes reperitur.

vid. Sickingen. II. Aliud feudum, nempe: jus patronatus in Duwelenheim &c. genti huic commune fuit cum nobilibus a Sickingen; de eo enim jam Anno 1434. inveſtitus fuit MELCHIOR de THALHEIM, quem ſecuti ſunt ejus poſteri hoc fere ordine:

Anno 1485. EBERHARDUS de THALHEIM, quondam Melchioris Filius.

Anno 1534. MELCHIOR, & JOANNES de THALHEIM quondam Eberhardi Filii.

Anno 1555. MELCHIOR, & CONRADUS de THALHEIM quondam Melchioris prædicti Filii.

Anno 1584. ADAM, & JOANNES de THALHEIM, Fratres.

Anno 1593. PHILIPPUS-MELCHIOR de THALHEIM.

THAN, ſive DHAN.

vid. Sniedeloch. Feudum ex obitu Philippi Sniedeloch ſibi, ſuæque Eccleſiæ Worm. vacans contulit Joannes Epiſcopus ULRICO de THANN, ejusque ex Fratre nepoti, ut conſtat ex litteris ſequentibus.

„ Ich ULRICH von THAN, bekennen —— daz der Hochwird. Furſt in „Gott vatter und Herr, Herr JOHANS Biſchoff zu Worms &c. angeſehen hat „ſolich danckneme getruwe dinſt, ſo ich, und myns bruder PHILIPS von „DHAN ſeligen Kinde, ime, und ſinem ſtifft in kunftigen zyten tun ſolln und „mogen, und hat uns ſolich Lehen, ſo PHILIPPS SNEDELOCH von Kiſten-„burg, unſer ſtieff-vatter ſelige, von ſinen furfaren und ſtiefft Worms zu man-„Lehen getragen hat, die im, und ſinem ſtifft dann von ſinem abgang verſal-„len und ledig worden ſin, als fur verfallen Lehen, die ſin gnade uns, und un-„ſer beider rechten Libs-manLehens Erben von beſundern gnaden geluhen hat, „von ſin gnaden enphangen han —— mit namen: ein Hawbuſch von XXX. „mansmat wieſen &c.

„ Dat. Heidelberg Anno MCCCCLXXXIII.

Inveſtituram feudi hujus renovant Anno 1536. BERNARDUS, & CHRISTOPHORUS, agnati de THAN.

Anno 1570. PHILIPPUS, & CHRISTOPHORUS de THAN, Fratres, nec non pro relictis ex Chriſtophoro agnato liberis JOANNE-CHRISTOPHORO, & LUDOVICO, de THAN.

ULNER,



ULNER, aliàs ULER de DIEPURG.

nter alia bona, quæ Nobilis hæc Gens in feudum possedit ab Ecclesia Wormatiensi, recensentur XXVIII. Jugera Terræ araturiæ in marca Ladenburgensi, ut HARTMANNI ULNER litteræ reversales id innuunt.

„ Ich HARTMAN ULER von Diepurg, bekenne — daz ich von „dem Hochw. in Gott Vatter, und Herren, Hern REINHART, Bischoff „zu Worms &c. diese nachgeschribene Guter von myn, und myns Bruder „seligen Kindere wegen, zu eynem rechten Manlehen entphangen han, „mit Namen: fier und zwenzig Morgen Ackers, und fier Mansmat Wie„sen, die sint Acker worden — in Ladenburgermarck &c. —

„ Geben Dornstag, nach den heiligen drey Konig - Tag Anno Dom. „MCCCCLXXII.

Obtinent feudi hujus renovationem Anno 1503. ULRICUS ULNER.

Anno 1517. PHILIPPUS, & ULRICUS ULNER quondam Ulrici Filii.

Anno 1554. PHILIPPUS ULNER, pro se, & relictis ex Ulrico Fratre liberis, PHILIPPO, & HARTMANNO ULER.

Anno 1561. THOMAS ULNER, pro se, & agnatis.

Anno 1564. PHILIPPUS ULNER pro se & Fratre suo HARTMANNO, tum & pro relicto ex Thoma Ulner, agnato LUDOVICO.

Anno 1596. EBERHARDUS ULNER, pro se, WOLFGANGO-ULRICO Fratre, nec non HARTMANNO agnato.

Anno 1603. relicti ex Eberhardo Ulner minorennes liberi PHILIPPUS-FRIDERICUS, & JOANNES-GERNANDUS, sub tutela Joannis - Georgii Croneberg.

Anno 1623. JOANNES-GERNANDUS ULNER, solus superstes.

UTZLINGEN, seu UTZLINGER.

Tertiam partem decimæ in Berwangen, aliaque bona ibidem recipit Anno 1410. in Feudum ab Worm. Episcopo JOANNE, JOANNES UTZLINGER; quem in eodem feudo sequuntur ejus posteri hoc fere ordine:

Anno 1459. SIMON UTZLINGER, feudum innovans in modum, qui sequitur:

„ Ich SIMON UTZLINGER bekenne — daz ich von dem Hochw. „&c. Hern REINHART Bischoff zu Worms &c. dise nachgeschriben Le„hen von myn, und HANSEN-, GERHARTS, und FOLCK UTZLINGER,

„mynen Vetternwegen, zu rechtem Manlehen entphangen han —— zum „ersten: ein dritteil am zehenden zu Berwangen &c.

„ Dat. Anno MCCCCLIX.

Anno 1470. FOLCKO UTZLINGER, pro se, & relicto ex SIMONE filio, JOANNE UTZLINGER.

Anno 1486. JOANNES & WERNHERUS UTZLINGER agnati.

Anno 1518. FOLCKO UTZLINGER recognoscit, ac simul ratum habet, tam suo, quam fratris, ac agnatorum nomine, contractum Wernheri patris sui, per quem bona illa feudalia alienavit in gratiam Philippi & Joannis de Helmstat.

vid. Helmstat.

„ Ich **Volck** von **Utzlingen**, bekenne —— so als der vest **Wernher** von **Utzlingen** „min lieber Vatter umb sonderlich sein auch mein, und meins bruders, und aller unser Erben „nutz und notturfft willen, seinen theil am zehenden zu Berwangen groß und klein &c. wie er „das alle von mynen gnedigen Herren von Worms &c. zu manlehen getragen und von seinen „Eltern und furfahren uff ihn kommen —— mit desselben myns gnedigen Herren von Worms, „auch siner gnaden Dhom-Capitell zu Worms zulassung, willen und verhengnis umb neunt-„halb hundert gulden haupt-gelts, verkaufft —— das ich vor mich, und alle myn Erben in „solchen kauff, wie obstet, gewilliget ——

„ Dat. Anno MDXVIII.

VENNINGEN.

JOANNES & SWICKERUS de VENNINGEN tenebant, quisque pro medietate, villam Rosbach cum attinentiis suis, in Feudum ab Ecclesia Wormatiensi, ut constat ex Litteris Anni 1406. accessit Feudum aliud nimirum Curtis in Wibstat, quæ fuerat illorum de Kircheim. Utriusque autem Feudi hujus innovationem tam pro se, quam & agnatis suis obtinuisse adhuc Anno 1445. EBERHARDUM de VENNINGEN, testantur ejusdem litteræ sequentes:

„Ich EBERHART von VENIGEN, der junge; EBERHARTS seligen sone, „bekenne —— daz ich die nach-geschriben Lehen, mit namen: das Dorff „Rorbach gantz, mit walt, wasser, weyde, Gerichte und Vogty, nust mit „usgenomen; und auch den Hoiff zu weibstat mit allen zugehorunge, von „myns selbs, und auch, als ein treger, myns Vettern seligen Kinden, Die-„thers von Vennigen, von dem Erwid. in Gott Vatter und Herren, Herren „REINHARTEN Bischoff zu Worms &c. Zu eym rechten mann-lehen ent-„phangen han —— Datum Laudenburg Anno MCCCCXLV.

vid. Giltingen.

Alienatâ autem curte in Weibstat, remansit Villa Rorbach, quæ & nobili huic Venningiorum prosapiæ deinceps constanter attinuit, ut successionis ordo id demonstrat.

Anno 1489. GEORGIUS de VENNINGEN, Eberhardi junioris quondam Filius, investitur simul cum agnato.

Anno 1506. JOANNES de VENNINGEN, quondam Georgii Filius.

Anno 1526. LUDOVICUS de VENNINGEN.

Anno

Anno 1541. EBERHARDUS de VENNINGEN, pro se, nec non fratribus suis JOANNE, & LUDOVICO, quondam Ludovici filiis. Sub quibus reaccessit curtis Weibstat, ut ex litteris clientelaribus constat; idque innuere videntur litteræ Theodorici Episcopi, per quas concedit Ludovico de Venningen juniori supradicto, ut conjugi suæ dotalitium constituere possit.

„ Wir **Dietrich** von Gots gnaden Bischoff zu Worms ꝛc. bekennen —— daß wir dem
„ vesten unserm lieben getrewen **Ludwigen** von Venningen, daß er die edle und tugent-
„ same **Clar-Annam** von **Neipperg** seine ehliche Haußfrauw uff dem dorff Rorbach,
„ mit siner zugeherden ꝛc. wie solches von uns, und unserm stifft, neben anderen, zu Man-
„ lehen gehet, und ruret, mit XV.^c. gulden hauptgelt, und LXXV. guten gulten jarli-
„ cher nutzung bewidmen und bewisen moge —— also were es sach daß der obgemelt Ludwig
„ todts wegen ehe abginge, dann die vorgenant Clara, sein gemahlin, so soll die selbige ir leb-
„ tag auß, und nit langer ihren besitz und leibzucht bey vorgemelter Summen ꝛc. genneßen,
„ als Widdumbs-recht, und gewonheit ist ——
„ Anno MDLXV.

Succedunt Anno 1576. post Ludovici hujus obitum, Filii ejus LUDOVICUS, & JOANNES, tum & relicti ex altero Filio EBERHARDO liberi: GEORGIUS, JOANNES-CHRISTOPHORUS, & PHILIPPUS-CHRISTOPHORUS; omnes de VENNINGEN.

Anno 1579. JOANNES CHRISTOPHORUS, ac una cum ipso ejus agnati. Obtinuit autem ex his PHILIPPUS CHRISTOPHORUS de VENNINGEN Anno 1587. ut uxori suæ AGNETI de DIENHEIM constituere possit super Feudo suo Rorbach dotalitium ter mille Florenorum.

Anno 1660. PHILIPPUS-LUDOVICUS de VENNINGEN quondam EGENOLFI Filius; tum & agnati ejus Anno 1680. GEORGIUS-SIGIFRIDUS de VENNINGEN & Agnati XI. Anno 1708. EBERHARDUS-FRIDERICUS de VENNINGEN investituram innovat pro se, & Fratre suo JOANNE-AUGUSTINO, nec non agnato suo GEORGIO-FRIDERICO de VENNINGEN.

Anno 1712. JOANNES-AUGUSTINUS pro se & agnatis suis GEORGIO-FRIDERICO, & CAROLO de VENNINGEN.

Anno 1718. obeuntibus Georgio-Friderico, & Carolo de VENNINGEN, hujusque Filio unico JOANNE-WILHELMO, solus ex nobili prosapia superstes mansit CAROLUS-FERDINANDUS, supradicti Georgii-Friderici Filius; qui & de Feudo investitus, diem supremum clausit Anno 1731. duobus relictis minorennibus liberis, quorum unus patrem proxime secutus est.

VENINGEN

FLORENTIO de VENINGEN, Electoris Palatini Cancellario, assignaverat Anno 1534. Henricus Administrator Worm. redditum annuum XX. modior. frumenti, super universis proventibus suis in Dirmstein, quod Feudum gratiæ, ipsi Florentio, nec non ejus masculæ stirpis hæredibus concessum, idem Princeps-Episcopus, postmodum, anno videlicet 1539. etiam

 ad

ad Florentii sæpedicti germanos Fratres extendit, nimirum PHILIPPUM, & JOANNEM-EBERHARDUM de VENNINGEN.

Successit autem, post obitum primi acquirentis Anno 1549. Filius ejus FLORENTIUS-PHILIPPUS qui per provasallum suum Petrum Nagel de Dirmstein, feudi renovationem tam pro se, quam & pro patruo suo PHILIPPO de VENNINGEN obtinuit.



WACHENHEIM.

Tria sunt nobilis hujus Gentis feuda, quæ ab Worm. Ecclesia possidet; primum, atque adeo reliquorum antiquius, Castrense est in New-Leiningen, vacans ex obitu Hessonis Landgravii de Leiningen, quod JOANNES de WACHENHEIM usque ad annum 1488. obtinuisse reperitur, quo tempore ipsi in eodem successit Filius ejus JOANNES; accessit deinde feudum, de quo, tanquam provasallus uxoris suæ Agnetis de Leyen, investitus fuit Anno 1522. PETRUS de WACHENHEIM. vid. Leyen.

Denique, & tertium feudum occurrit in JOANNE MARTINO de WACHENHEIM, qui eo quod Christinam de Scharffenstein, quondam Eberhardi Dhun de Leyningen relictam viduam duxisset in conjugem, bona feudalia ex obitu Friderici Dhun, prioris Eberhardi Fratris, obtinuit Anno 1562. cum beneficio successionis promiscuæ, ut patet ex litteris sequentibus. vide Dhun.

„ Wir Dietherich von Gotts gnaden Bischoff zu Worms ꝛc. bekennen — „ demnach durch absterben Weylant des Edlen Friderichs Dhunnen von Leyningen se- „ liger nachgeschriben Burg-Lehen zu New-Leiningen, uns, und unseren Stifft heimge- „ fallen; daß wir hierauff den Vesten unseren lieben getrewen Hans-Martin von „ Wachenheim auff sein unterthanig bittlich ansuchen, und seiner getrewen nutzlichen „ Dienst-willen ꝛc. berurt eroffnet Burg-Lehen, zu Erb-Lehen auff Söhne, und Döchter, „ von newen gnediglichen nachfolgender gestalt angesetzt und geluhen haben, also daz Er „ und sine Ehliche Leibs-Erben Söhne und Döchter, sollen hinfuro solche Lehen-Stuck, „ beneben den Graffen von Leiningen und Herren zu Westerburg, haben, tragen soll ꝛc. „ Dat. Ladenburg den XX. Augusti Anno Dom. MDLXII.

Successit Joanni-Martino patri, WOLFANGUS de WACHENHEIM Filius, Anno 1584. quo pariter vitâ functo, venêre in hæreditatem Anno 1597. relicti ejus liberi, sub tutela Joannis-Henrici Schenck de Schmidberg; OTTO-NICOLAUS, HENRICUS-MARTINUS; PHILIPPUS-FRIDERICUS, PHILIPPUS-HENRICUS, MAGDALENA, CHRISTINA, & ELISABETHA, omnes de WACHENHEIM.

Tum, Anno 1617. post obitum Ottonis-Nicolai succedunt JOANNES-MARTINUS, PHILIPP-FRIDERICUS, & PHILIPPUS-HENRICUS, ejus Filii.

Anno 1660. Emicho de Leyen, tutorio nomine investitur pro relictis, ex OTTONE-LUDOVICO de Wachenheim, minorennibus liberis, eorumque agnatis.

Anno 1673. PHILIPPUS-HENRICUS de WACHENHEIM quondam OTTONIS-LUDOVICI Filius minorennis sub tutela Ernesti Weissman constitutus.

Anno

Anno 1684. CHRISTOPHORUS-FRIDERICUS L. B. de WACHENHEIM, qui obiens Anno 1709. Filium suum, JOANNEM-PHILIPPUM, reliquit hæredem. Hic contractu cum agnatis inito, feudum, de consensu Domini directi, integre sibi soli acquisivit, suisque liberis; unde quod obiens prole mascula careret, illud ad ambas Filias suas MARIAM-CECILIAM, & MARIAM-CATHARINAM, de WACHENHEIM transmisit, quæ & de eodem investitæ reperiuntur ad annum 1724.

WACHENHEIM dict. BOEHEL.

Exstant Joannis de Wachenheim litteræ reversales, datæ Anno 1432. in hæc verba:

„ Ich HANS von WACHENHEIM, den man nennet von Böhel —
„bekenne daz mir der Erwird. in Gott Vatter, Herre FRIDERICH Bischoff
„zu Worms &c. mir die sunderlich gnade getan hat, und hat mir und mei-
„nen Libs-Lehenber Erben — diss nachgeschriben Lehen, die der veste
„Johann Kolb von Wartemberg dem obgenanten mym gnedigen Herren,
„mit sinem versigelten Brieffe off gesagt hat, zu eym rechten Man-Lehen
„geluhen — mit Namen zwo Ame Wines, uff dem bede zu Lamer-
„scheim, item IIII. Unz Heller &c. —

„ Dat. uff Sant Simonis und Jude Tag Anno MCCCCXXXII.

Ejusdem hujus feudi renovationem, post obitum parentis sui Joannis obtinuit Anno 1443. Filius ejus ARNOLDUS, per provasallum suum Joannem de Geilnheim.

Exceperunt deinde Anno 1501. Arnoldum ejus Filii, sub Tutela Henrici de Konigsdorff constituti, quorum Senior, JOANNES de WACHENHEIM, idem Feudum Anno 1508. denùo recognoscit, tam suo, quam & Fratrum suorum nomine.

Anno 1526. ARNOLDUS de WACHENHEIM, junior, acquisita a Petro Krebs, tam grossa quam minuta decima in Bohel; feudum hoc de consensu Domini directi, cum priori conjunctum aliquamdiu possedit, donec Anno 1563. obiens absque liberis, utrumque reliquit apertum. vid. Seiblin.

WALDECKER.

Obeunte Anno 1704. Joanne-Nicolao de Croneberg sui stemmatis ultimo, feudum quod a majoribus acceptum, hactenus & ipse possederat, ad Wormatiensem Ecclesiam reversurum fuerat; ni ex defuncti Hæredibus JULIANA-BARBARA BOOSS de WALEDECKER se se opposuisset, eo quod a supradicta stirpe ortum traheret. Re itaque mature examinata, placuit tandem Domino directo, bona vacantia, per modum novi feudi Anno 1711. conferre. Duobus Julianæ Filiis, cum beneficio substitutionis quoad fructus feudi in casum quo hos prædefungi contingeret absque prole mascula. Benefici Principis factum fusius exprimunt litteræ ejus sequentes. vid Croneberg.

„ Wir **Frantz Ludwig** von Gottes Gnaden Administrator **des Hoch-Meisterthums**
„ in Preussen, Meister Teutsch-Orden xc. Bischoff zu Worms, xc. Bekennen —
„ als nach tödtlichen Abgang **Daniels von Muttersbach** / als seines Nahmens und
„ Stammens letzten, sein Dochter-Mann **Hartmud von Croneberg** der Jüngere, zwar
„ von newen von unsern Vorfahren am Hoch-Stifft Wormbs, Bischoff Philippsen mit
„ Consens unsers Wormbsischen Dhom-Cappitel vor sich, seine Mannliche Descendenten,
„ und Töchter, gegen Erlegung 1500. fl. mithin, titulo oneroso, seines Swiger-Vatters apert
„ gewordenen, Wormsische Lehen erhalten, aber darauf auch sein Hartmuts des jungern von
„ Croneberg Töchtern, und nach selbigen der Cronebergische Manns-Stamm Anno 1704.
„ mit **Johann Niclas von Croneberg**/als den letzten dieses Nahmens ausgestorben und
„ die von uns, und unsern Hoch-Stifft Wormbs zu Lehen getragen und gehabte Lehen-
„ Stücke abermahlen eroffnet und anheim gefallen. Das wir auf der Wohlgeborn Frauen
„ **Julianä Barbarä Booß von Waldeck** Wittib demütigst embsiges Ansuchen, auch un-
„ sers Dhom-Capitels erlangten Consens, den Wohlgeboren, unsern lieben Getrewen, ge-
„ dachter Wittib Söhnen, **Johanni Hugoni**, und **Philipps Carlen von Waldeck** vor sich
„ und ihre Mannliche Descendenten, die hernach beschrieben und specificirte Lehen-Stucke
„ von newem, und ex nova gratia zu einen Mann-Lehen gnädigst gelihen han — Wir ha-
„ ben auch mehrermelter Frau Wittib von Waldeck noch weiter zugestanden und bewilli-
„ get, daß nicht allein bey Lebzeiten ihrer beyder Söhne oder den Mannlichen Descendenten,
„ sondern auch auf den Fall dieselben vor ihr Frau Wittib, ohne Manns-Leib-Erben mit
„ Tod abgehen, und uns die Lehen wieder heimfallen solten/ sie Frau Wittib von Waldeck
„ dennoch die Lehen Guter ad dies vitæ geniessen sollen und wir und unsere Nachfolger
„ am Hohen-Stifft solche Lehen letzten falls, als apert an zu sprechen und einzuziehen nicht
„ ehender als biß nach ihr der Frau Wittib todlichen Hintritt Fug und Macht haben sol-
„ len — geben zu Wormbs den zehenden Januarii im Jahr Eintausent Siebenhundert
„ und Eilff.

WALTERDORFF

vid. Waltpot de Pfaffendorff.

Vacaverat Ecclesiæ Wormatiensi ex obitu Melchioris Waltpott de Paffendorff Anno 1622. insigne prædium Mulenbach cum attinentiis ac jurisdictione omnimoda &c. quando illud idem Anno 1625. Georgius-Fridericus Worm. Episcopus, de consensu majoris sui Capituli, contulit ex mera gratia Joanni-Petro de Walterdorff, in modum novi Feudi deinceps possidendum, ac transmittendum ad posteros suos. Litteras primæ investituræ hic subjicimus:

„ Wir von GOttes Gnaden **Georg-Friederich** Bischoff zu **Wormbs** xc. beken-
„ nen — Nachdem uns, und unserm Stifft Wormbs durch Absterben beyder der Ve-
„ sten unsern Lieben Getrewen **Philipps** und **Melchior Waltpotten von Pfaffendorff**/
„ Vatter, und Sohns, als letzten ires Stamm und Nahmens, diejenige Lehen-Stuck so
„ sie von uns und unserm Stifft erkentlich gehabt xc. eroffuet und heimgefallen — daß
„ wir angesehen unsers Lieben Getrewen **Johan Peter von Walterdorff** pitlich ersuchen,
„ und unsers Domb-Capituls zu Worms da uber erlangte Bewilligung — solche Pfaf-
„ fendorffische uns heimgefallene Lehenstuck — ihme, und seinen Manns-Lehens Erben,
„ zu rechten newen Mann-Lehen gelihen, leihen ihm die auch hiemit und in Crafft dieses
„ Brieffes xc. Meinze den 18. Januarii im Jahr als man zalt Sechzehenhundert und
„ zwantzig funff.

Successerunt itaque deinceps in hoc Feudo post obitum Joannis-Petri Anno 1655. ejus Filii: Emmericus-Fridericus, Wildricus, Joannes-Philippus, & Georgius Fridericus LL. BB. de Walterdoff.

Anno

Anno 1661. JOANNES-PHILIPPUS B. de WALTERDORFF qui suprà & reliqui.

Anno 1682. JOANNES-PHILIPPUS, nec non EMERICUS-FRIDERICUS, PHILIPPUS-WILDERICUS, WILHELMUS-REINHARDUS, & CAROLUS; omnes respective Fratres & agnati B.B. de WALTERDORFF.

Anno 1695. PHILIPPUS-WILDERICUS, WILHELMUS-REINHARDUS, & CAROLUS, B.B. de WALTERDORFF.

Anno 1709. post obitum Wilhelmi-Reinhardi succedit Frater ejus CAROLUS, qui iterum Anno 1712. Feudi renovationem pro se & suis obtinet; ac demum humanis ereptus

Anno 1722. illud transmittit in Filios JOANNEM-HUGONEM, CAROLUM-CASPARUM, JOANNEM-PHILIPPUM, LOTHARIUM-WILHELMUM & JOANNEM-PETRUM. B.B. de WALTERDORFF qui & de eodem investiti fuêre Anno 1723. proxime sequenti.

WALTPOT de PFAFFENDORFF.

Prædium Mullenbach cum attinentiis, nec non decimæ medietas in Schelmenhausen, aliaque, avitum hujus nobilis prosapiæ Feudum fuerunt; siquidem illud ex obitu parentis sui FRIDERICI ad se devolutum suscipit ex Joannis Worm. Episcopi manibus RULLMANNUS WALTPOT Anno 1486. pro se, ac Fratribus suis, ut constat ex Litteris sequentibus:

„Wir JOHANN von Gots gnaden Bischoff zu Worms, bekennen — daz „wir unserem lieben getrewen, RULMAN WALTPOTT von PFAFFEN-„DORFF, FRIDERICHS seligen sohn, diese nachgeschribene Lehen, von „sein, und ander seiner Bruder wegen, zu rechtem manlehen geluhen „han — Zum ersten: Mulenbach, Herschafft, Geiicht, Vogtey, Was-„ser &c. Item den zehenden halb zu Schelmenhausen &c. und hierauff hat „uns der vorgenant Rulman, mit trewen globt &c. geben zu Francfurt „Anno Dom. MCCCCLXXXVI.

Rulmannum in hoc Feudo excepisse videtur MARCUS WALTPOT, cujus mentionem faciunt Litteræ anni 1550. huic autem FRIDERICUM Filium successisse certum est; id enim demonstrant Friderici ejusdem Litteræ anni 1577. qui illi omnium supremus fuit.

Succeffit deinde PHILIPPUS WALTPOT, cui post obitum surrogatus est in Feudo MELCHIOR Filius, verum, hoc absque liberis defuncto, Feudum declaratum fuit apertum. vid. Walterdorff.

WARTDORFF, seu WERTORFF.

JOANNES de WARTDORFF recognoscit Anno 1408. se in Feudum ab Ecclesia Worm. tenere, medietatem decimæ in Eschershausen, tam in vino, quam frumento; nec quidquam ulterius sibi a majoribus transmissum fuisse, ut ingenue testatur per Litteras suas, quas hic subjicimus:

„Ich

„ Ich Henn von Wartdorff erkenne —— daz ich von dem Er- „wird. in Gott Vatter und Herren, Hern Mathæo Bischoff zu Worms, die- „sen nachgeschriben Zehenden zu Lehen trag, mit Namen: den Zehenden „halben an Wyn und Korn zu Eyschershausen; und weiss auch zu dir „Zyt nit me, erfuhr ich aber edt me, daz wolt ich mym obgenanten gne- „digen Hern gern verkunden ——

„ Geben zu Heidelberg Anno MCCCCVIII.

Occurrit deinceps in hoc feudo ad annum 1483. Joannis Wartorff prædicti, ex Joanne Filio, Joannes Wartorff nepos.

WAISS, seu WEISS de FURBACH.

vid. Clée. Tacitum, eumque illicitum contractum inierat cum Ogerio de Cleén; Philippus Weiss, vigore cujus, etiam bona feudalia, quæ ille ab Ecclesia Wormatiensi possidebat, sibi arrogare contendit. At res longe aliter evenit, obeunte enim Ogerio ad annum 1520. Feuda ejus, ex singulari gratia cesserunt Theodorico de Cleé ejus agnato ad dies vitæ, quibus absolutis, denuò vacarunt; ac tuuc demùm, novo cum Ecclesia Worm. contractu inito, idem supradictus Philippus in feuda illa admissus est, unà cum vid. Lerch. Casparo Lerch, hujusque hæredibus deinceps per simultaneam investituram, ab ipso pari lege possidenda.

Successit itaque Anno 1580. in Philippi, avi sui paterni, feudum hoc, etiam Joannes-Caspar Weis, quo absque liberis defuncto, feudum vid. Schöneburg. ejus Anno 1593. collatum fuit Joanni-Richardo de Schöneburg, dum ejusdem usus fructus relictus est Amaliæ natæ de Carben defuncti Joannis Casparis Conjugi, ad dies vitæ.

WYLER, alias WILRE, & WILR.

Plura fuêre huic Nobili Genti feuda, quorum antiquius demonstrant litteræ sequentes.

„ Ego Marquardus Nobilis de Wilre recognosco me habere & „possidere in Feodo partem decimæ vini in terminis villæ Nosloch —— quæ „quidem decima ab Episcopatu & Ecclesia Worm. in feodo derivatur; & „me Marquardus unà cum consensu Godefridi Fratris mei concessisse hu- „jusmodi decimam Sigeloni de Wattenheim, & Joanni de Frisenheim, militibus, ministerialibus Ecclesiæ Wormatiensis; ut hi duo „portent homagium nomine Decani & Capituli Ecclesiæ Worm. pro ejus- „modi feodo per annum & diem, sicut feodi consuetudinis est & juris, qui- „bus anno & die elapsis dicti milites ab hujusmodi homagio remanent ab- „soluti —— Dat. Anno MCCXCVI.

Hæc prædicta bona, unà cum reliquis, quæ Nobiles de Wilre tunc ab Ecclesia Worm. in feudum possidebant, translata fuêre in Decanum, ac Capitulum Worm. titulo venditionis; factum probante Emerico Episcopo per litteras datas Anno 1315.

II. Aliud feudum, videlicet: partem decimæ in Frankenbach &c. Andreas Wilre reperitur possedisse; siquidem illud refutat Anno 1427. in favorem Dietheri Filii sui, qui & de eodem mox investitur.

III.

III. Accessit & tertium Feudum, quod vacans ex obitu Joannis de Monshein, contulit anno 1468. REINHARDUS Episcopus Wormatiensis BALTHASARI de WILRE, cum beneficio successionis promiscuæ deinceps possidendum; ut testantur ejusdem Balthasaris Litteræ reversales.

„ Ich BALTHASAR von WYLER, bekenne — daz der Hochw. Furst „ in Got Watter und Herre Her REINHARD Bischoff zu Worms &c. mir „ von besonder Gnaden diese nachgeschribene gutere, nemlich: den hal„ ben zehenden zu Eberzheim, item XXIX. morgen ackers doselben, „ item ein Weingarten &c. item Hus und Hoff mit sinem Begriff zu „ nuwen Leyningen die HENNE von MONSHEIM selig ingehapt hat, und „ mym gnanten gnedigen Herren, und sim Stifft Worms, von DIEMUT „ von KIEDENHEIM, seligen, (die desselben Herren seligen eelich Hus„ fraw gewesen, und ir Leptag lang daruff verwidempte geweft ist, ir „ Lepzucht davon zu haben) verfallen sin, mir und minen Erben, Sonen, „ und Döchtern &c. zu Erb-burg lehen zu new-Leiningen gemacht, und ge„ luhen hat ——— dat. Anno MCCCCLXIIII.

Feudi hujus, post obitum Balthasaris, Anno 1483. suscipiunt investituram duæ ejus relictæ Filiæ: MARGARETA, & CATHARINA de WILRE, per provasallum suum, Ludovicum Slor de Lutren. vid. Hauben.

WINGARTEN.

JOANNES de WINGARTEN recognoscit Anno 1428. se tenere in Feudum ab Ecclesia Wormatiensi, partem aliquam decimarum in Guglingen, ut habent ejus Litteræ:

„ Ich HANS von WINGARTEN bekenne daz ich von dem Erwird. in „ Gott Vatter und Herren, Hern FRIEDERICH Bischoff zu Worms &c. zu „ eym rechten Manne-Lehen entphangen han — das sechste teil der „ Frucht zehenden in dem Sloss und marcke gnant Guglingen &c. geben. „ Sambstag nach dem heiligen Jars Tag. Anno dom MCCCCXXVIII.

Idem Feudum suscepit postmodum Anno 1483. OTTO de WINGARTEN, tam pro se, quam & relicto, ex JOANNE Fratre Filio CHRISTOPHORO de Wingarten.

WITSTATT dict. HAGEBUCH.

CONRADI de WITSTATT ambo relicti Filii, PHILIPPUS & CONRADUS, more majorum, feudi sui, consistentis in parte decima vini in Northeim &c. renovationem obtinent Anno 1483. per provasallum suum Philippum de Witstatt.

Successit in eodem, supradicti junioris Philippi Filius, CONRADUS de WITSTATT Anno 1555. quo anno ipsi Feudum aliud de Camera, obtigit, videlicet XXXV. Flor. ut ex Litteris sequentibus:

„ Wir Diethrich von GOttes Gnaden Bischoffen zu Worms ꝛc. bekennen — „ daß wir den Vesten unseren lieben getrewen Conrad von Witstatt, genant Hagen„ buch, Philipsen seligen Sohn, zu einem rechten Mann-Lehen geluhen han —

„ dreyssig funff Gulden Man-Gelts, jährlichen, auff unser lieben Frawen gepurt-tag,
„ vier Wochen vor, oder nach, auff unser Statt Lauderburg, zu Entphangen —— das
„ Anno MDLV.

Utrumque Feudum, ad se ex obitu Conradi parentis sui devolutum, recipit Anno 1570. PHILIPPUS de WITSTATT.

WOLFFSKELE.

Arcem Huchelnheim, cum attinentys suis universis, olim in Feudo descendisse ab Ecclesia Wormatiensi, destantur Litteræ sequentes.

„ Ich PHHILIPPS von WOLFFSKELE bekennen —— daz ich von dem
„ Hochw. in Gott Vatter und Herren, Hern JOHANS Bischoff zu Worms &c.
„ diese nachgeschrieben Lehen, die dan HANS von WOLFFSKELEN, myn
„ Vatter selyg, auch von siner gnaden Furfarn, und Stifft getragen hat,
„ mit namen: die Burge Huchelnheim, mit furhoff, und graben, und
„ was von alter her zu dem Borg gehort &c. zu Lehen entphangen habe——
„ dat. zu Oppenheim Anno MCCCCLXXXIII.

HISTO.

HISTORIÆ
EPISCOPATUS WORMATIENSIS
PARS TERTIA.



NAscentis Ecclesiæ Wormatiensis indicare Antistites, haud quaquam facile est; cum in magna illa temporum caligine Scriptores etiam antiquissimi nihil fere lucis nobis suffundant: recentiores vero, tot male consutis narrationibus inflati reperiantur, ut vix quidquam veri ex iis erui possit; sunt enim, qui speciosorum avidi, id potissimum contendisse videntur, ut illustrium per Germaniam Sedium Episcopalium institutiones, prisco splendori, ac potentiæ, quibus olim ipsæ urbes, sub Romanis Cæsaribus effulserant, adæquarent, earumque initia facerent augustiora; proin, Wormatiæ nostræ Primatum quendam tribuere non dubitarunt, quod eam, saltem medio ævo, totius Provinciæ, seu Pagi illius, sub quo etiam Moguntia comprehendebatur, caput fuisse noverant.

Huic systemati ansam inter primos dedisse potuit Othlo, Scriptor Sæculi XI. dum in favorem Bonifacii, Ecclesiam Moguntinam, *quæ prius* (inquit) *alteri subjecta erat*, in Metropolim erectam vult; licet subjectionem illam, quæ fortassis respectum aliquem ad Coloniam tunc habuerat, non expresserit; verum Anonymus ille, qui gesta Trevirorum usque in Annum MCXXXII. complexus est, de eodem supradicto Bonifacio agens, expressis verbis contendit, quod ante hujus tempora, *Moguntini Episcopi, suffraganei erant Wormatiensium Episcoporum.* Quam sententiam amplexi deinde Albertus Stadensis Abbas, Sifridus Presbyter, Theodoricus Engelhusius, Guillelmus Eysengrein, Franciscus Irenicus, Freherus, Bruschius, aliique, eam non tam veritatis, quam antiquitatis autoritate suffultam, longa traditione ad Posteros transmisêre, simul cum versu sequenti:

Othlo in vita Bonifac.

vide Leibniz access. Histor.

„ *Ecce Moguntinis almæ dat Episcopus urbis*
„ *Culmen Metropolis, quod erat Tibi Guarmaciensis.*

Verum; cum nulla sat plausibilis appareat ratio, cur? aut quando? prior ex his duabus Ecclesiis, alteri subjecta fuerit; siquidem adhuc Anno Christi CCCXLVI. in Agrippinensi Concilio, suum utraque præsentem habuerit Antistitem, non dignitate, aut charactere, sed solo nomine ab invicem distinctos; hæremus in tenebris, quas nec inter modernos Autores satis discussit Cointius, quod enim narrat; Clodovæo regnante, Metropolitanum utriusque Germaniæ exstitisse Crotoldum Wormatiensium Episcopum, hujusque successores reliquos ad usque Amandum inclusive, præcellenti hac qualitate effulsisse; Amando autem defuncto, Germaniam caruisse Archiepiscopo usque in Annum DCCXLII. quo Bonifacius ordinatus fuit; debuerat id omne solidis evincere testimoniis; alioquin, si meras adhibere liceat conjecturas, iisque inhærendum sit, nemini, qui ante ipsum scripserunt, Fides sua in his quoque erit adjudicanda.

Carolus Cointius annal. Eccles.

Profectò; quicunque peritus est rerum æstimator, facile mecum sentiet, neminem unquam inoffenso pede in ipsam penetrasse antiquitatem, nisi duce ad hoc usus fuerit scriptore antiquo, hoc autem nos destituente, iter illud ingredi non expedit; proin, quæ circa Archi-Episcopatum Wormatiensem vulgus jactitat, in medio relinquentes, seriem adducimus eorum, qui Ecclesiæ huic primitus dicuntur præfuisse. Tales autem sunt

VICTOR
AMANDUS I.
CAROLUS
CHROTOLDUS
RUPERTUS
AMANDUS II.

Ut autem ab omnium primo Commentarios nostros ordiamur; constat ipsum Anno Christi CCCXLVII. interfuisse concilio, ex autoritate Julii I. Pont. Max. Coloniam convocato, hancque adversus Euphraten, loci antistitem, in eo tulisse sententiam:

„ Quoniam palam factum est & probatum, Euphraten, immemorem „ Sacramenti cœlestis, blasphemasse in Spiritum Sanctum, negando Chri„ stum DEI Filium, & multis criminibus coarguitur, quod Episcopum ullo „ modo non decet, consentio illum esse depositum.

VICTORI autem, qui ab antiquissimæ sedis suæ nobilitate *Vangionum Episcopus*, in præcedenti illa Synodo appellatus fuit, successorem passim tribuunt AMANDUM, huicque sufficiunt CAROLUM; quonam vero genere, seu stemmate orti fuerint, aut quanto tempore vixerint, nemo prodit; ambos cum sanctitatis fama decessisse, fama est.

Sequitur CHROTOLDUS, in ordine quartus Wormatiensium Antistes, qui devastatam Anno DLI. ab Hunnis Wimpinam Locum si instauravit (ut quidem perhibetur) longam certe ejus prædecessores ætatem duxisse oportet.

Chrotoldum in dignitate excepit circa annum Christi DLXXVII. RUPERTUS, vir regali Francorum ortus prosapia, in quo mira semper viguit fides, ac morum probitas eluxit: nec minor fuit ejus in adversis constantia; nam, quod Arrianæ hæresis strenuus esset exstirpator, a Duce Berchtario, huic sectæ addicto, virgis cæsus, quin & propria sede pulsus est; quanquam non perpetuo exulavit, sed in eadem denuo receptus, majoribus cœpit in dies clarescere virtutibus; donec tandem suborta Anno DCXVI. novæ persecutionis tempestate, ad Theodonem Bajoariæ Ducem confugit, ejusque hortatu Salisburgensem Cathedram in illis regionibus condidit, quam dum simul regendam suscepisset, pristinæ Wormatiensi suæ è longinquo prospexisse, eique vicariam deinceps operam impendisse videtur; hinc & quo tanti Præsulis memoriam grata posteritas æternum servaret, erectum propriis sumptibus Parochiale Templum sancto ejus nomini dicatum voluit.

Vita Ruperti apud Bolland. tom. III. marty. pag. 702.

Prodit denique post Rupertum AMANDUS hujus nominis II. qui an vivo adhuc, an autem defuncto Præsuli huic datus fuerit successor, habemus incompertum, res enim tam longo intervallo a nobis dissitas, difficile

ficile est pervidisse; hoc certe constat ipsum Anno DCXXXVIII. Wormatiæ sedisse Episcopum, quo tempore ejus meritorum fama permotus Rex DAGOBERTUS I. obtulit ad altare sancti Petri ibidem, Ladeburgum, nobile tunc oppidum, unà cum palatio, aliisque attinentiis suis universis, quæ inter præcipua recensebantur *Telonium* & *mercatus*, nec non *Sylvaticum* in proxima adjacente sylva, Otenwalt nuncupata. Accessit huic muneri iterata confirmatio immunitatis, seu plenissimæ exemptionis, qua idem munificentissimus Princeps, jam anno superiore, Wormatiensem Ecclesiam gaudere voluerat, ut testatur ejusdem præceptum, desuper Moguntiæ editum, quod integre hic subjicimus:

„ DAGOBERTUS Rex Francorum. Cunctos nosse volumus, qualiter „ nos de remedio animæ nostræ, & de futura retributione cogitan- „ tes, omnino proposuimus in Regno nostro Ecclesias Dei de allo- „ diis nostris cohæredes facere, & loca sanctorum augmentare. De „ hoc tulimus bonum consilium procerum nostrorum, PIPPINI, qui „ est Major-domus, ARNOLFI Metensis Episcopi, CUNIBERCHTI Co- „ loniensis Archi-Episcopi, & inde misericordiam Dei consequi, & „ ejus sanctorum suffragia promereri confidimus; ideo omnes Dei Fide- „ les, & nostri, præsentes, & futuri, cognoscite: qualiter omnes res „ juris nostri in Pago Lobedunburg, & quicquid ad nostrum usum ambu- „ lare visum est, & omne quod ad Fiscum nostrum hactenus pertinebat, „ excepto stipe, & comitatu, nihil ex eo dimittentes, tradimus totum ex „ integro, magnum & parvum ad Basilicam sancti PETRI Apostoli, quæ „ est in VUORMATIA Civitate constructa, cui præ-est Domnus Vir Apo- „ stolicus AMANDUS, hoc est quod tradimus: Civitatem nostram Lob- „ denburg, palatium nostrum, ædificia, mancipia, Vineas, Terras cultas, „ & incultas, agros, prata, campos, omnem sylvaticum in sylva Otenwalt, „ cum omni utensilitate in pago Lobedunburg, & undique intrantia in „ pascuis inter- amnibus, aquas, aquarumque decursus cum piscationibus, „ & omnibus quæsitis & inquirendis, omne Telonium, mercatum, & „ quicquid dici, aut nominari potest, sicut prius ad nostrum usum ambu- „ lare videbatur, sic inantea ad præscriptam Basilicam pro æternæ merce- „ dis augmento possidendum donavimus, & sub integra emunitate omnia „ ad eandem Basilicam pertinentia præceptione nostra à novo confirma- „ mus, sicut priori anno Emunitatis tuitionem dedimus, omnes villas, „ facultates, seu Abbatias, & quicquid ad ipsam civitatem Vuormatiam „ aspicere videtur, ut nullus judex publicus, nec ad causas audiendas, „ nec freda exigenda, nec homines ipsius Ecclesiæ, ingenuos quoque, „ & servientes, distringendos, nullum impedimentum audeant facere, nisi „ ad partem ipsius Ecclesiæ, vel ipse Pontifex Amandus aut successores „ hoc habeant concessum atque indultum, quieto ordine possidere, atque „ dominari, quod partibus Fisci nostri fuit consuetudo reddendi. Et ut „ auctoritas hæc firmior sit manu nostra subscriptionibus subditis illam de- „ crevimus roborare.

„ DAGOBERTUS Rex Francorum.

„ GODEFRIDUS recognovit.

„ Dat. sub die XI. Kalend. Octobris Anno Regni nostri VI. Actum Mo- „ GUNTIÆ palatio nostro, feliciter.

Res ab Amando hoc gestas ulterius prosequi vetat documentorum penuria; quanquam ex subsequentibus facilis sit conjectura, Eum & a SIGIBERTO Rege Wimpinam cum attinentiis suis obtinuisse in donum.

Cæterum; qui Episcopis nostris, ordine quo supra, a nobis recensitis, adjiciunt GEROLDUM, & GERVILIONEM, hi graviter errant; siquidem, uterque Moguntinam, non Wormatiensem rexit Ecclesiam; hinc & posterior ille, ob homicidii reatum, & quod canibus, & avibus ludere consuevisset, ab ordine dejectus, Moguntinæ Sedis amissione punitur, non Wormatiensis; cum aliàs ambæ simul fuerant specifice nominandæ, & quidem hæc prior alterâ. Magnus itaque explendus relinquitur hiatus, longumque annorum centum & ultra occurrit intervallum, ab illo, quem supra memoravimus, Amando desumptum, ad usque EREMBERTUM, qui Diœcesim Worm. novis, iisque certis, ac determinatis limitibus a Carolo M. Imp. tandem circumscriptam, nactus, ejusdem primus Antistes deinceps audiit; quibus autem toto hoc tempore intermedio, Wormatia, quoad spirituale regimen illud, paruerit, habemus incompertum. Id solummodo constat eam cum Coloniensi, Tungrensi, Spirensi, & Ultrajectensi, Civitatibus, seu Ecclesiis, Anno DCCLIII. quando S. Bonifacius a Zacharia Pontifice largiorem jurisdictionem adeptus est, Metropoliticæ Sedi Moguntinæ fuisse subditam. Ab Eremberto itaque Seriem Episcoporum Wormatiensium ordiendam esse censemus, quam & in modum, qui sequitur, hìc prosequimur.

Othlo in vita Bonifacii.

EREMBERTUS
EPISCOPUS WORMATIENSIS
I.

Ubi novam, ex Pontificis summi autoritate, nec non CAROLI M. ordinatione, faciem induit Wormatiensis Episcopatus, ad hunc simul promotus est EREMBERTUS, Vir Sanctitatis fama inclytus, qui & primus stabili labore, ac indefessa industria eundem coëpit excolere; nihil habens impensius, quam acceptæ jurisdictionis amplissimæ fines recenter descriptos circuire, abolitisque intra eosdem veteris superstitionis ritibus, Templa vero Deo erigere, ac demum juxta recepta tunc Religionis per Germaniam instituta, formamque Romanæ Ecclesiæ, etiam nobile Canonicorum sæcularium Collegium in primario sedis suæ loco condere.

Tempus aditi ab ipso muneris sacri, licet nemo Scriptorum hactenus definiverit, nos illud ad Annum Christi DCCLXX. quo idem supradictus Rex Carolus, generalem Synodum Wormatiæ celebravit, referre non hæsitamus; † favet enim inprimis huic nostræ opinioni vetus, quæ inter Fuldenses exstat, Traditionis charta; hanc siquidem Anno proxime sequenti *Vuangiona Civitate* datam, ac confectam, ERRABERTUS Episcopus sua quoque subscriptione firmasse reperitur.

Ann. 770. Annal. Francor. apud du Chesne tom. II. pag. 13. Corp. Trad. Fuld. pag. 17. num. 32.

Vidit itaque, imò præsens interfuit Erembertus noster, celeberrimis illis utriusque Ordinis Procerum Conventibus, qui tum Imperio constituendo, ordinandisque publicis negotiis, tum juribus sacrorum instaurandis, Wormatiam non semel deinceps indicti fuere. Quin & supremi luctus, & gaudii, alternis vicibus, particeps effectus est, ut quando obeunte ad Annum DCCLXXXIII. pridie Kalend. Maji HILDEGARDE Regina, idem Carolus

Chron. Rhegin. ad Ann. 772. & 776. idem ibid. Ann. 783.

FASTRA-

† At Pipinus rex Eremberto episcopo Wormat. jam privilegia Dagoberti regis confirmavit ante an. 768. Vid. Chartular. Worm. MS. fol. 9

Fastradam, Orientalium Francorum sanguine progenitam, sibi die IV. idus Julii insequentis matrimonio sociavit.

Mitto eventus alios, quos hic quoque Loci identidem sors in medium
protulit, quales fuêre: ex Turingorum Optimatibus, qui in Regis necem Ann. 786.
conspiraverant, non pauci honoribus ac oculis privati. è contra Tassillo Annal.Franc.
Bagoariæ dux, eidem pariter rebellis unà cum Theodore Fatio rursum in Tom. II.
gratiam receptus. Tum solemnis Willehadi Bremensium primi antistitis pag. 5.
inauguratio; ne demum Regale palatium fortuito incendio absumptum; jis Ann. 787.
enim omnibus præsul noster minus affectus est, quam dum pro Officii sui Chron. Rhe-
debito, nec non exigentia, nunc Francofurtum ad Concilium, in quo gin.
Feliciana hæresis impugnata, simulque damnata fuit; nunc Valentinianas Arscher. in
ad Regem proficisci ipsum oportuit ut antiqua propriæ Ecclesiæ jura, ac pos- vita Wille-
sessiones, adversus Fisci Exactores revindicaret, è quo postremo itinere hoc hadi.
solatii retulit amplius, quod Diplomati suo confirmatorio Carolus etiam do- Ann. 791.
na, ac munera, liberali manu adjecerat. Annal. Fuld. apud Freter. Ann. 794.

Sic, ætate inter varias Fortunæ vicissitudines, usque in annum Christi Ann. 798. Prob. 1.
DCCCIII. vel circiter, pie sapienterque traductâ, demum vivendi finem Ann. 803.
fecit spectata vir industria, & omnibus ponrificiis virtutibus, atque ornamentis abunde præditus.

BERENHARIUS

EPISCOPUS WORMATIENSIS.

II.

Quandoquidem Eremberti obitum in illud incidere tempus contigit, Ann. 803.
quo Carolus jam Imperator, splendida Wormatiæ celebrabat comi-
tia, non potuit non simul de successore ipsi substituendo in jisdem actum Baluz capit.
fuisse; magno itaque consensu, ob singularem eruditionem, Religionis Reg. Franc.
Zelum, & in rebus agendis dexteritatem, forte laudatus a cunctis ibidem Tom. II.
præsentibus Berenharius, eam mox de se apud Carolum concitavit opi- pag. 406.
nionem, ut sedi vacanti, ceu coëlitus designatus Episcopus, ab ipso fuerit impositus.

In illo rerum fastigio, novus præsul, nihilo, factus est elatior, sed
cunctæ ejus actiones cum ys studys continuo conspirarunt, quæ non nisi ab
excellenti ingenio, ac virtute solent proficisci; Unde postquam in Conci-
lio Aquisgrani ad annum DCCCIX. celebrato, super processione Spiritus Ann. 809.
Sancti (quam quæstionem quidam Joannes monachus Hierosolymitanus nu-
per moverat) diu, multumque fuisset disceptatum, nec facilis reperiretur
controversiæ exitus, placuit, ejus definiendæ causa, Bernharium nostrum, Annal Franc.
ex Cæsaris voluntate, nec non communi patrum voto, Romam ad Leo- apud Pi-
nem III. Pontificem dirigere, addito itineris comite Adelhardo Corbe- thoeum.
jensium Abbate.

Susce-

Susceptum in se Legationis munus, ut ut arduum, uterque ea, qua potis erat, fide ac industria, sedulo peregit, hasque Bernharius, Metropolitano suo, litteras inde retulit.

Epist. Bonifacii apud Serrar. num. 75.

„ Leo Episcopus, servus servorum Dei, Reverendissimo, & Sanctissimo Riculfo, Episcopo.

„ Cum ad limina beatorum Principum Apostolorum, Bernharius „ venerabilis Episcopus, unà cum Adalhardo religioso Abbate, missi „ Filii nostri Domini Caroli Serenissimi Imperatoris, conjunxissent, & „ omnia prospera ac salubria de prædicto Filio nostro, seu de ejus sublimissima prole, vel omnibus Fidelibus suis, nobis nuntiassent, immensas „ omnipotenti Deo gratiarum actiones retulimus. Interea obtulit nobis „ præfatus Bernharius Episcopus sanctitatis vestræ pulcherrimum munus „ & litteras; quas vero litteras relegentes, gratias reverendæ almitati vestræ retulimus, quia nostri esse memores in vestris Deo acceptis orationibus non prætermittitis. De tantis autem muneribus, quibus nos assidue, „ pro amore beati Petri Apostoli, ditatis, credimus in omnipotentem „ Deum, quia dignam retributionem hic & in futuro, ab ipso clavigero „ Regni cœlis percipietis. De Reliquiis vero sancti Cæsarei, sicut petiistis, per eundem Bernharium venerabilem Episcopum, sanctitati vestræ „ direximus.

Ann. 811. vid. Hist. Fuld. part III pag. 94.

Graves interea in Fuldensi Cœnobio orti motus, Abbatem Ratgarium, & monachos, invicem usque adeo colliserant, ut res visa fuerit jam plena periculi; quando illuc a Cæsare directus fuit unâ cum Ricolfo Moguntino, Hattone augustensi, & Wolfgario Wirceburgensi, Episcopis, etiam noster, cujus potissimum operâ, sublatum scandalum, & pars utraque discors, expeditissimis rationum momentis delibuta, quiescere didicit.

Ann. 814. Prob. 2 & 3. vid. supra part. I.

His, aliisque, summa cum prudentiæ & virtutis laude gestis, Bernharius, non Caroli modo, sed & ejus in Imperio successoris Ludovici, gratiam ac favorem sibi conciliavit; huic siquidem post parentis obitum Anno DCCCXIIII. sceptra gratulatus Aquisgrani, amplissima duo privilegia ab eo vicissim retulit, quorum unum, universas Wormatiensis Ecclesiæ possessiones, jura, & immunitates, a novo stabiliebat; alterum, Ecclesiæ ejusdem Canonicis integram suffragii libertatem sanciebat, quoties decedenti Præsuli alius ex ipsorum gremio deinceps substituendus esset. Nec satis: sed & eidem piissimo Principi autor simul & suasor postmodum exstitit, ut in urbis suæ vicinia aptum virginibus sacris domicilium erexerit, illudque fundis & redditibus necessariis dotarit.

Ann. 822. Baluz. Capit. Reg. Franc. Tom I pag. 626. 634. & 784.

Unica de cætero, eaque indesinens cura ac sollicitudo Berenharium tenuit, quomodo scilicet Gregem sibi commissum, totque sanctorum Præsulum industria hactenus excultum, maxime vero clerum suum ab imminentibus undique periculis tueretur: ea enim jam ingruere cœperant tempora, quæ pacis, ac publicæ tranquillitatis osoribus ut plurimum favere videbantur. Hinc decretum, quod adversus eos Synodus Theodonis-villona haud ita pridem tulerat, Triburiæ in pleno Patrum consessu, cui & noster interfuit, denuò repetere & confirmare visum est; ipso quin etiam Ludovico Cæsare, universos Comites, quibus suam in Imperio commiserat potestatem, serio ad hoc adhortante, ut: cum Episcopis concorditer viverent, eisque adjutores in omnibus fierent.

Verum; ingravescente jam ætate, sic viribus debilitari, destituique coepit Berenharius, ut brevi post his tempestatibus ereptus, ad meliorem vitam transierit. Diem obitus scriptores passim referunt in XII. Kalend. Aprilis, Annum autem in incerto relinquunt, quem nos ad Christi Annum DCCCXXIII. referimus, teste Epitaphio quod in Ecclesia S. Andreæ Apostoli, in monte, ubi Præsulis cadaver inhumatum fuerat, olim legebatur, rudi admodum stylo confectum, in hæc verba: ANN. 823.

Ossibus enervis jam sum disjunctus in Antro,
His precor obnixe versibus exiguis.
Te quoque devote Frater, ceu ore loquendo,
Ut quis eram agnoscas prorsus in orbe manens.
BERNHARIUS *Præsul fuerat mihi nomen, honorem,*
In Regali aula promerui Procerum.
Nunc vero, ut cernis, stricto inclususque sepulchro,
Qui plebem regeram hanc, ut & innumeram
Quippe quater quini, & trini, sunt plus minus anni
Mutavi hanc lucem carnis ab Hospitio,
O Frater! Duodenis Aprilisque Calendis.
Cum scriptum hoc recitas, dicere non pigeat:
Omnipotens Genitor rerum, & Rex magnus Olympi
Sanctorum meritis BERNHARIUM *socia.*

Visitur hodie ibidem loci juxta altare primarium, Lapis sepulchralis, recentiore manu efformatus, utpote, quem sæculo XIII. grati Posteri, ad conservandam haud dubie tanti Viri memoriam, posuisse videntur; vid. TAB. III. fig. IV.

FULCOICUS.
EPISCOPUS WORMATIENSIS
III.

Sublato è vivis BERNHARIO, in ejus locum ac dignitatem, mox voto unanimi suffectus est FULCOICUS; aliis FULCOWICUS, & FULCONINUS dictus; nam Jus suffragii, liberamque eligendi potestatem, primario Wormatiensi Clero, haud ita pridem concesserat LUDOVICUS Pius; Quapropter novo Electo, ad se Ingelheimium venienti, idem Imperator non modo solitos honores impertiit, sed & mancipia, lege concambii recenter acquisita, ipsi confirmavit. ANN. 823. Prob. 3. ANN. 827. Prob. 4.

Inde redux ad suos Fulcoicus, ut erat omnis boni amantissimus, magna cum industria disciplinæ Ecclesiasticæ nitorem ubique invexit, nec strenue minus rem familiarem exercuit, cui probe ac efficaciter consulendæ opportunam aliquando occasionem nactus est: adveniente enim Wormatiam Anno DCCCXXIX. ad indicta a se Comitia LUDOVICO, exhibuit eidem vetera Ecclesiæ suæ privilegia, ac hæc inter Jus Telonii, ac mercatus, petiitque ut parentis Caroli, avique Pipini exemplo, novis ea Tabulis rata haberet; Votum Episcopi Cæsar solita benignitate amplexus, ei plene satisfecit; tum ad publica conversus, postquam Legationes plurimas, quæ tam ex Italia, ANN. 829. Annal. Fuld. apud Freher. Prob. 5.

Annal. Franc. apud Reuber. quam aliis longinquis Regionibus, venerant, absolvisset, actum fuit de foedere inter Nortmannos & Francos stabiliendo, deque Haroldo Danorum Rege restituendo.

Ann. 831. Convocata deinde Anno DCCCXXXI. Wormatiam solemni synodo, Ludovicus, ut voto parentis, in Episcopatibus ordinandis, plene tandem satisfaceret, ANSGARIUM Hamburgensibus præfecit, eumque a DROGONE Metensi, assistentibus sibi EBBONE Remensi, HETTONE Trevirensi, & OTGARIO Moguntinensi, Archiepiscopis, aliisque sacris Præsulibus, quibus & noster annumeratus est, ibidem ritu perquam solemni consecrari voluit. Adam Bremens. in Chron.

Ann. 833. Verum pacificis illis conventibus successere mox alii rixarum & tumultus pleni, insurgentibus enim adversus Cæsarem propriis Filiis, hic cum instructo exercitu Wormatiam primùm, inde in Alsatiæ fines movit, ubi proditus ac derelictus a suis, in Filiorum potestatem venit. Turpe facinus, quod superum, mortaliumque curas accendit, alte improbarunt Germaniæ Episcopi, coactoque frequenti Concilio, severe notarunt, quousque tandem Ludovicus pristinæ Majestatis suæ insignia recuperavit. Ac tunc quidem is, celebrato Wormatiæ generali Procerum Conventu, multa, quæ ad Reipublicæ tranquillitatem stabiliendam conducere videbantur, prudenter constituit, Filios inprimis admonens: æquitatem diligerent; bonos quosque, & eorum possessiones ab oppressione liberarent; Ministris vero justitiæ, ne imposterum oneri & incommodo forent, commeatum certa lege præscribens; ast ubi aliquanto tempore post, idem Imperator in magno Optimatum suorum consessu, novam hic loci Regnorum suorum partitionem iniit, ita ut, quod a Mosa in austrum vergit LOTHARIUS; quod Occidentem aspicit CAROLUS teneret; Bajoario autem contentus viveret LUDOVICUS; intestini belli fomitem præbuit, non facile extinguendum. Annal. Fuld. apud Freher. Ann. 834. Ann. 836. vita Lud. Pii apud du Chesne tom. II. Ann. 839. Annal. Bertin. ibid. tom. III pag. 196.

Ann. 840. Etenim; ex tribus illis supramemoratis Fratribus, Ludovicus portione sua minime contentus, quæ adversus Patrem arma jam sumpserat, ea, hoc mortuo, statim vertit in Lotharium, quod is toti nunc inhiaret Imperio, hinc & cum altero Fratre Carolo, adversus eundem belli societatem iniit. Nithard. lib. II.

Festinaverat interea magnis itineribus ex Italia in Germaniam Lotharius, sedemque suam fixerat Wormatiæ; at postquam duorum Fratrum in se simul concitata sensit odia, veritus prælio rem committere, Ludovico in speciem conciliatus est, ut Carolum tanto facilius opprimeret. Omnes itaque vires suas in hujus perniciem coadunans, mediam pervolavit Galliam, subactasque Civitates, & Oppida, si quæ sacramentum dicere recusabant, igne, ac ferro delevit.

Ann. 841. Secutus fuerat, in tristi illa expeditione Lotharium, unà cum aliis nonnullis Regni ejus præsulibus, Fulcoicus noster; nam in hoc tempus, seu Annum DCCCXLI. referendæ videntur Adalrici Senonensium Archi-Episcopi Litteræ, pro Abbatia S. Remigii ad Varellias transferenda, quibus, inter alios, subscripsisse reperitur; verum an salvus ac incolumis ex hoc itinere ad sedem suam reversus fuerit? an Fato aliquo præventus, diem supremum obierit? habemus incompertum. Id constat, ipsum anno supramemorato, ante Junium mensem, jam inter vivos desiisse. Mabill. sæc. Bened. IV. part. I. pag. 578.

SAMUEL

SAMUEL
EPISCOPUS WORMATIENSIS
IV.

Solliciti, quem, ea tumultuantis sæculi tempestate, Fulcoico successorem deligerent Summæ ædis Canonici, maturatis comitiis, una suffragiorum consensione, postulaverunt Samuelem, Laurisheimensium tunc Abbatem, quod hujus forti patrocinio se se adversus incumbentia undique mala tutos crederent, quodque a primis adolescentiæ annis, idem Samuel, ad virtutes, bonasque artes sub Alcuini & Rabani, Magisterio formatus, iis insuper vitæ præceptis imbutus esset, ut non nisi maxima quæquæ de se sponderet.

Ann. 841. Chron. Laurish. apud Freher. vid. Hist. Fuld. Part. I. pag. 62.

Accurrit, hæc inter, festinus è Gallia Lotharius, Ludovicum Fratrem, recenti Turingorum, Saxonum & Alemannorum foedere auctum, debellaturus: transmisso itaque, juxta Wormatiam, Rheno, arma armis fortiter opposuit, & celeri potitus victoria, ipsum in fugam conjecit. Dein urbem hanc Cæsar revisens, Samueli adeptam in ea Episcopalem dignitatem gratulatus est, ac simul confirmavit; demum, postquam & Rheni littus vigili custodia, diversis locis, ultra citraque probe munivisset, illico ad suos regressus est in Franciam.

Annal. Franc. apud Pithoëum.

Verum; hac Fratris sui absentia Ludovicus oportune usus, instauratum a se Exercitum confidentius ad pugnam reduxit, & in ipso pago Rinensi, Loco ubi prius succubuerat, nunc demum victor evasit; sic hoste protrito, nec non cunctis repagulis etiam perruptis, in alterius Fratris Caroli auxilium properavit, cumque, apud Fontiniacum, vires suas invicem conjunxissent, ambo simul adversus Lotharium cruento prælio decertarunt.

Superatus Lotharius, fugienti similis Aquisgranum usque retrocessit, inde vero Moguntiam progressus, tandem Wormatiæ substitit, donec armis ad novam expeditionem sibi visus est sufficienter instructus; tunc celebratis hic loci, Filiæ suæ nuptiis, nec non Ebbone in Rhemensem sedem suam restituto (quod Factum probarunt, quotquot in Ingelheimensi Conventu, ad hoc specialiter indicto, præsentes interfuêre, unà cum Samuele nostro, Germaniæ Episcopi) rursus movit in Carolum.

Flodoard. in Chron. Rhemens.

Nec Fratre Segnior Ludovicus, collecta Orientalium suorum manu non modica, Civitates, in altero Rheni littore positas, quas inter erat Wormatia, a Lotharii Dominio avulsas, in suam redegit potestatem. Posthæc Carolo occurrens Argentorati, novum illic cum ipso foedus percussit, eumque secum inde Wormatiam abduxit, ubi diem hilariter ducentes: una domus illis erat convivii, una somni, tractabantque pari consensu, tam communia, quam privata; quando interea, sub fausto sidere, tentata trium Fratrum concordia, certis quibusdam legibus, ac conditionibus, sensim in unum visa est coalescere.

Ann. 842. Annal. Fuld. apud Freher. Nithard. de dissens. Filior. Lud. lib. III.

Ann. 844. Itaque, grandi hoc pacis negotio demum ad optatum finem perducto, Wormatia, quæ in generali illa Regnorum partitione, ex æquo bonoque inita, Ludovico simul cum aliis ditionibus cesserat, liberius aliquantum respirare cœpit, dum è contra ejus antistes, quietis omnis nescius, ad universæ Dioecesis, superiori dissidio quassatæ, ruinas farciendas se se totum transtulit, curam ac sollicitudinem, etiam usque in Laurisheimense Monasterium extendens, cujus regimen sibi hactenus constanter retinuerat.

Ann. 847. Invitatus dein, unà cum reliquis comprovincialibus suis Moguntiam ad Concilium idem Samuel, illic Metropolitanum suum Rabanum de statu veræ Religionis, atque utilitate & profectu Christianæ plebis, multum, sapienterque differentem, ea, qua olim, animi voluptate audivit; tum & quæ mox eum in finem, in celebri hoc patrum consessu, edita fuère statuta, suo non solum probavit calculo, sed insuper in eorundem observationem sedulo intendit, cunctis sibi subditis, pro more probati Pontificis, exemplo non minus quam opere prælucens, cum etiam ad hoc tempus referenda sint fundati a se Neuhausensis collegii initia, siquidem locum, aliquot retro sæculis Divino cultui jam dicatum, sed in extremam interea solitudinem redactum, ipse primus a fundamentis magnifice instauravit, ditavitque.

vid. supra part. I.

Ann. 849. Posthæc etiam actum fuit Wormatiæ, & quidem vice jam altera, de Bremensi Ecclesia cum Hammaburgensi conjungenda, idque in gratiam Archi-Præsulis Anscharii, quem Nortmanni haud ita pridem è postrema hac sede sua expulerant. Alium dein Anno DCCCLVII. ibidem loci Conventum non minus solemnem celebravit Ludovicus Rex, quo absoluto Carolus Archiepiscopus provinciale Concilium Moguntiam indixit.

in vita Anscharii. Ann. 857. Annal. Francor. apud Pithoeum.

Astitit pro munere, nec non dignitatis suæ prærogativa, negotiis utrobique tractandis Samuel noster, eaque de se cùm eruditionis, tum prudentiæ præbuit indicia, ut Rex, præclaras viri dotes propius considerans, eum intimis consiliis deinceps duxerit adhibendum, quin & ejus intuitu Wormatiensem Ecclesiam multifariis donis ac beneficiis cumularit; nec enim modo jus Telonei & vectigalium, cudendæque monetæ largitus est, verum etiam quæcumque illuc ex prædecessoribus suis Reges, seu Cæsares olim contulerant, aut donata à novo confirmaverant, rata habuit; cumque eandem Ecclesiam multas adhuc clades, tum à Comitibus, tum à Fisci Exactoribus, perpeti didicisset, placuit æquissimo Principi per diversa præcepta Francofurti Anno DCCCLVIII. à se emanata has injurias in totum abolere: ita ut, præter Episcopum, nemo mortalium quidquam sibi juris, in sæpedictæ Ecclesiæ bonis ac possessionibus, ubicumque demum sitæ essent, imposterum arrogare audeat.

Ann. 858. Prob. 6. 7. & 8.

Ann. 859. Digressus a Rege Samuel, in Dioëcesim suam rediit, optatissimum rei pro voto gestæ nuncium secum deferens, quo primarium Collegium, cæterosque Ordines mirifice recreavit; inde sub initium Anni DCCCLIX. insequentis Laurissam abiens, dum huic quoque ovili suo in cunctis sedulo prospicit, fatali morbo urgeri coëpit, eoque intra breve tempus absumptus est, postquam scilicet in utriusque Ecclesiæ regimine Annos omnino XVIII. explevisset. Hinc & in veteri ejusdem Monasterii Necrologio, ubi obitus ejus in VII. idus Februarii refertur, *Episcopi*, simul & *Abbatis*, titulum præfert, quemadmodum & in Epitaphio, quod, ibidem loci præ templi foribus sepultus, tale olim obtinuerat:

Vindem. Litter. Collect. I. pag. 27.

Pro Foribus situs est Samuel, suppar Samuelis
Moribus, officio, velut ille Propheta, fidelis
Abbas, et Præsul, da Christe Locum sibi coelis.

Verum

Verum tanti viri oſſa, ſerus ejus in ſede Wormatienſi ſucceſſor EBERHARDUS, Anno MCCLXXIII. die XVII. Kal. Julii Neuhuſam ſolemni pompa tranſtulit, honoratiorique tumulo juxta aram S. S. Crucis repoſita, ſequenti hac decoravit Epigraphe:

HÆC LOCA FUNDAVIT SAMUEL, GRATUMQUE PARAVIT
IPSE GREGEM CHRISTO, TUMULO QUI CLAUDITUR ISTO.

Aliud deinde Samueli conditorium, & quidem in medio navis Eccleſiæ paraverunt grati poſteri, nimirum: quando univerſa ejusdem Fabrica, quæ durante fatali illo Moguntino diſſidio, ſub Annum MCCCCLX. in cineres redacta fuerat, ex iisdem emerſit, ac novam ſimul faciem induit, unde & noti profluxere verſus ſequentes:

Hoc Samuel Tumulo placuit dormire ſecundo,
Cum Sathanæ, Eccleſiam combuſſit, Filius, iſtam;
Alma renudantur Samuelis & oſſa levantur,
Hinc colitur digne, quia manſit inuſtus ab igne.

GUNZO
EPISCOPUS WORMATIENSIS
V.

Redibat ab injuſta illa, ſimulque infelici Expeditione LUDOVICUS Rex, quam Anno ſuperiore, ad perverſorum quorundam inſtigationem, ſuſceperat, dum occidentale Francorum Regnum proprio Fratri CAROLO præripere, illudque ſibi uſurpare conatus eſt; quando e vivis excedens SAMUEL, Wormatienſem Eccleſiam paſtore deſtitutam reliquit. Celebratis itaque pro alterius deſignatione comitiis, nullus ad ſuffragia potior venit quam GUNZO, in hunc enim, præter egregias animi dotes, quidquid Epiſcopum vere ornare poterat, multimode concurriſſe videbatur; proinde, quod reliquum fuerat, ſolennia auſpicatæ dignitatis jura, tum Wormatiæ a Rege, tum Romæ a Pontifice ſibi confirmari, facile obtinuit. ANN. 859. Annal. Fuld. apud Freher.

Honoribus undequaque ſic ſtabilitis, optabat Gunzo in uno deinceps pacis, religionisque otio conquieſcere. Quapropter, durante ſolemni illo utriusque ordinis procerum conventu, quem Ludovicus eodem Anno DCCCLIX. Wormatiam convocaverat, nihil remiſit ſtudii, ut abolito male-conſulto facinore, Regem hunc ſuum cum Carolo Fratre, nec non nepote LOTHARIO, invicem conciliaret; id quod ubi tandem pridie nonas Junias, ex voto omnium feliciter perfectum eſt, alia non minor cura Antiſtitem noſtrum aliquamdiu tenuit: ſuborta enim Anno DCCCLXV. per invidiæ ſtimulum, gravi inter Regios Filios LUDOVICUM, & KAROLOMANNUM, ſimultate, prior ex his, iras in patrem, ceu totius diſcordiæ autorem, vertere auſus, arma jam tractare coeperat rebellia, cum Moguntini, ut & noſtri, aliorumque circumvicinorum Præſulum, interventu, ad ſaniorem mentem revocatus, Regi, ac parenti ſuo Ludovico, ſupplex factus eſt Wormatiæ, ab eoque delicti veniam, ſimul & gratiam priſtinam promeruit. Annal. Franc. apud Du Cheſne. ANN. 865. ibid.

Majus orbi universo scandalum præbuit, qui tunc temporis in vicinia regnabat Lotharius, ob turpes suos, ac illicitos, cum WALDRADA pellice amores, quibus ut finem aliquando faceret NICOLAUS I. Pont. ARSENIO Episcopo, consummatæ prudentiæ ac doctrinæ viro, iter ad hoc demandavit in Germaniam. Appulit is initio Anni DCCCLXVI. Wormatiæ, ubi idem supradictus Rex, splendido quidem suorum comitatu, sed animo ad pœnitentiam (ut quidem videbatur) instructiore, ipsi occurrens, cuncta abs se postulata ultro prævenit; ejuratoque mox infami consortio, legitimæ conjugi suæ TIETBERGÆ deinceps unice adhærere promisit, promissumque, dicto solemni sacramento, firmavit; quod ipsum præstitit hùc quoque Loci coram citata BOSONIS Comitis uxor ENGELTRUDA.

ANN. 866. Rhegin. in Chron.

Hinc ut malis ejusmodi, aliisque undequaque fere succrescentibus, mature obveniret Moguntinus Archipræsul LUITPERTUS, comprovinciales suos Anno DCCCLXVIII. Wormatiæ, in generali a se illuc indicta synodo adesse jussit, ubi præsente ipsomet Ludovico Rege, oportuna, temporum corrigendæ malignitati quæsita fuère remedia, nec non et, qui nuper emerserant, Græcorum errores simul in totum profligati. Exstat de cætero Concilii hujus Decretum pro fundatione Hersensis Asceterii editum, quod sic orditur:

ANN. 868. Annal Fuld. apud Freher. Schaten. Annal. Paderborn. Lib. III.

„ Cum in nomine Domini nostri Jesu Christi apud WANGIONAM Civitatem, quæ vulgo Vuormatia dicitur, in unum convenissemus, Ego „ LUIDBERTUS humilis Moguncia censis Civitatis Archiepiscopus, cum „ Co-Episcopis, & Chori-Episcopis, atque Abbatibus, simulque aliis plurimis sacerdotibus, & diversi ordinis clero, ibidem congregatis, plura quæ „ ad Christianæ Religionis observantiam & profectum pertinere putavimus, „ conferre coepimus, inde &c.

Subscripsit hisce Tabulis inter reliquos Antistites etiam Gunzo noster, sed qui male ibidem *Guazo*, quemadmodum alibi in Epistola quadam Nicolai I. Pont. ad supradictum Luitpertum directa *Gunto*, nuncupatur.

Martene, Script. Vet. Tom. I. pag. 149.

Sic Christianæ Reipublicæ statu in his partibus rite ac prudenter rursum ordinato, tranquilla deinceps successère tempora, quanquam uno, alterove fato fuerint obnoxia; nam Ludovicus Rex, postquam Anno DCCCLXX. Festa Pentecostalia in Bisestat, vulgo Birstat, ex altera parte Rheni, haud procul Wormatia transegisset, inde ad Fratrem Carolum profecturus in Galliam, dum ex itinere Flamersheim deflectens, in palatio, quod hic quoque loci habebat, moras aliquantum trahit, à putrido solario, fractis derepentè trabibus, vix non oppressus est. At longe funestior Urbi Wormatiensi exstitit Annus DCCCLXXII. siquidem æstivis caloribus ultra modum fervens aër, non nisi dira fulgura ac tempestates produxit, quibus demum icta civitas, horrendo incendio conflagravit, isque flammarum ardor seu impetus fuit, ut inter cætera ædificia publica, ipsum etiam Templum majus ruerit in cineres.

ANN. 870. Annal. Franc. apud Pithoeum. Rhegin. in Chron. ANN. 872. Annal. Fuld. apud Freher. & Chron. Quedlin. apud Leibniz.

Tam tristi infortunio haud diu supervixit Gunzo, sed adhuc eodem anno è vivis excessisse videtur, & quidem XIIII. Kalend. Decembris, quem obitus sui fuisse diem, passim affirmant scriptores.

ADALHEL-

ADALHELMUS
EPISCOPUS WORMATIENSIS
VI.

Suffragiis non diu certatum eſt, ut ADALHELMUS, vir præſtans, & ad promptam rebus afflictis opem ferendam maxime idoneus, in demortui GUNZONIS locum ac dignitatem ſubrogaretur. Equidem Vangionum Antiſtes maximo omnium applauſu ſalutatus, nihil propius habuit, quam devaſtatam ex nupero incendio principem Baſilicam inſtaurare, nec non ædes in formam clauſtri circum diſpoſitas, priſtino ſtatui reſtituere, ne, quam a majoribus acceperat, communis vitæ diſciplina, inter Canonicos diſſolveretur. ANN. 873.

His curis dum fortiter inſudat Adalhelmus, ſimulque Civium ſuorum neceſſitatibus benigne ſubvenire pergit, ad publica alioſum evocatur; nam juſſu LUDOVICI Regis Triburiam abiens, illic in celebri inter LIUTBERTUM Archipræſulem Moguntinum ex una, & SIGEHARDUM Abbatem Fuldenſem ex altera, partibus, dudum agitata controverſia, judex conſtitutus eſt; agebatur de decimis per univerſam Turingiam, quas Archiepiſcopus ſibi, ſuæque Eccleſiæ, unice deberi aſſerebat, dum Abbas ſub multiplici, eoque illuſtri teſtimonio ibat in contrarium. Hinc re utrimque mature perpenſa, Decimæ in C. ac XVI. diverſis Regionis illius Locis, Fuldenſi Monaſterio adjudicatæ ſunt, ſententiam ratam habente ipſo Rege, per diploma ſuum, datum Kalend. Junii Anni DCCCLXXIV. ANN. 874. Hiſtor. Fuld. part. III. pag. 113.

Alia longe gravior ſimultas, quæ tam Orientali, quam & Occidentali Francorum Regno, plus ſemel fatalis jam exſtiterat, reſtabat terminanda, quando mors interveniens, ambos rerum Dominos, nec non præpotentes æmulos, LUDOVICUM videlicet, & CAROLUM, ab invicem diremit quidem, at diſſenſionis fomitem non ſuſtulit; nam priore ex illis Anno DCCCLXXVI. die V. Kalend. Septembris Francofurti vitâ functo, alter in ejus ditiones armata manu irruit, Civitatibus in Rheni littore poſitis, quas inter & Wormatia, præ reliquis inhians; verum paternam hæreditatem Ludovicus Filius ſibi abripi non paſſus, victum, profligatumque, haud procul Antonaco Oppido, Carolum patruum, ad ſua quantocyus remeare compulit; quanquam nec ipſe victoria, ut & regia dignitate, diu fruitus eſt. ANN. 876. Annal. Franc. apud Pithoeum.

Etenim, Ludovicus ille, hujus nominis jam III. convocatis Anno DCCCLXXX. Wormatiam univerſis proceribus, poſtquam, de eorum conſilio, multa prudenter ordinaſſet, anno mox ſequenti, apud Gundulfi-villam, Regium itidem in agro Wormatienſi quondam palatium, cum Nepotibus colloquium habuit, ac paulo poſt è vivis exceſſit. ANN. 880. ibid. ANN. 882.

Juſtis itaque, huic quoque defuncto Regi ſuo, ex more perſolutis, Præſul noſter, adventantem nunc tertium, in Cæſare CAROLO veneratus eſt, Eumque Wormatiæ omni honoris ac obſequiorum genere excepit, tum & numeroſo Optimatum Conventui, ejus quoque juſſu, ibidem loci aggregato, ibid.

gato, præsens adstitit, decretamque adversus Nortmannos expeditionem
Ann. 884. obsecundatus est pro viribus, quemadmodum & in aliis Comitiis Anno
Annal. Fuld. apud Freher. DCCCLXXXIV. ad hoc pariter Wormatiam indictis, visus est fecisse.

Interea, secretis machinationibus de exautorando Carolo, deque
Ann. 887. ARNOLFO eidem substituendo, actitatum est, quod ubi demum ex voto plurimorum successit, Arnolfus, aditi Regiminis Epocham, parta de Nortmannis insigni victoriâ, notavit, pacatæque rursum Reipublicæ gloriam retulit;
ibid. tum; ad clades penitius abstergendas quas barbara illa natio intulerat, ce-
Ann. 888. lebrata fuêre Anno DCCCLXXXVIII. Wormatiæ Comitia, quibus feliciter absolutis, Ecclesiastici ordinis proceres inde se se unà cum Rege Moguntiam
Harduin. tom. VI. Concil. part. I. transtulerunt ad Concilium, quod pro veteri disciplina, nec non Religionis usu, utrobique tam in Clero, quam populo, instaurandis, Archipræsul Luitbertus illuc loci convocaverat, cumque inter alia actum fuisset de impugnata toties Corbejensium immunitate, eam Patres ibidem præsentes, tandem unanimi consensu probarunt, decretum desuper emanatum, manus suæ
Franc. Paullini Syntag. rer. Germ. in fine. subscriptione, unà cum reliquis firmante etiam nostro, in hæc verba: ADALHELMUS *Wurmacensis Episcopus, consensi, & subscripsi.*

Constat igitur tam ex his, quam & supra relatis, in quantum errorem passim prolapsi sint scriptores, dum Adalhelmo non nisi XI. mensium regimen attribuunt. Nos, qui certis ubique innixi vestigiis, illud ab Anno DCCCLXXIII. usque in præsentem Annum DCCCLXXXVIII. deduximus; ultra tamen extendere vix præsumimus, cum plane incertum sit, in quod tempus, ejus obitus dies, qui XVI. Kalend. Februarii fuisse perhibetur, refe-
Ann. 890. rendus sit; quanquam Anno DCCCXC. inhærere videatur, quo STEPHA-
Harduin tom. VI. Concil. part. I. NUS V. Pont. HERMANNUM Colon. & ADALGARIUM Hamaburgensem, Archipræsules, de Bremensi Ecclesia contendentes, Wormatiam ad synodum venire, & â FULCONE, Remorum Antistite, sua vice causam eorum examinari, nec tamen terminari, præcepit.

THEOTHOLACUS
EPISCOPUS WORMATIENSIS
VII.

Jam ex Cleri, populique voto, nec non ARNOLFI Regis assensu, se se pro legitimo Wormaciensium Episcopo gerebat, atque eo nomine etiam susceptus fuerat THEOTHOLACUS, aliis DIETHELACH, & DIETOLFUS,
Ann. 891. dictus, quando rebus Collegii S. Cyriaci oportune prospiciens, ERENFRIDUM Comitem, hujusque Conjugem ALDEGUNDAM, ad bonorum quorun-
Prob. 10. dam utile concambium secum ineundum, adduxit; nec minor deinceps Antistitis nostri, circa reliquas ædes sacras cura, ac sollicitudo exstitit, dum universam Dioecesim suam a novo ordinare aggressus est; quanquam impensam eidem operam Nortmanni mox turbarint, qui altera in Germaniam facta irruptione, Wormatiam usque penetrarunt.

Afflixit pro mali gravitate, at neutiquam anfregit ea clades Theotholacum; sic enim comparatus erat vir animi constantis, & prosperis non elatus,

elatus, adversis non fractus, utriusque sortis victor existeret; nam positâ rursum omni procellâ, ad pacis studia conversus, pristinum Ecclesiæ suæ splendorem, nec non simul Urbis elegantiam revocare satégit.

Debebatur iterata hæc Reipublicæ salus Arnolfo, qui ferocientium hostium impetu represso, victos superatosque Regni sui finibus ejecerat. Hinc & in comitiis Anno DCCCXCIII. Wormatiam indictis, Proceres omnes sibi applaudentes habuit, tantaque ejus ex armorum felicitate autoritas ac fama esse coëpit, ut CAROLUS, recens in Galliæ Regem inunctus, hùc loci supplex advenerit, opem ejus adversus ODONEM æmulum suum imploraturus, quod idem & BERENGARIUS fecerat, cujus Imperialem Sedem in Italia usurpaverat VIDO. ANN. 893.

Duplici itaque contracto exercitu, Arnolfus in utriusque Principis auxilium properavit, quanquam non nisi Berengario res ex voto cesserit; redux autem ab hac expeditione, sibi, nec non filio suo ZWENTIBOLDO, quem ex Concubina genuerat, deinceps prospicere studuit: quapropter splendida Wormatiæ adornans comitia, hunc Regnorum suorum hæredem prævie designari petiit. Ast Optimatum animis necdum in sententiam suam satis propensis, Concilio Triburiensi in annum DCCCXCV. convocato interea locum fecit; Sederunt in eo, præter Theothelacum nostrum Episcopi XVIII. multaque ad Ecclesiarum Germaniæ utilitatem & profectum tulere decreta. ANN. 894. ANN. 895. Harduin. Concil. tom. VI. part. I.

His ita peractis, Arnolfus solemnem denuo Conventum Wormatiæ celebravit, in quo prius suum propositum confidenter resumens, tanto illud ardore prosecutus est, ut Zwentiboldo saltem Regni Lotharici coronam impetraverit; quo successu lætus, Italiam adiit, ac impositum sibi a Pontifice Cæsareum Diadema inde retulit; tum peragratis Provinciis, rebusque ad tranquillitatem ubique dispositis, Wormatiam reversus, in frequenti utriusque Ordinis Optimatum consessu, eos sibi, nec non LUDOVICO Filio, quem ex legitima Conjuge sua ODA susceptum, Successorem destinabat, novo sacramento obstrinxit; alterum vero Zwentiboldum supradictum, qui novis subditis suis jam exosus esse coëperat, cum his conciliavit. Rhegin. in Chron. ANN. 896. ANN. 897.

Secutus fuerat Arnolfum in expeditione illa Italica etiam Theotholacus, sua ei officia magis probaturus, hinc & vicissim benevolum aliquando expertus est: captata enim occasione postremi Conventus Wormatiensis, nec non simul implorato, tum Imperatricis, tum HATHONIS Moguntini Archipræsulis patrocinio, postquam multis cœpisset exponere damna, ac totius Episcopatûs sui angustias, resque Ecclesiæ suæ Nortmannorum invasione dissipatas, ita Cæsaris animum permovit, ut hic quatuor opima, ac longe diffusa prædia, sibi per ERENFRIDI Comitis obitum nuper vacantia, ad altare S. Petri ex integro obtulerit; possessionibus illis mox super adjiciens alias, unà cum servis & servitoribus magno numero, qui prius ad Fiscum Dominicum spectabant. Nec hic stetit Principis optimi munificentia, sed cum forte Anno DCCCXCVIII. Ratisbonæ moras traheret, cunctas simul Antecessorum suorum largitiones, Ecclesiæ Wormatiensi factas, eximio diplomate in hanc confirmavit sententiam, ut, præter jam olim concessa, videlicet: Telonium, monetam, vectigalia, census, servos, & mancipia utriusque sexus, si quid amplius infra ipsam Civitatem Wormatiam ad opus, seu jus Regium, spectare videretur, id omne Episcopo nostro ejusque Successoribus ex integro cederet, ac perpetuo firmum maneret. Prob. 11. 12. & 14. ANN. 898.

Vet. Chron. Worm. M.S. Sic demum acquisito pleno rerum dominio Theotholacus, Clerum simul ac populum suum paterne fovit, ejusque beneficentiæ virtus in orphanis tuendis, nec non viduarum injuriis propulsandis, maxime enituit; Sacrorum insuper, templorumque cultum ex muneris debito promovere satagens, ut in veteribus instaurandis, ita & in novis Fabricis ponendis, assiduum se se, & prudentem præbuit; quin & ægre admodum ab ejusmodi piis operibus destitit, cum Ann. 900. obeunte Arnolfo Imp. Filius ejus Ludovicus vacanti throno imponendus fuit; ne enim, quam privatim gesserat suæ Diœcesis curam, hanc à communi causa habere videretur disjunctam, Regi puero ipsum adhærere, & pro sua in rebus Imperii gerendis industria, assiduam navare operam, oportuit; quo in munere omnium se aptans ingeniis, nullam benefaciendi dimittebat occasionem.

Ann. 912. Hanziz. Germ. Sacr. tom. II. pag. 143. Corp. Trad. Fuld. p. 222. 225. Tolner. Cod. dipl. Palatin. pag. 12. Prob. 13. & 16. Eadem postmodum sub Conrado, hujus nominis I. Rege, qui Anno DCCCCXII. Ludovico Successor datus est, Theotholaci nostri conditio fuit, idem & animus: Siquidem, primos inter ad consultationes ab ipso adhibitus, nihil prætermisit eorum, quæ tum publicæ saluti, tum privatorum utilitati, quovis modo poterant conducere, prout id utrobique testantur varia diplomata seu chartæ, nunc in Frisingensis, nunc Fuldensis, nunc Laurisheimensis Ecclesiarum, nec non Collegii Neuhausensis favorem emanatæ.

Ann. 914. Helwich. Prodrom. annal. Worm pag. 18. vid. supra Prob. 10. Hinc, ubi demum Anno DCCCCXIV. ipsis Kalend. Septemb. immatura morte sublatus est, deplorarunt orbitatem suam universæ Diœcesis Ordines, tum & quotquot ejus olim senserant beneficentiam. De loco ubi Præsul vivere desiit, non satis convenit inter Scriptores; Georg. Helwichius, qui Regiminis annos omnino XLI. ipsi tribuit (haud dubie, ut male consultæ suæ annalium Wormatiensium Chronologiæ, in aliquo saltem subveniret) Eum in Neuweiler, inferioris Alsatiæ cœnobio, obiisse vult, dum pro Neuweiler, alii rectius Winvveiler legunt, quod est nobile Diœcesis Worm. prædium ab ipsomet Theotholaco quondam acquisitum, cui opinioni & nos suffragamur.

RICHOWO
EPISCOPUS WORMATIENSIS
VIII.

Ann. 914. Sede Wormatiensi per Theotholachii obitum destituta, indictisque, pro majorum instituto, sacris comitiis, ea fuit suffragiorum varietas, ut in plures abierint factiones, quæ postquam demum ad duas reductæ fuissent; una, desumptum ex gremio Richowonem elegit, altera Lintherum Laurissensis in vicinia Monasterii Abbatem, postulavit.

Verum Electi causam Rex Conradus jam suam fecerat; proinde vehementer instabat, ut in hoc approbando Pontifex precibus suis non deesset; quod ubi ex voto successit; Richowonem auspicati honoris autoramento præmunitum, Rex, cui in paucis carus erat, majore bono Reipublicæ apud se retinuit, ac ab ejus ore, consiliisque deinceps pendere voluit. Hinc Ann. 918. Prob. 17. Præsuli nostro facile fuit, novum ab eo obtinere præceptum, per quod Jura, ac possessiones, quas Arnolfus, hujusque Filius Ludovicus, & ipsi Reges, haud ita pridem Ecclesiæ suæ contulerant, eidem denuo in perpetuum assereret. Nec dubium quin ab hoc fonte beneficia longe præstantiora in eandem dimanassent, ni intempestivus Prin-

Principis obitus cursum interrupisset; quanquam qui Sceptra mox obtinuit HENRICUS Saxo, Richowonem, atque adeo ejus Ecclesiam, non minori affectu deinceps complexus sit. ANN. 919.

Enimverò; vix ad Gregem suum reversus fuerat Richowo, intermissum aliquando Pastorale officium ex debito resumpturus, cum novo Regi fidem, ac operam jam probavit suam; irruente siquidem in Lotharingiam CAROLO, Galliarum Rege, nec non victricia signa Wormatiam usque extendente, ipse vim, & conatus ejus omnes sustinuit intrepidus, urbemque hanc suam adversus eundem impigre defendit. ANN. 920. Flodoard. & Herm. Contract. in Chron.

Properabat interea instructissimo cum exercitu in auxilium Henricus, ad cujus vel solum adventum, posteaquam hostis fugam capesciviſſet, etiam pacis leges, de quibus Bonnæ mox conventum fuit, ultro admisit. Occurrentes itaque sibi invicem ad diem VII. idus Novembris Anni DCCCCXXI. in urbis illius conspectu ambo Reges, conscensa quisque navi sua, littus utrimque solvunt, & ad eam, quæ in Rheni medio anchoris fixa hærebat, appellunt, qua pariter conscensa, in mutuos ruêre amplexus, sacramentumque quod juxta præscriptam formulam Carolus prior in hæc verba protulit: *Ego* CAROLUS *Rex Francorum Occidentalium, amodò ero huic amico meo Regi Orientali* HEINRICO, *amicus, sicut amicus per rectum debet esse suo amico &c.* Idem vicissim, proprio nomine ac dignitate interpositis, repetiit Henricus, sicquè ab invicem in osculo pacis discessere. ANN. 921.

Interfuerant solemni huic actui, selecti ab utraque parte, tam ex ordine Ecclesiastico, quam & sæculari, spectatæ prudentiæ & auctoritatis viri admodum pauci, ac hos inter Richowo, qui unà cum reliquis juratum fœdus collaudasse, manusque subscriptione firmasse reperitur, in hunc modum: RICAVUDO *Episcopus Vangionum, quæ nunc dicitur Wormatia.* Verum quod GISELBERTO Duce novos in Lotharingia motus ciente, amicitia inter prædictos Reges recenter inita, vacillare cœpisset, missi utrimque Confluentiam Antistites VIII. è quorum numero rursum & noster fuit, eam, complanatis controversiis, seu difficultatibus, firmo rursum pede stabiliverunt, quin & eadem hac occasione Canones aliquot sanxerunt disciplinæ ecclesiasticæ instaurandæ perutiles. ANN. 922. Sigebert. in Chron.

Rebus pristinæ tranquillitati sic demum restitutis, Henricus Rex nihil non egit, ut eam perpetuum servaret illæsam; quapropter frequentes Procerum suorum conventus diversis locis celebravit, ac ex iis unum Wormatiæ, ubi, inter alia, REGILINDIM, BURCHARDI Alemanniæ Ducis relictam viduam, HERMANNO Franconiæ & Hassiæ Comiti Provinciali, simul cum ipso Ducatu tradidit in sponsam; cumque idem Rex de omnibus ita bene mereri, nec non simul universi Imperii necessitatibus provida mente prospicere pergit, irrupêre ex improviso è finibus suis Ungari, plurimisque tum Orientalis Franciæ, tum & Alemanniæ civitatibus ferro ac flamma deletis, Rhenum juxta Wormatiam transmiserunt, hacque urbe similiter eversa, reliquas per Galliam ad usque oceanum pari furore aggressi sunt. ANN. 926.

Ex hac infelici clade, quam ceu duplicem Scriptores passim reponunt in Annis DCCCCXXXIII. & DCCCCXXXVIII. emersus tandem aliquando Richowo noster, quo eam penitius abstergeret, oblata Geroldi, & Idiburgæ, nec non aliorum benefactorum bona ac munera, in restaurandis ædium sacrarum ruinis insumpsit, tum & amica CONRADI Comitis ope, ac simul intercessione usus, OTTONEM hujus nominis I. qui Henrico parenti haud ita pridem in Regno successerat, permovit, ut diffusum per ampla arvorum spatia prædium Neukirchen, in pago Nahgow situm, ipsi ad hoc opus contulerit. Nec multo post idem noster, ad solemnem quam Rex Anno DCCCCXLVII. Prob. 18. ANN. 942. Prob. 19.

Ann. 947. Prob. 20. Francofurtum indixerat, ordinis utriusque Procerum conventum, se se adornans, oportunam Ecclesiæ suæ consulendæ rursum adesse occasionem ratus, vetera Teloneorum ac Vectigalium Jura redintegrari, novoque probata præcepto, sibi, suisque Successoribus confirmari obtinuit.

Ann 948. Evocatus dein, anno proxime sequenti, Ingelheimium, illic in frequenti Concilio, cui, præter Marinum, Apostolicum Legatum, interfuêre Archiepiscopi V. Episcopi vero XXV. & ipse judex assedit, ac de omni controversia tam Ludovici Galliæ Regis, ibidem præsentis, adversus Hugonem Ducem, quam & Artaldi, Remorum Archipræsulis, adversus Sedis suæ usurpatorem, rite cognovit. Demum, postquam & publicis comitiis, quæ jussu Ottonis Regis Anno DCCCCL. Wormatiæ celebrata fuêre, præsens adstitisset, vidissetque in iis, hinc Ludolfum, Ottonis supradicti Filium, Alemanniæ creari Ducem, inde Lutgardim ejusdem Regis Filiam, Ducis vero Conradi conjugem, a turpi vindicari calumnia, fatalem morbum contraxit, quo, juxta vetus Necrologium, die VII. idus Septembris ejusdem anni absumptus est; Præsul integritate vitæ, nec non prudentia, ac fervore Religionis, per annos XXXVI. integros, quibus præfuit, maxime commendabilis.

Frodoard. in Chron. Rhem. Ann. 950. annal. Saxon. & Contin. Rhegin.

ANNO
EPISCOPUS WORMATIENSIS
IX.

Ann. 950. Forte præsens aderat Wormatiæ Otto Rex, solliciti quando novo pastore sibi deligendo majoris ædis Canonici, votis ac suffragiis invicem certabant; cumque jam ad postulationem, quam ad electionem meliorum inclinaret sententia, proposuit ipsis Rex Annonem, claris apud Hassiacos ortum parentibus, spectatæ insuper prudentiæ, & integritatis virum, utpote quem ipsemet, ante paucos annos ex S. Maximini prope Treviros cœnobio desumptum, fundati a se juxta Magdeburgum, Bergensis Monasterii primum constituerat Abbatem.

Chron. Bergens. apud Meibom. tom. II. Script. Germ. & Brower. annal. Trevir. tom. I. pag. 453.

Is, ubi demum unanimi omnium consensu in demortui Richawonis locum surrogatus est, ingressum suum felicibus mox illustravit auspiciis, ostenditque simul quantæ tam apud Ottonem, quam & Regalem ejus prosapiam esset existimationis: nam quo tempore auspicati honoris sui jura Francofurti de manu Regis suscepit, effecêre hujus Fratres Henricus, & Bruno, ut etiam Telonium Oppidi, seu castelli Ladeburg, nunc tandem ex integro inde reportârit in donum.

Ann. 951. Prob. 21.

Ann. 952. Prob. 22. Lustrata dein universa Diœcesi sua, cunctisque ex more probati Pontificis rite ordinatis, Anno, rursus ad Ottonem, qui Merseburgi tunc forte moras trahebat, perrexit, rogitans, ut quæ bona gener ejus Conradus Dux, Ecclesiæ Wormatiensi recenter largitus fuerat, hæc regia sua pariter fulciret autoritate. Tum, inde Augustam Vindelicorum profectus, solemni Synodo, ejusdem Regis jussu, hic loci congregatæ, interfuit, invigilavitque unà cum reliquis Episcopis, qui secum præsentes adfuêre, quatenus: tam Cleri, quam populi, profectus, & totius Christianitatis utilitates, concordi diligentia tractarentur, prout ex instrumento desuper confecto plenius constat.

Canisii antiq. lection. tom. III. pag. 11. & Harduin. Concil. tom. VI. Goldast. constit. Imp. tom. III.

His

His turbida successêre tempora ; insurgente siquidem adversus Regem LUTOLFO filio, huic se se illico comitem adjunxit Conradus Dux, qui armatos in utriusque auxilium Hungaros evocans, novam ipsis ad rapinas, cædes, & latrocinia, viam aperuit ; jam infesto agmine diversas Germaniæ pervagari Provincias, oppida & villas exurere, homines, æque ac pecora abigere, omnia denique hostili animo, etiam longe ultra Wormatiam depopulari coëperant, cum perniciosissimum hoc hominum genus, ut tandem Imperii finibus exturbaret Otto, universos Optimates cum armato milite, juxta Augustam Vind. sibi quantocyus adesse jubet ; tum singulorum vires in se colligens, ferocienti Hosti occurrit intrepidus, fit atrox pugna, & multa utrimque cædes, donec tandem victoria penes Regem stetit. ANN. 953. ANN. 954. Wittikind. annal. lib. III. ANN. 955.

Adduxerat Anno noster secum in castra Conradum Ducem, eumque Ottoni factum supplicem, huic conciliaverat, quando ille admissum turpe facinus haud aliter quam gloriosa morte expiari posse reputans, irruit primus in hostes, factaque eorum insigni strage, tandem & ipse, cum fortibus aliis, occubuit; Rex tristem Generis sortem misertus, cadaver ejus, quod multis confossum vulneribus inter occisorum acervos repertum fuerat, Wormatiam honorifice deferri mandavit, funebrem pompam adornante Episcopo nostro, qui Ducem, alioquin de se optime meritum, amaris flevit lacrymis, eique in æde maxima, juxta Altare S. Crucis, locum quietis dedit ; hinc etiam Rex supradictus, dum ædis ejusdem Canonicis, bona ac possessiones quasdam in pago Nahgowe paulo post largitus est, id ad perennandam apud eos illustris defuncti memoriam fecisse videtur. ANN. 956. Prob. 23.

Cæterum Slavis, nec non & Danis, qui arma movere ausi fuerant, pari fortuna subactis, se se Otto ad Italicam expeditionem accinxit, JOANNEM XII. Pont. à BERENGARII tyrannide liberaturus. Splendidis itaque Wormatiæ celebratis Comitiis, in quibus & decreta expeditio, & Filius ejus æquivocus unanimi Procerum, totiusque populi consensu, Regis titulo insignitus fuit, ipse cum instructissimo exercitu in hostem perrexit. Verum, postquam annos jam aliquot huic bello insumpsisset, nec adhuc videretur de facili terminandum, evocato protinus è Germania subsidiario milite, quem utriusque ordinis Proceres ipsi adduxêre, rem ex voto confecit, & desiderata diu victoria demum integre potitus est. ANN. 961. Contin. Rhegin. & Otto Frising. in Chron. Hartman. Annal. Einsidl. pag. 69.

Reversus itaque ab Italia Otto, Cæsareum, quo a Pontifice redimitus fuerat Diadema inde laureatum referens, Valahusæ, in Saxonia, aliquantum substitit, ubi commilitones suos condignis affecit præmiis, ac hos inter Annonem nostrum, cui vel satis fuit unicum ab ipso obtinuisse diploma, per quod Wormatiensi Ecclesiæ omnes ac singulæ ejus libertates, privilegia, & immunitates disertissimis verbis fuêre a novo confirmatæ. Ottoni deinde ad partes Rheni proficiscenti venêre in occursum Filii ejus OTTO Rex & WILHELMUS Archipræsul Moguntinus, quibus cum Wormatiam delatus, illic & Fratrem suum BRUNONEM Coloniensium Archiepiscopum habuit obvium, dumque his omnibus comitatus, cœptum iter, secundo Rheno, prosequitur, nuntium accipit de violenta JOANNIS XIII. Summi Pontificis detentione ; Quapropter, convocatis illico Wormatiam Regni Optimatibus, de unanimi eorum voto, alpes rursum transcendit, simulque in Romanos iram suam & arma vertit. ANN. 965. Prob. 24. ANN. 966. Chronog. Saxo apud Leibniz & Contin. Rhegin.

Patrem in illas regiones proxime secuturus Otto Rex, solemnem & ipse Conventum Wormatiæ prius celebravit, ubi cunctis ad publicam securitatem tuen- ANN. 967. Contin. Rhegin.

tuendam ac conservandam prudenter ordinatis, magnam de seexspectationem præbuit; Junxerat itineris hujus comitem sese Anno noster, durante quo, ad S. Galli Monasterium, jussu Imperatoris, deflexit, pacemque religiosam, quam Ruodmannus Augiensis Abbas turbare ausus fuerat, loco sacro restituit; quanquam non solus; siquidem negotium hoc Episcopis VIII. nec non totidem Abbatibus simul demandatum fuisse, asserit autor coævus: Sed qui Wormatiensem inter illos recensens nescio quo seductus errore, eundem ERPHONEM nuncupat; cum alius tunc, præter Annonem, Ecclesiæ hujus regimen non tenuerit. Simili modo, in nomine hallucinatus est, qui Cæsareum Ottonis privilegium, Ravennæ Anno DCCCCLXX. editum protulit, per quod Theofrido S. Maximini prope Treviros Abbati, ad interventum CONONIS Wormatiensis Episcopi, adversus Advocatorum tyrannidem subvenitur; nam, quo loco ac tempore, hoc ipsum diploma datum fertur, obtinuit Anno noster ab eodem Imperatore luculentum præceptum, quo vetera Ecclesiæ suæ Wormatiensis, in sylvis seu Foreste Otenwalt, jura ac utilitates, ab iniquis Laurésheimensium Abbatum impetitionibus plene vindicantur. Cæterum Annonis in supradictum S. Maximini cœnobium beneficentia non semel jam enituerat: quandoquidem pristini hujus nidi sui oportune aliquando memor, effecit ut delectum ex eo ADALBERTUM monachum idem Imp. Otto, erectæ à se Magdeburgensi Ecclesiæ primum præfecerit Archiepiscopum; quemadmodum ad ejus quoque intercessionem GISLERO vacantem sub idem tempus Merseburgensem Episcopatum contulit.

ANN. 968. Hepidan. in Chron. & Ekkehart de Casib. S. Galli cap. XI. Zillesf. defens. S. Maximin. part. III. p. 24 ANN 970. Prob. 25. Chrong. Saxo ad annum 969. apud Leibniz. Ditmar. in Chron. lib. III.

Convocatâ interea in Annum DCCCCLXXII. Ingelheimium Synodo, frequentes ex omni Germania eam adiere Patres, videlicet: RUODBERTUS Moguntinus, GERO Coloniensis, THEODORICUS Trevirensis, FRIDERICUS Salzburgensis, ADALDAGUS Hamaburgensis & ADALBERTUS Magdeburgensis Archiepiscopi, quisque cum Suffraganeis suis Episcopis, quos inter & Anno noster; multa illic in Ecclesiarum, nec non totius Cleri profectum ac utilitatem lata fuere decreta, quibus demum communi approbatione firmatis, ac in unam seriem redactis, discessum est ab invicem.

ANN. 972. Harduin. Concil. tom. VII. part. I. & Hanseler in defens. dipl. Caroli M. adversus Eccard. pag. 124.

Obeunte dein Ottone M. qui supradicto concilio interfuerat, vacantem Thronum pleno pede adiit Filius ejus æquivocus Otto; is autem, dum lustrandis Imperii sui Provinciis occupatus, Wormatiam aliquando venisset, ibique moras traheret, supplicem habuit Annonem, loci antistitem, ob hoc maxime, quod concessa olim, nec non toties deinceps Ecclesiæ Wormatiensi confirmata teloneorum jura, quidam ausi fuissent infringere; non tulit injuriam Cæsar, sed per singulare præceptum severe inhibuit, ne quis, etiam Comes, simile quid imposterum tentare præsumat. Huic aliam longe præstantiorem gratiam idem Princeps postmodum superaddidit; videlicet: Abbatiam Mosbach, ex altera parte Nicri fluminis, in pago Wingarteba sitam, quam unà cum XXIII. locis, seu villis circumpositis, è suo dominio in Ecclesiam Wormatiensem transtulit, huicque perpetuis temporibus subjectam esse voluit.

ANN. 973. Prob. 26. ANN. 976. Prob. 27.

Tanti fuêre apud Cæsarem Annonis nostri merita; hinc constat quam gravi errore seducantur, qui Præsulis hujus obitum in Anno DCCCCLXXIIII. collocant, quandoquidem ex suprememorata illa donatione constet ipsum adhuc Anno DCCCCLXXVI. in vivis exstitisse; nec quidquam implicare videtur, cur dies IX. Kalend. Decembris, qui ipsi tandem supremus evenit, non adhuc ulterius, & quidem in annum usque DCCCCLXXVIII. protrahi possit, ut vel ex sequentibus colligere est. 977

HILDE-

HILDEBOLDUS EPISCOPUS WORMATIENSIS X.

MOrs postquam summæ virtutis dignationisque sustulisset Antistitem ANNONEM, huicque alius, ex more, substituendus esset, omnium mox suffragia Frater ejus HILDEBOLDUS retulit; Vir, cum vitæ integritate, doctrina & prudentia, tum Religione & pietate summè commendabilis magnæque insuper in Imperio autoritatis, utpote supremi Cancellari vices agens, quem proinde tam Clerus, quam & populus sibi præfici optavêre unanimiter.

Tenebat tunc, regebatque Imperium adhuc OTTO, hujus nominis II. qui coram adductum Postulatum benigne amplexus, probavit, & Regalibus gratiose indultis, solemni investitura ornavit. Reliquum erat, ut Hildeboldus Jus Sacrorum, juxta majorum instituta, capesseret, & Episcopus Vangionum, inaugurararetur; quod ubi die nonas Januarii, anni (ut quidem suspicari libet) ANN. 979. DCCCCLXXIX. quanta maximè par fuit cæremonia, suscepisset, quidquid otii à publicis negotiis deinceps nactus est, aut beneficiorum acquisivit, id omne in commissæ sibi Ecclesiæ commoda & utilitates ultro convertit.

Equidem; post terminatam, quæ inter Fuldensem & Hersfeldensem, Ab- Hist. Fuld. bates, occasione Hursillæ fluminis, dudum suborta fuerat, gravem controver- part. III. siam, postque alios ejusmodi plurimos pro Reipublicæ tranquillitate exantla- pag. 129. tos labores, Præsul noster, condigna meritis præmia vicissim experiri cœpit; Corp. Tradit Fuld. p. 242. Nam præter insignem porticum, Palatio Francofurtensi contiguam, quâ, ceu loco sibi ex ratione pristini muneris ad inhabitandum apto, haud ita pridem Martene ab Ottone Cæsare donatus fuerat; multa sunt, quæ ab hujus Filio, simulque in Script. vet. Imperio Successore, retulit, ac hæc inter, villa Eppingen cum attinentiis suis pag. 332. universis, nec non bona quæcumque LEUTFRIDO Comiti in beneficium Prob. 28. quondam fuerant collata; insuper Telonium intra Wormatiam nunc ex in- ANN. 985. tegro percipiendum, unà cum Summæ rei in eadem hac urbe dominio; qui- ANN. 985. Prob. 29. bus omnibus postmodum accessêre: Bannus in Foreste circa Wimpinam & & 30. Bischofsheim, quoad rivorum lapsus, & nemorum usus, in terminis & ambitu ANN. 988. descriptus, prout eum majores habuerant, quin & meliore quoque jure tam ad Prob. 31. venandum quam piscandum deinceps possidendus; tum & nobile prædium ANN 990. Schalea, vulgo Schlingen, in pago Brisgowiæ situm; denique Reginoldi, illu- Prob. 32. & 33. stris cujusdam viri, opima hæreditas, quæ per ejus obitum tota Regio Fisco Chron. Verdens. apud adjudicata fuerat.

Sic sibi suæque Ecclesiæ, dum sedulo prospicere pergit Hildeboldus, de Leibniz tom. III. & Ludaliis interea etiam bene mereri non obmisit; ad ejus siquidem preces & inter- wig. reliq. ventum Cæsar, ERPONI Verdensium Episcopo, jura vectigalium & mo- MSS. tom. netæ largitus est; BRANTHOUM Fuldensem Abbatem, ejusque Successores, VII. pag. 465 à solutione eorum, quæ in Omestadt Regius Fiscus exigere hactenus consue- Hist. Fuld. verat, liberos, & exemptos pronuntiavit; piam nobilis Collegii Villicensis, in- part. III. pag. 131. ter Confluentes Rheni & Sigæ, conditi, fundationem, à MEGINGOZO Schaten. Ancomite, ejusque conjuge GERBIRGA factam, stabilivit; demum cuncta nal. Paderb. pag. 332.

Camera-

Fisen Hist. Leod. lib. VII. pag. 155. Leuckfeld antiq. num. Halberstad. pag. 248.

Cameracensis Ecclesiæ privilegia a novo rata habuit; & HILDEWARDI Halberstadensium Antistitis jura & privilegia insigniter auxit, quando & ab hoc postremo invitatus, majoris Basilicæ recenter instauratæ consecrationem sua condecoravit præsentia.

ANN. 991. Chron. Halberstad. apud Leibniz tom. II. Scriptor. Brunsw. Prob. 34.

Adstitit quoque ad præfixam diem XVII. Kalend. Novembris Anni DCCCCXCI. unà cum diversis aliis tam Archiepiscopis, quam Episcopis, splendidæ huic solemnitati Hildeboldus noster, cui id muneris tunc datum fuit, ut altare in honorem S. Wenceslai erectum, suis ipse dicaret manibus, ac simul vestem martyris tinctam sanguine, in eodem reconderet, quod ubi magno cæremoniarum adparatu perfecisset, Wormatiam suam repetiit, operam daturus, ut a se isthic pridem inchoatum S. Martini Templum, omnibus suis structuris tandem staret absolutum, fundatusque in eodem Canonicorum coëtus, quem Rex amplissimis prædiis, ac vectigalibus, nuper adhuc ditaverat, Divina, juxta consuetum ritum, celebraret.

ANN. 993. Prob. 35. & 36. ANN. 995. Prob. 39. & 32. Miræi donat. Belg. pag. 657. Ludvvig. reliq. MSS. tom. VII. pag. 474.

Magnis itaque animis operi insudatum est; verùm, avocatus inde rursum ad publica negotia Hildeboldus, illi diutius insistere nequiit; quanquam, quæ per absentiam sic fortassis neglexisse visus est, sat aliunde compensavit Ottonis munificentia, siquidem VICELINI nobile beneficium, quo hic, ob admissæ capitalis noxæ reatum, mulctatus fuerat, nec non prædium longe opulentum, quod ex ACELÆ libertæ cujusdam obitu, vacaverat, idem Rex, in Ecclesiæ Worm. dominium transtulit, quo tempore Hildeboldus, prudentis oëconomiæ ductus studio, Einsidlensium Abbatem GREGORIUM induxit, ut quæ ejus juris ac proprietatis erant Gronovio in vico, hæc sibi cederet, contrà vero, dives in Brisiacis prædium Schlingen, ipse in concambium reciperet. Nec tamen suis adeo intendit commodis Præsul noster, quin & aliorum, pro more suo, etiam meminerit; id enim testantur inter cætera, collata in Epternacense cœnobium, nec non Gandersheimensem, & Halberstadensem, Ecclesias varia dona ac beneficia, quorum ipse apud Regem præcipuus semper promotor extiterat.

Diplomata Gandersh. apud. Leibniz, tom II. Script. Brunf. Schaten. annal. Paderb. pag. 540. & seqq. ANN. 996.

Convocatâ interea Gandersheimium Synodo, Rex nihil non egit, ut diuturna illa Sororis suæ SOPHIÆ, Loci Abbatissæ, cum BERNWARDO Hildesheimensi Antistite, super Jure Diœcesano, quod illa pertinaciter declinabat, dissensio, hìc tandem optatum finem acciperet: ast ubi labor omnis, quem & Hildeboldus noster partim in se susceperat, in vanum cessit, aliò curas suas vertit Otto, & meliore deinceps fortuna ductus, BRUNONEM, sibi sanguine junctum, ad Summi Pontificatûs apicem, sub GREGORII V. nomine, promovit, è cujus manibus dein Anno DCCCCXCVII. Romæ Imperiale Diadema vicissim suscepit.

idem. ibid. Lib. IV. pag. 343. ANN. 998. Hartman. annal. Heremi. pag. 109.

Fuerat itineris, seu expeditionis illius, pro more suo, comes inter cæteros Optimates, Hildeboldus, qui etiam inde unà cum Cæsare feliciter reversus in Germaniam, huic, in Palatio Neomagensi aliquando commoranti autor fuit, ut Eltenense nobilium Virginum Asceterium, quod WIGMANNUS Comes, haud ita pridem fundaverat, suo quoque diplomate firmaret. Similem in cunctis, tum Imperii, tum privatorum, negotiis, curam ac sollicitudinem adhibens, quando in Italiam festine regrediendum fuit, ad reprimendam CRESCENTII in illis partibus Tyrannidem; sed quæ mox in hujus supplicio extincta est. Epocham in Cæsareo quodam diplomate, a se recognito, Hildeboldus expressit in hæc verba sequentia: *Actum Romæ die III. Kal. Maji Anno DCCCCXCVIII. quando* CRESCENTIUS *decollatus, suspensus fuit.*

Hinc

Hinc corrigendi sunt qui Præsulem nostrum Anno DCCCCXCIII. aut certe Anno DCCCCXCVI. obiisse volunt, cum mors ejus ad supramemoratum annum DCCCCXCVIII. referenda sit, diem vero II. Nonas Augusti, quem vetus Necrologium Wimpinense demonstrat. Viadem. Litter. Collect. II.

Cadaver, funebri pompa Wormatiam relatum, in proxima Neuhausensi Ecclesia, juxta aram S. Petri, terræ demandatum fuit, lapidique sepulchrali, simplex hæc, ac rudis insculpta Epigraphe: HILTIBBOALDUS EPISCOPUS WORMATIÆ. vid. TAB. III. Fig. I.

FRANCO
EPISCOPUS WORMATIENSIS
XI.

FRANCONEM, nobili apud Hassos ortum progenie, quem summa tum prudentiæ & virtutis laus, tum rerum divinarum humanarumque scientia, cum morum integritate conjuncta, maximopere commendabant, OTTO, hujus nominis III. Imperator, intimis jam dudum adhibuerat consiliis, atque adeo amicitia sua dignatus fuerat; hinc facilis illi ad quoslibet honores ac dignitates aditus.

Etenim; post adeptam Laurisheimensem Abbatiam, Franco, vacantem quoque ex HILDIBALDI obitu Wormatiensem Episcopatum obtinuit, ANN. 998. majora hauddubie promeriturus, ni intempestiva mors, vitæ ejus cursum abrupisset; qua de re audiendus nobis est auctor coëvus in hæc verba. Ditmar. in Chron. lib. IV.

„ Memorare mihi libet FRANCONIS Episcopi Wormatiensis brevem „vitam, qui juvenis, ac omni probitate elucens, Cæsari Augusto placuit, „ut cum eundem suæ conjunctum familiaritati, in divinis pollere sedulo vi-„disset, mortuo prædictæ Civitatis Antistite HILLEBALDO, eidem succe-„dere fecit; qui unum duntaxat annum sedens, in Italia obiit, ibidem „sepultus.

Hinc duplicis erroris arguendus est Helwichius, dum (quod & alii nonnulli auctores faciunt) Præsuli nostro annos Regiminis prope IV. attribuit, teste ad hoc usus quodam SYLVESTRI Pontificis rescripto, cujus notæ Chronicæ non in annum M. sed DCCCCXCIX. referendæ sunt, quo Franconem Romæ è vivis excessisse constat, & quidem VI. Kalend. Septembris; ut recte utrumque notavit Fuldense Necrologium, à nobis jam alias editum; hoc siquidem tempore etiam Adelheidis Augusta, Agauni existens, nuntium de ejus obitu accepit, & quia Franco *vir boni testimonii erat, Domina Augusta ipsum valde diligebat* (ut habet vitæ ejus Scriptor) statimque ex „familiaribus, qui aderant unum vocavit, & ut pro eo Domino preces ef-„funderet —— Tum, in excessu mentis ita exorsa est, dicens: Quid faciam „Domine! vel quid dicam de illo Seniore nostro & Nepote meo? peribunt, „ut credo, in Italia multi cum eo, peribit post ipsos, ut timeo, heu mise-„ra! Augustæ indolis Otto; remanebo omni humano destituta solatio. Ab-„sit ô! Domine Rex sæculorum! ut videam superstes, tam lugubre dispendium.

Helwich. Prodrom. Annal. Worm. pag. 20.

Vita Adelheid. Imp. apud Leibnitz tom. I Script. Brunsw.

Hucusque supradictus Scriptor, cujus relationi apprimè respondit eventus; nam & ipsa piissima Imperatrix, pro voto suo, eodem hoc Anno DCCCCXCIX. cœlo recepta est, & Otto diem in Italia haud diu post clausit extremum.

Chron. Quedlinb. apud Leibniz.

Cæterum observat anonymus quidam, Franconem nostrum, morti proximum, non vano augurio, optasse, ut Frater suus germanus Burkardus, sibi in sede Worm. daretur successor.

Chron. Worm. M. S.

ERPHO
EPISCOPUS WORMATIENSIS
XII.

Defuncto FRANCONI scriptores passim in serie substituunt ERPHONEM, cujus nudum nomen hic indicasse satis fuerit, cum illud vestire coloribus, & illustrare Commentariis, non sinat brevissima viri, haud dubie præclari, vita: nam ab OTTONE Cæsare Anno DCCCCXCIX. designatus Wormatiensium Episcopus, *quartum diem non vidit*, ut habet vetus M. S. Chronicon, sed in ipso Dignitatis suæ aditu, morte sublatus est.

ANN. 999.

RAZO
EPISCOPUS WORMATIENSIS
XIII.

RAZONI, cui splendidi natales tribuuntur, idem fere fatum fuit, quod prædecessori ejus ERPHONI; in hujus enim locum ac dignitatem ab OTTONE Augusto surrogatus, (si tamen ritè, nec *datis muneribus*, ut quidam volunt, eandem obtinuit) diebus haud amplius XIIII. supervixit. Unde & de ipso vetus Poëta anonymus:

ANN. 999. Chron. M. S. Worm.

Pontificis baculum portavit Wormatiani,
Bis septem, vivens, nonnisi, RAZO, *dies.*

Instituerat autem jam iter suum Razo, gressuque festino ex Italia properabat Wormatiam, quando Eum Churæ in Rhætia, mors imprævisa stitit, & vitam simul cum honoribus ponere coëgit.

BUR-

BURCHARDUS I.
EPISCOPUS WORMATIENSIS XIV.

PRæproperus ille duorum sibi invicem succedentium Præsulum obitus, OTTONEM Augustum tandem permovisse videtur, ut, juxta quod olim à se moriens desideraverat FRANCO, hujus fratrem germanum BURCHARDUM al. BUGGONEM in Wormatiensi sede collocarit. Factum probante unanimiter tam Clero, quam & populo. Ann. 1000.

Fuerat Burchardus primùm majoris Ædis Leodii Canonicus, quo tempore OLBERTO Lobbiensi monacho traditus est, sanctiore disciplina imbuendus. Eos autem sub tanti viri disciplina mox progressus fecit, ut sparsa in omnem late regionem fama multos etiam ex Imperii Optimatibus in sui admirationem pertraxerit, quorum deinde interventu donis ac muneribus ab ipsomet Cæsare non semel affici promeritus est, dum interea raræ indolis juvenem WILLIGISUS Archipræsul ad se propius allectum Moguntiam, præpositura Collegii S. Victoris hac in urbe donavit, nec non demum Anno DCCCCXCVII. die VI. Idus Martii, presbyterum inunxit; & hæc fere Burchardi nostri conditio erat, quando simul cum Francone fratre ad Palatium evocatus, ambo in censum, seu numerum Regiorum Capellanorum relati fuêre, parem deinceps in reliquis etiam experti sortem, nisi quod unus alterum in dignitate Episcopali præcesserit, ut supra jam vidimus. Gest. Abbatum Lobbiens. apud Dacher. spicileg. tom. II. pag. 744. Prob. 37. & 38. Chron. Worm. M S.

Vangionum itaque Præsul, sub anni Millesimi initium designatus & ipse Burchardus nihil in votis habuit ardentius, quam Ovili suo conjungi. Verum magna ad primum dignitatis & principatùs ingressum, cura simul & anxietudo ipsum incessit: dum enim squallentem ex tot præcedentibus cladibus civitatem in melius reformare, eversa hinc inde templa, stratas turres, nec non mœnia passim diruta, erigere, quin & populum ad brevem paucitatem redactum, rursus augere cogitat, jamque grandi concepto operi manum feliciter admovisset, Ottonis Ducis, qui Palatium ibidem, cum annexo prædio, à regia potestate, more majorum, tenebat, iras ac invidiam incurrit; hinc mutuis odiis certatum, resque cædibus & rapinis utrimque peracta est, donec tandem Dux in arctum repressus, nec non viribus plane exhaustus, pacis consilium, conditionesque, ultro admisit. Anonym. in vita Burchardi. vid. supra part II.

Sopito in eum modum, si non penitus extincto, fatali hoc dissidio, Burchardus, imperatum sibi interea Romanum iter demum ingressus est, copias suas jungens cum reliquis, quas & alii Optimatum nonnulli in Cæsaris auxilium pariter educebant; quando subitus ex adverso rumor percrebuit, eum Paternæ vita functum. Hoc tristi nuntio perculsi quotquot tunc simul congregati erant, ad sua quantocyus reverti statuerunt; conversis itaque signis retrocedentes, quod turbida ac confusa in Imperio jam esse cœperant omnia, viam non uno in loco sibi armis aperire coacti fuerunt, duce inprimis ad hoc oportune usi Tremaro, milite Wormatiensi, cujus nota erat industria, notum & brachium. Ann. 1002.

Verum, ubi Præsul noster suam quoque urbem ab HERMANNO Duce interceptam, maximisque tum Alemannorum, tum Francorum, nec non & Alsacensium copiis infessam comperit; illico ad HENRICI, Bavariæ Ducis partes deflexit, huicque in adipiscendo Imperio non levem opem ac operam præstitit; hunc siquidem Moguntiam properantem, cum a Rheni transitu juxta Wormatiam arceretur, ipse vado alibi indagato, flumen illud superare docuit, optatoque loco Principem stitit incolumem.

Adelbold in vita Henrici.

Tam insignis fidei, probatique in se studii Henricus haud quaquam immemor, ubi primùm Sceptra tenuit, quæ summo utriusque Ordinis Procerum applausu, de manu Willigisi Archiepiscopi susceperat, gratas Burchardo vices suas rependit; Nam & saltum Forahi, hodie Forholz dictum, latissimis in tractu Rheni ac Nicri circumscriptum finibus, unà cum Jure venandi, ac banno, eidem per Imperiale præceptum firmavit, quin etiam, ut majore vi & autoritate Ecclesiam suam regeret, temporaleque ac absolutum in urbem dominium, quemadmodum illud à prædecessoribus acceperat, plenius deinceps exerceret, Ottoni Duci, proposito concambio, autor fuit, ut relicto, quod ibidem loci eatenus occupaverat, Palatio, Bruhsellam simul cum tota Familia migrarit. Nec hic stetit novi Regis munificentia, sed ad ipsius quoque Conjugis suæ CUNIGUNDÆ interventum, insigne Prædium Pippinesdorff, situm in pago Mosellano, superadjecit, ac Wormatiensi Ecclesiæ proprium esse voluit.

Prob. 40. Prob. 41. ANN. 1004. Prob. 42.

Sic demum tranquillam ex omni parte nactus sedem Burchardus, quo eam posthac securiorem redderet, invisas sibi ædes, quas non nisi acceptis etiam ab ipso muneribus, recenter evacuaverat Otto, funditus subverti jussit, iisque insignem superstruere Basilicam constituit; quo in cœpto dum pergit feliciter, ad Concilium, ex Regis voluntate, Tremoniam indictum, evocatus est; ubi postquam in numeroso Patrum consessu, de promovenda pœnitentia, augendoque Religionis cultu, nec non perpetuis orationum suffragiis invicem præstandis, serio tractatum fuisset, tantus antistitem nostrum pietatis ardor insessit, ut Wormatiam redux, non ante quieverit quam Jus sacrorum, ex veteri Majorum instituto, suscepisset, id quod ex scriptoribus alii ad annum MVI. alii vero ad MVIII. referunt.

Prob 48. ANN. 1005. Chron. Hildesh. & Ditmar in Chron. lib. VI ANN. 1006. Annalist. Saxo & Sigebert in Chron.

Auxerat solemnis hujus Ceremoniæ, quæ Ladeburgi peracta fuit, splendorem, Rex ipse præsens, qui ut eam simul posteris memorabilem redderet, universa Ecclesiæ Wormatiensis jura ac possessiones, juxta prædecessorum suorum mentem, novo firmavit diplomate; tum recens consecratum, inde Francofurtum unà secum abducens, convocatæ illic à se Synodo amplissimæ interesse voluit, eique auspicatam Bambergensis Episcopatûs erectionem, de qua tunc potissimum agebatur, impense commendavit. Quæ res postquam ex Henrici voto prospere demum terminata fuisset, regiam ejus beneficentiam rursum expertus est Burchardus; quandoquidem in Ecclesiæ suæ utilitates conversa vidit cuncta, quæ in pago Loganæ BECELINUS Comes, feudi lege ab Imperio eatenus possederat; accessit & integer Comitatus Stalbuhel, intra pagi Lobedeburgensis limites situs, quem idem Rex Præsuli nostro manu æque liberali contulit.

Prob. 43. ANN. 1007. ANN. 1008. Prob. 44. & 45.

Congestæ in unum tot opes ac divitiæ, invidorum oculos offendere poterant, ni simul patuisset usus. Nam hucusque, quidquid otii à publicis negotiis Burchardus nancisci potuit, id omne augendæ, ornandæque Dioœcesi

cesi suæ visus fuerat impendisse, quo in proposito etiam deinceps perrexit alacrius, ubi regia se se munificentia adjutum sensit; hinc Templo, quod Divi Pauli esse voluerat, licet necdum penitus absoluto, Basilicam Principem, angustis murorum spatiis circumscriptam, nec solide satis olim instauratam, dirui mandavit, atque ea amplitudine, quam merito omnes suspiciunt advenæ, ex quadrato saxo magnifice à fundamentis novam coëpit construere; dumque opus utrumque sedulo urget, rursum aliis curam hanc relinquere compulsus est.

Anonym. in vita Burchard. & supra Part. II.

Equidem; ab Henrico, in lustrandis Imperii Provinciis, comes inter cæteros adscitus, varia simul tractare negotia ipsi datum fuit: nam & Florinensis monasterii fundationem, a GERARDO Cameracensi Episcopo recenter factam, suo quoque probavit calculo, & dissidium, quod inter HENRICUM Wirceburgensem, & EBERHARDUM Bambergensem Episcopos versabatur, ratione bonorum quorundam in Rhingavia sitorum, ex suo pariter terminavit arbitrio. Ast ubi res intervenêre, quæ propriam suam Wormatiensem concernebant Ecclesiam, eas Burchardus non alio, quam Regis judicio terminari voluit; ut quando, hinc, sopita dudum cum Laurisheimensibus circa Forestim Odenwalt controversia recruduit, inde vero, Comitum Provincialium, qui potestate sua passim abutebantur, erupit insolentia; utrique enim malo huic promptum, ac efficax attulêre remedium, emanata totidem Henrici præcepta, quibus illico parendum fuit.

ANN. 1012. Mir. ri. donat. belg. nov. edit. pag. 658. Hoffman. annal. Bamberg. apud. Ludvvig. Prob. 46. & 47.

Redux itaque tam ex hoc, quam & Romano itinere Præsul, quieta omnia, nec non rite etiam, prout abiens jusserat, disposita reperit, hinc liberiore animo sacris ædibus partim perficiendis, partim à novo construendis intendit; nam & prope Templum majus, quod jam pene ad culmen eductum stabat, jacta fuere, pro fonte Baptismali, octogonalis Basilicæ fundamenta, jamque huic structuræ admoti insudabant operarii, qui illam divo Paulo dicatam recenter absolverant, cum advenit ex improviso Cæsar, ac unà cum ipso Procerum utriusque Ordinis multitudo ingens, qui omnes stupendam Burchardi nostri diligentiam simulque industriam condignis extollentes laudibus, Henrico persuaserunt, ut se nunc præsente, Templi primarii dedicationem fieri juberet; niti quidem contra Præsul, eo quod opus necdum plene esset absolutum, multusque insuper ad solemnitatem requireretur adparatus. At ubi Cæsarem vidit perstare in proposito, nec in aliud tempus rem velle differre, ejus voluntati pro modulo obsecundatus est, & consecrationis munus WILLIGISO Metropolitano suo detulit. Ne autem in publica hac lætitia, Petrum celebrari contingeret absque Paulo, cunctis ibidem præsentibus, sub illustri testimonio innotescere voluit Burchardus, quid in hujus quoque Apostoli honorem instituisset, dum & erectum à se nuper sub ejusdem patrocinio insigne Canonicorum Collegium, novis fortunarum atque opum subsidiis auxit.

ANN. 1016. Anonym. in vita Burchardi. Prob. 48. & 49.

Tali munificentiæ, nec non gloriæ divinæ incensus studio, Præsul noster, etiam Parthenonis illius, cui sororem suam MECHTILDIM præfecerat Abbatissam, memor aliquando exstitit, eumque inter alia, aquarum beneficio recreavit. Tum, conditam aliàs in vicino saltu Cellam, in qua studiis, ac rerum cælestium contemplationi vacare hactenus consueverat, novis operibus exornare cœpit, murisque quàquà versum objectis, tuta sibi à strepitu ac vulgi commerciis habitacula paravit; abinde curas suas convertens ad proximum S. Cyriaci Templum, illud, quemadmodum vectigalibus,

Anonym. in vita Burchardi.

sic variis auxit ædificiis; eadem et S. Martini, quod in urbe situm est, Canonicorum Collegium beneficentia usus, huic siquidem Ecclesiam in Speye, simul cum proventibus ex integro unitam voluit; quin & novâ à fundamentis excitatâ Basilicâ, Canonicorum S. Andreæ cœtum, qui prius deforis exstiterat, in eam transtulit, nec non redditibus ac suppellectile sacra locupletavit. Denique vitam communem universim instauraturus, excitatis tam circum ædem primariam, quam & secundarias, domiciliis, clerum suum certis adstrictum legibus, velut claustro monastico coercuit, ac simul omnia indivisa, ad vitam degendam necessaria, largiter in commune præberi jussit.

Hæc inter pietatis opera, humanæ miseriæ nusquam oblitus, nihil ipsi
idem. ibid. fuit jucundius quam residuas opes, pleno cornu effusas, per manus pauperum & egenorum transmittere in coelum, dum in se durus, perpetuis vigiliis & jejuniis corpus macerans, pro sola vitæ sustenstatione, præter panem & olera ad cibum, aquam vero ad potum, vix quidquam adhibebat;
ANN. 1023. hinc viribus sensim deficientibus, postquam adhuc Anno MXXIII. diversis Conciliis, quæ Archipræsul Moguntinus ARIBO, nunc Moguntiam, nunc Seligenstadium, convocaverat, præsens adstitisset, in paralysin incidit, quem afflictum valetudinis suæ statum deinceps plurimum auxerunt inveteratæ dissensiones, quibus propter Forestim Odenwalt, ex parte Laurisheimensium fere quotidie appetebatur. Quapropter debilis licet & infirmus, Cæsari Triburiam aliquando proficiscenti comitem se se præbens, effecit ut
Prob. 50. mutuis illis odiis ejus autoritate radicitus sublatis, pax utrique Ecclesiæ reddita fuerit, poenis ad hoc etiam severissimis contra infractores propositis.

ANN. 1024. Vitæ reliquum Burchardus in Diœcesi, nec non Republica rite ordinanda insumpsit, sedulo prospiciens, ut sincero boni publici studio, sapientia, integritateque pollerent, quos unà secum gubernaculis admoverat; eo fine,
Prob. 51. præclara illa edidit statuta, quæ singulari comprehensa Edicto, omnibus patere voluit; demum justis funebribus Henrico Imperatori, qui ipsum in beatæ æternitatis itinere nuper præcesserat, persolutis, hoc saltem adhuc in humanis percepit solatii, quod Dux CONRADUS, ab ipso, ea qua par erat sollicitudine olim educatus, vacantem Thronum, summo omnium Ordi-
ANN. 1025. num applausu conscendisset; jam vero ubi piissimus Antistes, sui quoque corporis dissolutionem instare sensit, nihilo factus commotior, inter adstanti-
Necrolog. Wimp. in Vind. litterar. collect. II. Anonym. in vita Burchardi. um preces ac suspiria, placide animam Creatori suo reddidit, ac vitam sancte traductam, morte justorum terminavit Anno MXXV. die vero XIII. Kalend. Septembris; nihil in Thesauris relinquens præter Denarios III. quod cuncta jam exhausisset Charitas. De suppellectile soror ejus Mechtildis Abbatissa scriniolum dono accepit, *cilicio hirsutissimo*, & *ferrea catena*, *quasi ex usu attrita*, refertum.

idem. ibid. Corpus, publicâ mœstitiâ, cum solemni funeris officio, suscepit Clerus, ac postquam illud per omnes Civitatis Ecclesias circumtulisset, tandem in majori quiescere dedit, & quidem in Crypta subterranea chori occidentalis; sepulchrum, paulo supra pavimentum eductum, claudebat lapis he-
vid. TAB. III. Fig. III. misphæricus, addita hac Epigraphe:

HIC JACET BUGGO, QUONDAM ISTIUS LOCI EPISCOPUS.

Religionem, seu cultum innuere videntur non solum *ardens* olim *ante sepulturam Burchardi Episcopi lampas*, sed & *ossa* ipsius, à nescio quo successorum suorum elevata, ac *in cista picta*, *post altare majus posita*, *quæ singulis annis in ejus anniversario monstrantur*. Ut habet vetus M. S. Chronicon.
Cer-

Certe eadem sese adhuc Anno MDCXIV. *sub altari maioris chori* reposita vidisse, testatur Vir Cl. Georgius Helwichius, chartamque iisdem appositam legisse, in hæc verba conscriptam: Helwich. Prodrom. annal. worm. pag. 22.

„ Heu! Heu! Charissimi. Magnum Festum decens esset obtinere de „ Burkardo, tertia die ante Festum Nativitatis Mariæ Virg. propter passio- „ nem. Præsul Burkardus Heu! non est canonisatus hujus fundator Templi- „ que reædificator.

Hodie post tot sequiorum temporum fata nihil de Burchardo nostro amplius reliqui est; dum sumptuosæ ejus structuræ, nec non præclara ingenii monumenta, nomen aliunde æternitati sat commendarunt. Ex his notissima est veterum Canonum collectio in XX. distributa libros, quam sub annum MVII. hortatu WALTHERI Spirensis Episc. ope vero OLBERTI Lobbiensis monachi, quo etiam aliàs præceptore usus fuerat, confecit, gratas huic vices suas etiam aliquando rependens, cum eum BALDRICO Leodiensium Antistiti, suoque olim in palatio Regio conturbernali, & amico, commendatum, ad Gemblacensis Abbatiæ Infulas promovit. Chron. Stederb. Vita Olberti apud Mabill. in act. Benedict. Sæc. VI. part. I. pag. 600.

AZZECHO
EPISCOPUS WORMATIENSIS
XV.

Aderat dies præfixa, qua BURCHARDO vita functo, aliquis in Episcopatu daretur successor, quando majoris Ædis Canonici, omnibus mature circumspectis, AZZECHONE potiorem ad hoc reperère neminem. Nam præter eximias tum corporis tum animi dotes, quæ avitæ NASSOVIORUM stirpis, unde & ortum traxerat, quasi hæreditaria erant decora, eum summopere commendabat eximia prudentiæ ac eruditionis laus, cum singulari religionis, ac modestiæ fama conjuncta; inprimis vero CONRADI Regis, quo cum sanguine junctus dicebatur, suffragium. ANN. 1025.

Summa itaque tum Cleri, tum populi gratulatione, Vangionum Antistes salutatus Azzecho, in ipso dignitatis suæ ingressu probavit quam tenero affectu desponsatam sibi solemniter die II. Nonas Decembris Anni MXXV. Ecclesiam complecteretur; siquidem lustrandis provinciis simulque æmulis comprimendis occupatum Regem assecutus, rogavit: ut quæcumque Wormatiensi Ecclesiæ HENRICUM prædecessorem suum donasse ostendebat, ipse pari munificentia confirmare, ac perpetuùm rata habere dignaretur; annuit Præsulis sibi fidelissimi postulatis Conradus tanto lubentius, quod GISLA conjux singulari propensione suas quoque intercessiones in eum finem interjecisset; hinc & in ejusdem gratiam bona ac possessiones quasdam, unà cum mancipiis in villa Flersheim inter majoris, & Neuhausensis, Ecclesiarum Canonicos repartiendas, de proprio adjecit, hac lege, ut quo die regalem unctionem perceperat, Sui, nec non Conjugis, & Filii Henrici, quotannis memoriam, ritu solemni, recolerent. ANN. 1026. Prob. 52. & 53.

Perrexit deinde instructissimo cum exercitu in Italiam Conradus, Imperiale Diadema de manu Pontificis suscepturus, quo in itinere postquam

eum

eum Azzecho noster comitatus fuisset, etiam inde reducem, Wormatiæ, omni qua potis erat, reverentia excepit; actum hìc de variis Reipublicæ necessitatibus, tum & de terminanda quæ inter POPPONEM Trevirensium Archipræsulem, & BRUNONEM Tullensium designatum Episcopum, tunc vigebat controversia; quod ubi ex voto successit, Brunoni jus sacrorum exquisito cæremoniarum adparatu ibidem collatum fuit. At Moguntinus ARIBO, & Hildesheimensis GOTHARDUS, Antistites, quos æque gravis, sed pertinax, ac prope jam inveterata simultas, ratione jurisdictionis ordinariæ in Gandersheimense Virginum Collegium agitabat, haud adeo facile invicem conciliati sunt. Nam causa in synodali patrum consessu primùm Seligenstadii, dein Palithi, ac demum Francofurti, mature examinata & discussa, nullibi optatum finem reperit, licet hoc postremo loco in favorem Gothardi, ipso Rege præsente, ferebatur decisa.

Wipert. in vita Leon. PP. & Carol. Stengel Rer. August. io. pag. 138.

ANN. 1027.

Adstiterat, pro dignitate sua, tribus illis sacris conventibus Præsul noster, in iisque Jus Metropolitani sui, ut egregie, sic constanter tuitus est; nec minore studio ac fervore in formanda Cleri populique disciplina, excolendisque rudium animis desudavit; quin & Decessoris sui vestigia secu-
ANN. 1033. tus, novam addidit Basilicæ primariæ structuram, oratorium videlicet, di-
Prob. 54. vo Mauritio sacrum, quod amplissimis auctum vectigalibus, in communi Fratrum cœmiterio exstare voluit, tum ut prædecessoris sui Burchardi beatæ memoriæ parentaret, tum animæ propriæ per Confratrum preces consuleret. Aliam ejusmodi sacram ædem haud procul inde, sub divi Kiliani Episcopi & Mart. Patrocinio condidit, sequenti hac insignitam inscriptione.

AZZECHONI EPISCOPO,
ET
BENZONI QUI FECIT,
VENIAM ROGATE.

Denique; quò suum, tam erga Conradum Imp. quam & conjugem, & liberos ejus obsequium, nec non simul gratitudinem testaretur luculen-
Prob. 55. tius; aram in principe Basilica erexit, quam S. S. Hyppolito & Nicomedi M. M. dicatam, insigni proprietatis suæ prædio, quod Nassoviæ in pago Loganæ habere visus fuerat, dotavit, haud alio fine, quam ut in eadem statis anni diebus, anniversariæ prædictorum Principum memoriæ primarius loci Clerus, ritu per quam solemni perpetuum inserviret, suique simul recordaretur.

Placuit Cæsari pium institutum, atque ut in Ecclesiam, ubi juxta aram S. Crucis condita dudum requiescebant avorum, ac parentum suorum corpora, affectum suum aliquo beneficentiæ testimonio vicissim manifestaret,
Prob. 56. obtulit B. Petro Apostolo dives prædium Affalterbach, situm in Wetteravia, simul cum universis ejusdem attinentiis.

Sic religioni per omnia promovendæ continuo intentus Azzecho, novam, Zelum suum in hoc exercendi, materiam ipsi subministravit Annus
ANN. 1036. MXXXVI. quo Triburiensi Synodo ipse XL. Antistes assedit. Cæterum
Helwi h. Andq. Laurisf. tranquilla posthac nactus tempora, vix quidquam adversi sustinuit, nam repullulantia suos inter & Laurisheimenses veterum dissensionum odia, feliciter compressit, & Conradum Cæsarem, sibi morte præreptum, in hujus
ANN. 1039. Filio HENRICO redivivum expertus est; implevit autem Azzecho & ipse
ANN. 1044. communem omnibus mortalitatis legem Anno MXLIV. inscriptus Necrologio

gio Wimpinensi, tanquam benefactor, his plane verbis: *XV. Kalend. Februarii Ob.* HAZECHO *Episcopus, qui servitium de Hurvvenvurt & Kessaha constituit.* Hinc corrigendi sunt qui obitum ejus in diem VII. Januarii referunt. Vindem.Litter. Collect. II. pag. 64.

ADALGERUS
EPISCOPUS WORMATIENSIS
XVI.

Fidelem a puero, litteris simul & virtutibus operam navaverat ADALGERUS, claro in Hassia (ut quidem videtur) ortus genere; qui dum illustre Regii Cancellarii munus, magna fide, ac vigilantia aliquamdiu sustinuisset, accidit, ut orbata nuper Pastore suo Wormatiensis Ecclesia, cum concordibus suffragiis Antistitem sibi dari postularet. ANN. 1044.

Factum, communi omnium ordinum applausu exceptum, etiam summi Pontificis, nec non Regis judicio probatum fuit, secutaque mox novi Præsulis inauguratio, quâ solemniter peractâ, adjecit ipse reliquis Ecclesiæ suæ possessionibus, eas quibus eum haud ita pridem in pago Hassiæ donaverat Rex HENRICUS; dein leges claustrales, quæ multoties labefactatæ, jam prope defecerant, in Clero suo primario innovaturus, multa ad communis vitæ societatem redintegrandam, conservandamque utilia edidit decreta, quæ simul Regia ejusdem Henrici autoritate fulciit. Hinc erroris arguendi sunt Bruschius, Helwichius, aliique, dum regularem disciplinam sub idem tempus Wormatiæ in totum abolitam fuisse contendunt, siquidem adhuc aliquot sæculis deinceps substitit. Prob. 58. vid. supra Part. I. Caspar. Bruschius de Epis. Worm. & Helwich. Prodr. Annal. Worm.

Prosperis hisce initiis, postquam Episcopatum suum illustrasset Adalgerus, perrexit in cœpto, & oportunam rursus occasionem nactus, prædium Rodenesleba, aliàs Rodenbach, in pago Nord-Thuringiæ situm, pro XX. auri libris, argenti vero marcis CC. ab ipsomet Rege Henrico acquisivit, nec non omnium Ecclesiæ suæ jurium, ac possessionum confirmationem simul obtinuit, plura ejusmodi commoda in eandem haud dubie illaturus, ni mors præpropera optimi Antistitis propositum unà cum vitæ filo abrupisset; necdum enim menses V. in dignitate transegerat, quando ad superos evocatus est, eodem scilicet, quo eam orditus fuerat, Anno MXLIIII. die vero XIII. Kalend. Augusti, ut in Chronico suo observavit anonymus quidam Kirschgartensis. Prob. 59. & 60. Chron. M.S. Kirschgart.

Præsul, longiore vita dignus, & in quo splendidum Cancellarii officium eluxit clarius, quod Principi suo carus, in quibuscumque negotiis, nihil sine Adalgero publice gesserit, nihil sine eo domi unquam susceperit.

ARNOLDUS EPISCOPUS WORMATIENSIS XVII.

Inter Regios Capellanos (quod munus olim præ cæteris ambiebant primariæ Nobilitatis Viri) tuta semper, planaque via ad honores procedere, ac gradum facere, visus est ARNOLDUS, aliis ARNOLFUS dictus; hunc siquidem a teneris per omnia artium liberalium studia excultum, nec non sapientia, morum integritate, usuque rerum præcellentem, cuncti suspiciebant; unde & mortuo ADALGERO, cui, dum viveret, intima semper familiaritate conjunctus fuerat, unus omnium maxime dignus habitus est, qui Wormatiensis sedis adiret fastigium. ANN. 1044.

Probavit hanc Arnoldi promotionem inprimis Rex HENRICUS, & quidem tanto lubentius, quod virum de se, nec non de Imperio, jam aliquoties optime meritum condignis gratiis ac muneribus recenter adhuc affecerat, quodque majora servitia ab eodem nunc exspectare licebat. Hinc intimis consiliis adhibitum, in perpetuo suo comitatu deinceps hærere voluit, id licet summopere refugeret Præsulis nostri modestia, qui ab incumbente pastorali officio se se ita distrahi, non nisi ægre admodum passus est. Prob. 57.

ANN. 1047. Quanta autem tum temporis fuerit Wormatiensis Ecclesiæ, præ reliquis, disciplinæ purioris, nec non sanctitatis laus ac fama, vel ex sequentibus facile est colligere; nam & desumptum ex ea EBERHARDUM majorem Præpositum, Henricus, qui nuper Imperiale diadema susceperat, Trevirensibus dedit Antistitem; & in altero illo a se, Wormatiæ, celebrato Procerum Conventu, BRUNONEM Tullensium Episcopum ad summi Pontificatûs apicem evexit; hujus autem supremæ dignitatis non vanum id fuerat augurium, quod idem Bruno, aliquando sopore mersus, sibi visus est hic loci in primario Templo consistere, ac coram intueri Candidatorum multitudinem prope infinitam, è quà notum sibi aliàs BEZELINUM Archidiaconum sevocans, quæsivit: ecquod esset hoc hominum genus? audit; omnes *in Principis Apostolorum servitio* obiisse; mox autem Petrus ipse, Brunonem pontificiis ornatum indumentis, comite Prothomartyre Stephano, inter cœlestes concentus ad Altare deducens, ei V. calices aureos porrexit; quod somnium de adito Pontificatu recte interpretatum fuit, quin & V. calices, regiminis ejus totidem designasse annos, comprobavit eventus. (Herm. Contr. in Chron. — ANN. 1049. — Wiperr. in vita Leonis IX. Papæ Lib. II. cap. I.)

His majora sunt, quæ idem Henricus in Ecclesiæ Wormatiensis favorem ulterius præstitit; ut quando Imperiale bannum, quale olim ex prædecessoribus ejus OTTO hujus nominis III. per sylvas, ac forestes circa Wimpinam ordinaverat, ipse novo desuper edito diplomate, confirmavit, & dives illud prædium in Turingia, Rodenbach nuncupatum, quod cum pacto retrovenditionis huic Ecclesiæ nuper obvenerat, nunc demum Anno MLI. in plenum ac absolutum ejusdem Dominium transmisit. (Prob. 61. — Prob. 62. & 60. — ANN. 1051.)

Cæte-

Cæterum; huc referre lubet, quod sub idem tempus Wormatiæ accidisse memorant Scriptores, quamvis in anno varient; videlicet: quod cum Christi natalem diem ingenti lætitia supramemorati LEO Pontifex, & Henricus Cæsar ibidem simul peragerent, ille Humbertum Diaconum, quod Evangelium, præter morem Romæ receptum, decantasset, exautoravit. Verum Archipræsul Mogunt. LUPOLDUS, cui hic ad altare ministrabat, ut erat in retinendis Ecclesiæ suæ veteribus institutis sollers, missarum solemnia perficere renuit, nisi Humberto sibi prius restituto. Certe jucundum illum Pontificis adventum, ut prosa, sic & metro, celebrasse majores, testantur Rithmi sequentes: Lamb. Schaffn. Herm. Contract. Andreas Ratisb. in Chron. Item Chronog. Saxo.

Præsul ut ARNOLDUS *partes Pastoris agebat,*
Nonus Papa LEO, *Te Vangio sanctificabat.*

Aliam Anno MLV. Arnoldus ipse Festivitatem peregit, dum condito a se in honorem sancti protomartyris Stephani, juxta majorem Basilicam, Oratorio, illud in maxima Cleri, populique corona, assistente sibi Spirensi Episcopo Arnoldo, consecravit, nec non fundis ac vectigalibus necessariis instruxit; idem & de altero illo S. Nicolai Oratorio facturus proxime, ni pietatis opera interturbasset Provincialium Comitum imperiosa licentia, adversus quam Præsul noster se se illico præmunire opus habuit, ne, quod jam alias verebatur, Ecclesiastica libertas detrimentum exinde caperet; implorata itaque Cæsaris justitia, accisam sensêre autoritatem suam Comites, eorumque potestas novis limitibus circumscripta fuit. ANN. 1055. Vid. supra Part. I. ANN. 1056. Prob. 63. & 47.

Emersus ex hisce periculis Arnoldus, in perturbata, ob recentem Henrici Imp. obitum, tempora rursum incidit, quanquam pueri regis, nec non matris ejusdem AGNETIS, sub cujus tutela constitutus erat, gratiam ac favorem ita in brevi sibi devicit, ut non modo Ecclesiæ suæ Worm. Jura, amborum suffultus autoritate, integra, illibataque servaverit, sed & insuper insignibus donis ac muneribus ab iisdem affici promeruerit; quia vero Coloniensis Archiepiscopus ANNO, suam in hoc amicam interposuerat operam, gratas illi vices opportune aliquando rependit Antistes noster; nam, juvene Rege Festa paschalia rursum Anno MLXV. Wormatiæ solemniter peragente, dum etiam ibidem gladio primùm succingitur, eumque mox in caput Archipræsulis converteret, retinuit irati Principis brachium Arnoldus, effecitque, ut, condonatis ultro injuriis, Annonem denuo in gratiam receperit. ANN. 1062. Prob. 64. ANN. 1065. Lamb. Schafn. in Chron.

Substitit autem mutua hæc inter duos Præsules amicitia, etiam post obitum, (si celebri, ac coëvo Scriptori credimus) nam posteaquam Anno graves a seditiosis Coloniensibus suis aliquando sustinuisset molestias, curis ac laboribus fractus, in infirmitatem incidit, visusque est sibi in somno „Domum quandam omni decore intus & foris resplendentem intrare; & „ecce, in subselliis judicialibus, tanquam ad Concilium solemniter evocati „residebant: Heribertus Coloniensis Archiepiscopus, Bardo Mogunt. Archiepiscopus, Boppo, & Eberhardus Trevirensis Archiepiscopi, ARNOLFUS Worm. Episcopus, & alii quam plures Galliarum Episcopi, quorum „alios ipse in carne noverat, alios fama tantum vel lectione compererat, „amicti omnes stolis pontificalibus, & habentes vestem instar nivis candi„dam; ipse quoque candidis admodum ac prætiosis indutus sibi videbatur, „sed partem candentis vestimenti, eam scilicet qua pectus tegebatur, sordida „quædam, ac fœda caligo obduxerat; cæterum cultus ejus splendorem sua Idem ibid. ad ann. 1075

 fœ-

„ fœditate plurimum obfuscabat, quam tamen ipse, nimio rubore perfusus, „ objecta manu tegere, ac celare, ne inspicientium offenderet obtutum, co- „ nabatur; videt præterea inter eos sibi quoque sedem miri decoris paratam, „ quam cum occupare, gaudio & exultatione æstuans, properaret, surgens „ Arnolfus Wormatiensis Episcopus, modesta voce eum prohibuit, dicens: „ reverendos Patres, qui assiderent, nolle eum in suum admittere consessum, „ propterea quod vestem ejus turpis hæc macula fœdaret, cumque jussus lo- „ co cedere, flens, confectoque nimium animo egrederetur, insecutus eum „ idem Episcopus: æquo animo, ait, esto Pater, maculam tantum hanc, quæ „ vestem tuam infecit, maturius ablui præcipe, quia non post multos hos „ dies beatæ hujus mansionis consortium, & sanctorum Patrum, quos aspe- „ xisti, consortium voti compos percipies. Mane facto, cum familiari cuidam „ suo visionem illam retulisset, ille sapienter conjiciens: macula, inquit, „ hæc vesti tuæ illita, nihil aliud est quam memoria injuriæ Civium tuorum, „ qui Te anno superiore Colonia expulerunt.

Hucusque supralaudatus Scriptor, cujus verbis in totum usi sumus. Obierat autem Arnoldus noster, *Vir* (ut idem memorat) *pontificalis modestiæ, & sanctitatis*, jam Anno MLXV. die Kalendis Maji, quem in Kalendas Junii quidam male reponunt, cum potior fides in hoc tribuenda sit Necrologio Wimpinensi, cujus Ecclesiæ, quemadmodum & S. Pauli Wormatiæ, singularis exstitit benefactor.

Ann. 1065.

Vindem. Liter. Collect. II. pag. 64.

ADELBERO
EPISCOPUS WORMATIENSIS
XVIII.

Nihil ab HENRICO Rege fieri poterat perniciosius, quam quod Episcopatus, aliasque per Imperium vacantes dignitates Ecclesiasticas, vel ad gratiam, vel ad quæstum in aula sua haberet venales. Hinc evenisse videtur, ut, post Arnoldi obitum, Wormatiensibus obtrusus fuerit ADELBERO, S. Galli monachus, qui demum X. Kalend. Octobris Anni MLXV. Antistes consecratus, sedem sibi designatam occupare non distulit.

Ann. 1065.

Resplenduêre quidem in viro natales, vel exinde satis conspicui, quod Frater esset RUDOLFI Sueviæ Ducis; ast quibus artibus commissam sibi rexerit Ecclesiam, difficile est memorare, cum in portentosa ejus corporis mole posteris commendanda, attoniti hæserint ævi illius Scriptores; immature enim ex nimia edacitate pinguescerat, sic ut obesum caput, brachia, cruraque præter mensuram carnosa, distentus ingenti abdomine venter, vix non dedecori fuerint Principi, otio enutrito. Quid mirum itaque? si propria, ut fertur, crassitudine præfocatus, interiit.

Lamb. Schafn. in Chron.

Cæterum; qui triste hoc Adelberonis fatum, ad annum MLXX. referunt, hi graviter errant; siquidem idem Præsul jam Anno MLXVIII. ADALBERTUM habuit successorem, ut mox patebit ex sequentibus. Circa diem obitus, nec una omnium est sententia, cum alii eum in VIII. idus Maji, alii in VIII. idus Augusti, consignent.

Ann. 1068.

ADAL-

ADALBERTUS EPISCOPUS WORMATIENSIS XIX.

ADALBERONE humanis rebus erepto, primarius Clerus illico ad novum Antistitem in ejus locum sufficiendum convenit, ne rursus aliquem a manu Regia cogeretur accipere; studiis itaque omnium in ADALBERTUM conversis, huic, utpote, ortu non minus, quam ingenio & virtutibus illustri, vacantes Infulas, magna animorum consensione, detulerunt.

Sic, veteri suffragiorum jure redintegrato, Adalbertus, quæ sui muneris esse videbantur pari fortitudine sustinuit; nam cum sub regiminis initium, ANN. 1068. Collegio Canonicorum S. Andreæ, pro ea, qua erga sacri ordinis viros affe- Prob. 65. ctus erat, benevolentia, sedulo in cunctis prospiceret, nec non ordinationes circa communem vitæ societatem a se factas, singulari obfirmaret diplomate, ne parandi victus necessitas quenquam inposterum tangeret, advenit Wormatiam HENRICUS Rex, insigni Principum comitatus agmine, quibus Lamb. postquam & reliquos per universum Imperium distributos, hic loci coadu- Schafn. In nasset, non modo de uxore è thalamo dimittenda consilium, quod animo du- Chron. dum conceperat, aperuit liberius; verum etiam ad extorquendas Thurin- ANN. 1069. gorum decimas, SIGIFRIDUM Archipræsulem Moguntinum impulit.

Turpis, ac simul indigna propositio utrobique visa est omnibus, tantique insuper momenti, ut Synodo opus foret: discessum itaque inde Moguntiam, quo loco rem terminare decretum fuerat, dum interea temporis Regina cum pedissequis, Laurisheimii hærere jussa, inter spem, metumque, animum agitabat; verum missus a Pontifice PETRUS Damianus oportune adfuit, qui pravis consiliis in totum dissipatis, Regi saniora persuasit.

Redux ab hoc Conventu Adalbertus, nihil propius habuit quam Dioëcesim suam universam per se lustrare, & Clerum, ac Populum salutaribus ubique obfirmare præceptis: senserat enim ejusmodi in proximo jam esse tempora, quæ & fortiorum animos concuterent; Equidem, postquam iter, quod ex Italia adusque Wormatiam AGNES, Imperatrix vidua recenter susceperat, ut Henricum Filium coram redargueret, ejusque juveniles reprimeret ANN. 1072. impetus, in vanum cessit, omnia in pejus ruere cœperunt, ita ut Rex ille Idem. ibid. infelix, pravorum continue oppressus consilio, non Saxoniæ modo, sed & reliquos totius ferè Imperii optimates, in se concitarit.

In gravi illa rerum perturbatione, dum in varias, easque periculosas attracti Factiones, alii pro Henrico Rege, alii adversus eundem decertabant, quieta adhuc Wormatia, & antiquæ hactenus fidei tenax, nullo seditionis Spiritu se se abripi passa fuerat, quando rediens sub annum MLXXIII. ab expeditione Saxonica idem Henricus, nescio ANN. 1073. quo malo fato, Nicri fluenta invisit: eo enim in itinere Ladeburgum, ditionis Wormatiensis tunc oppidum, delatus, periculoso morbo conflictari coëpit, quo durante ipsius Exploratores tempus non in-

inutiliter insumendum rati, omnem adhibuêre industriam, ut, quemadmodum hic loci jam fecerant, sic & in ipsa, quæ haud procul inde distabat, urbe Principe Wormatia, Civium animos clanculum immutarent, ac assuetum Episcopi sui jugum excutere docerent.

Anxius hæc inter Adalbertus, consiliis, nec non modis omnibus antevertit, quò præsens ipse periculum ab Ecclesia sua depelleret; at proditus ac circumventus, vix non irati Regis victima exstitit. Nam cunctis, pro detestandi facinoris exigentia, dispositis, nec non ad intentum finem jam prope perductis, Rex de iisdem factus certior, etsi nondum plene convaluerat, Wormatiam concito gressu petit, simulque triumphabundus intrat, quod Cives perfidi militare præsidium, unà cum Episcopi Clientibus inde jam ejecissent, ipsum quoque in vincula conjecturi Adalbertum suum, ni is mature sibi fugâ consuluisset.

Abhinc cœpit fatalis illa fieri secessio, quâ primum allecti in spem libertatis Wormatienses, dominio Episcopi se se subtrahere, & suas sibi res, ac jura, deinceps privatim habere conati sunt, quanquam ad propositum vix quidquam tunc contulisse videtur decantatum illud Henrici Regis privilegium, quod proinde integrum hic subjicere non hæsitamus.

„ In nomine Sanctæ, & individuæ Trinitatis. Heinricus, Divina „favente Clementia Romanorum Rex.

„ Regiæ potestatis est & pietatis omnium servituti congruis respondere „beneficiis, videlicet: ut qui in servitii devotione se exhibent promptiores, „in servitii etiam remuneratione se judicari digniores gaudeant & sublimio„res, inter quos Wormatiensis Civitatis habitatores, non minima, „sed maxima & speciali fidelitate, remuneratione dignos, quin omnibus „cujuslibet urbis Civibus digniores judicavimus, quos in maxima Regni „commotione, maxima & speciali fidelitate nobis adhæsisse cognovimus, „cum nec viva, nec litteris notata, nec per nos, nec per Nuncium, vel „aliqua voce, illos in hanc tam egregiam fidelitatem attraxerimus, quam „idcirco tam egregiam diximus, quia cunctis Regni Principibus in nos, ne„glecta fidei religione, sævientibus, hi soli, quasi in mortem ruentes, con„tra omnium voluntatem nobis adhæsêre. Nam cum singulæ Civitates quasi, „imo verè, in nostrum adventum clauderentur, dum vigilum custodiæ per „vicos distribuerentur, dum ære & ferro tutandæ, nocte & die circuiren„tur, sola Wormatia communi Civium favore, omnigenum armorum mu„nitione, nostro adventui servabatur. Sint ergo servitii remuneratione pri„mi, qui servitii devotione exstiterunt non novissimi; sint omnibus exemplo „in debita servitii responsione, qui omnibus præsunt in servata fidei religio„ne; sint omnium Civitatum habitatores regiæ munificentiæ spe lætificati „quam Wormatienses ipsa re sunt consecuti; discant omnes regi servare, „istorum imitatione, fidelitatem, quæ in istorum utilitate regis probant be„nignitatem; quæ quidem utilitas paucis verbis comprehenditur, sed in ea„rum consideratione non levis, sed grata, & honorabilis reputatur; Thelo„nium siquidem, quod teuthonica lingua interpretatum est *Zoll*, quod in „omnibus locis regiæ potestati assignatur, videlicet: Francfurt, Bopparten, „Hamerstein, Drutmund, Goslariæ, Angeræ, Judæi, & cæteri Wormaci„enses solvere prætereuntes debiti erant, ne ulterius solvant Zoll remisimus „in Principum nostrorum, scilicet; Dietmari Hamaburgensis Metropolitani, „Ebboni Numburgensis, Diedrici Verdunensis, Hermanni Bambergensis, „Bur-

„ Burkardi Basileensis, Episcoporum, cæterorumque Christi Fidelium, no- „strorumque præsentia firmavimus, quam firmationem supra præfati *Zoll* „remissione factam, ut nullus successorum nostrorum, videlicet: Regum, „seu Imperatorum infirmare velit, rogamus, & pro sui facti stabilitate obli- „gamus, qui, quod absit, in quo nos infirmat, se & quod fecerit, infir- „mare credat. Hanc igitur firmationem ut infra videtur, nostra manu in „hac charta, quam scribi jussimus, inscriptam, & nostri sigilli inpressione „insignitam omnis generationis tam futuræ quam præsentis notitiæ relinqui- „mus.

„ Signum Domini Heinrici IIII. Regis invictissimi. ADALGERUS Can- „cellarius vice SIFRIDI Archi-Cancellarii recognovi.

„Dat. XV. Kal. Febr. Anno Dom. Incar. MLXXIII. Ind. XII. anno au- „tem ordinationis Dom. HEINRICI IIII. Regis XIX. Regni vero „XVII. Actum WORMACIÆ, feliciter.

De stylo diplomatis supra vulgarem elaborati, hic non disceptamus, nec ea quæ sublestæ fidei in eodem continentur demonstrare est animus; id unum miramur, quod, dum Wormatienses *operam suam* anxio Regi *benigne spondent*, dum *Jus-jurandum dant*; rem certe ante hac inusitatam; dum *sumptus ad bellum administrandum, ex sua re familiari, singuli pro virili offerunt*, & quæ his sunt similia; aliud ab ipso præmium non retulerint, præter simplicem exemptionem a Telonio, eamque nedum in urbe Wormatia, sed in VI. aut VII. oppidis sibi adsignatis, ac mere Imperialibus, quando tamen idem Henricus, nihil sollicitius habere debuerat, quam Gentem adeo fidam omnigenis demulcire privilegiis, eamque simul dare operam, ut dum universum pene nutare cerneret Imperium, ac armatos in se omnis ordinis Proceres, saltem hic loci tuto degere sibi liceret. Unde &, si quam (ut fertur) ipsi velut parenti suo, ac rebus novandis autori peridoneo, Cives statuam erexerunt, sequenti hac decoratam Epigraphe: Lamb. Schafn. ibid. Frider. Zornii Chron. Worm. M.S.

DIVO. HEINRICO. IIII. ROM. REGI. AVG.
VANGIONES
GRATIAS. IMMORTALES. DEBERE.
NULLO. SAECVLO. NEGABVNT.

Illud vanæ jactantiæ monumentum reputamus, ipsis non minus, quam vicinis quibusdam populis, turpi mox futurum exitio, nam *pessimum* Wormatiensium *Exemplum* secuti anno proxime sequenti Colonienses, dum simili prorsus audacia adversus proprium Dominum in arma consurgunt, simulque Henricum Regem invitant, veniret quantocyus, *vacantem, expulso Archiepiscopo, Civitatem occupare*, attrita est rebellium hominum factio, & contumax Civitas abs Præsule suo ANNONE in ordinem redacta, poterat Wormatiensi parem fortunæ ludum jam tum prævie comminari. Lamb. Schafn. in Chron. ANN. 1074.

Errabat interea ejectus & exul a sede sua Adalbertus noster, hoc uno nihilominus vel maxime felix, quod cum Henricus Anno MLXXVI. Wormatiæ, ipsa Dominica Septuagesimæ, in frequentissimo Cleri coëtu, quem, præter diversos Abbates, constituebant Germaniæ Episcopi XXIIII. flagitiosam, & a sæculis inauditam adversus Gregorium Pontificem exautorationis tulit sententiam, ipse procul ab hoc Schismaticorum consortio, pristini fer- ANN. 1076. Idem. ibid.

voris

voris, nec non vitæ per omnia virtutum ornamenta integritatem retinuit, magnum nutantis in Germania Religionis columen ac sustentaculum proximè futurus.

Equidem; rei indignitate perculsi tam Pontifex, quam, qui cum ipso erat, sacer Senatus, vice versa sententiam longe gravissimam in Regem pronuntiavit, quæ ubi cunctis, etiam cis alpes innotuit, plerique Procerum, qui Henrico prius adhæserant, ad saniorem mentem revocati, aulicis se se eripuère corruptelis, ac ab eo palam visi sunt deficere. Indixit quidem ille rursum comitia Wormatiam in diem sacrum Pentecostes proximum, at cum rari eo accessissent, nec frequentiores comparuissent Moguntiæ, quo eos in subsequens Festum S. S. Apostolorum Petri, & Pauli convenire jusserat, consilii ferè omnis inops, extraneorum auxilia cœpit circumspicere.

Hac Henrici absentia oportune usi RUDOLFUS Sueviæ, WELFO Bavariæ, & BERTOLDUS Carentenorum, Duces, nec non & Adalbertus noster, aliique, quos publica movebat calamitas, singulari conventu Ulmæ habito, statuerunt: ut quicumque Imperio consultum vellent, die XVII. Kalend. Novemb. Triburiæ una secum adessent. Affluxère itaque huc loci, ad præstitutum tempus, Proceres utriusque Ordinis magno numero, quibus postquam & Pontificis Legati accessissent, actum mox de novo Rege creando, jamque in Rudolfum Ducem omnium propendere videbantur suffragia, quando celer, ac inopinatus Henrici reditus, propositum effectum hac vice stitit.

Hærebat nihilominus in armis pars utraque, ac, ut erant ad bellum redintegrandum confœderati procliviores, exercitum suum tam prope in Regis conspectum adduxère, ut Rhenus solum castra distingueret, dum ex adverso Rex se se unà cum suis intra Oppenheimium continebat, quod viribus suis diffideret. Hinc sensim in extremas reductus angustias, satius duxit compositionis legibus subjacere, quam Sceptrum & Coronam, incerto armorum eventui committere.

Dictatæ igitur pacis, seu potius treugarum conditiones longe durissimæ, quas inter cum hæc omnium prima haberetur, videlicet: ut Henricus, Civitatem Wormatiensem, *quam expulso Episcopo, dissipato cœlestis militiæ sanctuario, arcem belli, speluncamque latronum fecerat, abducto præsidio*, Episcopo Wormatiensi *restitueret, datis insuper sacramentis & obsidibus, ne quid deinceps rebellionis, vel insidiarum a Civibus timere debeat*; paruit illico, nec rem imperatam, vel momento distulit; quin & ipsimet Suevi & Saxones, deditis Wormatiensibus, statum Civitatis pacatissimum reddere, summæ sibi duxerunt gloriæ.

Idem ibid.

Tanti nimirum visum fuit Wormatiense negotium, ut illud præ cunctis speciali vindicta dignum censuerint Optimates, tam ecclesiastici, quam & sæculares; noverant enim, antiquis juribus ac prærogativis cedere, quam periculosum! quamque simul indignum! vulgi subesse arbitrio.

Restitutus itaque in pristinam suam dignitatem Adalbertus, licet pro meritis in sontes animadvertere potuerat, resque ipsa severitatem flagitaret, maluit parcere subjectis; huc curas suas omnes, quemadmodum prius fecerat, convertens, ut nemini gravis, clerum in honore, Judices in autoritate, Gregem sibi commissum in fide & obedientia deinceps retineret: ve-

Verum, quæ temporum illorum fatalis erat viciſſitudo, annus MLXXVII. proxime inſequens vix inchoaverat, cum Henricus de adimplendis reliquis, quæ ſibi nuper in Triburienſi Conventu præſcriptæ fuerant, conditionibus haud amplius ſollicitus, novas in Imperio turbas moliri cœpit, Optimates licet unanimi voce ibidem declaraſſent: ut, ſi quicquam præſtandorum negligeret, ſe ſubjectione ac ſacramento liberatos, alium mox eligendi Regem, plenam habituros poteſtatem; Quapropter, ne quod recenter iterum Wormatiæ, ejecto inde Epiſcopo, decretum tulerat adverſus GREGORIUM Pontificem, cæteris fidelibus ſcandalo fieret, coadunati in oppido Forcheim unà cum ipſius Legatis, Principes, quotquot Reipublicæ conſultum volebant, RUDOLFO Sueviæ Duci diadema Regni ſolemniter impoſuerunt. ANN. 1077. Marian. Scot. & Lamb. Schafn. in Chron.

Jactâ aleâ; ſubſecutum mox bellum, priori longe funeſtius. Diviſis enim pro ſuo quique ſtudio in perpetuas factiones populis, Germania tota in armis ſtetit; mutuisque tum fœderibus, tum cædibus res deinceps acta eſt. At nuſpiam tanto cum ardore, quam juxta Mellreſtat, Franconiæ vico, ubi uterque exercitus ſibi invicem occurrens, longo ac pertinaci decertavit prælio, cruentamque ex eo Henricus victoriam retulit; numeratus inter illuſtriores captivos Adalbertus noſter, nihil magis abhorruit quam exoſum ſibi Regis conſpectum; unde, cum nec minis, nec promiſſis adduci potuiſſet, ut in ejus partes tranſiret, in vincula conjectus eſt, *atro pane* & *aqua brevi*, paſcendus. ANN. 1078. Bruno Hiſt. belli Saxon. apud Freher. tom. I. Waltram. de unit. Eccleſ. ibid.

Tulit inediam, nec non duri carceris ſqualores Præſul animo forti ac invicto, jamque ſic inter ærumnas quartum annum tranſegerat, absque quod recuperandæ libertatis ſpes affulgeret ulla, licet ex optimatibus plurimi eandem aſſidue fere urgerent, cum tandem, divina ſibi opitulante gratia, cuſtodum fefellit vigilantiam, ac primùm Goslariam, ubi Regis HERMANNI, qui Rudolfo recenter ſuffectus fuerat, ſolemni coronationi adſtitit, inde Wormatiam delatus eſt incolumis, alia ſiquidem his oris jam illuxerant tempora, quæ urbis hujus ſuæ ſtatum rurſus pacatum reddiderant. Paul Berenriedt in vita Gregor. VII. Papæ. ANN. 1082.

Paſtorales itaque curas, dudum intermiſſas, quò felicioribus reſumeret auſpiciis Adalbertus, ſolemne conſecrationis munus exquiſitiſſimo cæremoniarum adparatu ſuſcepit; tum perluſtrata univerſa diœceſi, parvos mores, nec non vitia innumera, quæ crebris hiſce bellorum motibus, eandem infecerant, deſtruere ſategit; interea vero S. Pauli Canonicorum Collegio gratificaturus, portas duas verſus Rhenum, nec non totidem foramina per murum Civitatis, ipſis gratioſe indulſit, dum ſimul earundem Parochiam novis limitibus, juxta prædeceſſorum ſuorum mentem circumſcripſit; quibus indiciis ſeſe utrimque tam in Spiritualibus, quam in Temporalibus Wormatiæ Dominum comprobavit. ANN. 1084. Prob. 56.

Evocatus dein Quedlinburgum ad Synodum, illic præſente Hermanno Rege, nec non Legato Apoſtolico GEBHARDO, Salzburgenſium Præſule, cæteriſque Gregorii Pontificis fautoribus, Henricum Cæſarem unà cum Papa ſuo CLEMENTE denuo ejuravit, ac utriusque excommunicationi ſubſcripſit. Similem è contra Henricus ſuorum Conventum inſtituit Moguntiæ, ubi acta Quedlinburgenſia reſciſſa, & execrato Gregorio, Clemens in Pontificatu confirmatus, quin & inſuper decretum fuit, ut quotquot adverſus hunc cum illo facerent, ſedibus ſuis privarentur. ANN. 1085.

Hoc veluti novo claſſico exciti præprimis Wormatienſes, quibus Henrici animus dudum in his cognitus erat, ſe ſe mox Epiſcopi ſui hoſtes publice profeſſi ſunt, cœperuntque rurſus ad ingenium reverti, eam in cunctis libertatem

sectantes, qua ab ejusdem dominio in totum eximerentur. Verum Adalbertus, quo in perferendis communibus Imperii malis nemo constantior, nec quisquam sustinendis, quæ intus ac foris quotidie enascebantur, contentionibus fortior, majorum suorum jura, ac autoritatem, quoad potuit, servavit illæsa, eâ ad hoc oportune fortunâ usus, quæ Adversarios suos deprimebat; toties enim ab exilio ad pristinam Sedem suam, ejectis inde vice versa, qui eandem occupabant, schismaticis, accurrere, sedulique pastoris, ut & Principis optimi, officio probe fungi visus est.

Ann. 1088. Hæc inter, ad superos abiit sanctæ memoriæ Gregorius, cui postquam in pontificatu successisset Urbanus hujus nominis II. nihil is propius habuit, quam turbidum Imperii statum in melius componere, nec non & Præsules, quos Sedi Apostolicæ maxime addictos noverat, ad perseverantiam hortari. Tales cum essent Salzburgensis Gebhardus; Pataviensis Altmannus; Wirceburgensis Adalbero; Augustensis Siffridus; Constantiensis Conradus; tum & Wormatiensis Adalbertus noster, Litteras ad ipsos dedit sequentis tenoris:

Martene Script. veter. tom. I. p. 520.

„ Rogamus, & obsecramus in Domino Jesu, ut in ea, qua cœpistis; & quam Domino & prædecessori nostro beatæ memoriæ Gregorio semper ostendistis, fidelitate & devotione & benevolentia firmiter maneatis, Sanctamque Romanam Ecclesiam, matrem vestram, omnibus quibus valeatis auxiliis & consiliis adjuvetis. De me porro ita in omnibus confidite & credite, sicut de beatissimo patre nostro Papa Gregorio, cujus ex toto sequi vestigia cupiens, omnia quæ respuit respuo, quæ damnavit damno, quæ dilexit prorsus amplector &c. Nunc ergo precor & amplector Fraternitatem vestram, ut agatis viriliter atque constanter, & eos qui instructi non sunt, verbis & exemplis instruite & exhortamini, sicut scitis, & necessitas exigit hujus periculosi temporis; cum enim apud vos eram, tales vos omnes inveni, ut voce ipsius Domini possem exclamare: *non inveni tantam fidem in Israel*, &c.

Pii parentis monitum docili aure exceperunt devoti ejus Filii, fidemque suam, ac constantiam, deinceps etiam in Successoribus requesivêre; obeunte siquidem ex ipsis Gebhardo, viduam ejus Salzburgensem Ecclesiam com-
Ann. 1092. miserunt Diemoni, viro omni meritorum genere referto; nec dissimilem huic, vacanti paulo Pataviensi sedi imposuêre Udalricum, majoris Augustanæ Ecclesiæ Præpositum, cujus solemni consecrationi etiam inter alios adstitit Adalbertus noster. Sic autem, per multa virtutum decora, crescente sensim parte pontificia, tandem schismaticæ ubique fere prævalere, optataque diu quiete frui cœpit, quando è contra infelix Imperator Henricus libertatem, simul Regna, atque adeo vitam ipsam amisit.

Hanziz. Germ. Sacra tom. II. pag. 191.

Etenim; Henrico Superum, mortaliumque fere omnium odia in se accumulante, Filius ejus æquivocus, sanioribus usus consiliis, ad pontificios partes
Ann. 1105. & 1106. transiit; Quamobrem & Northusæ à Gebehardo Constantiensi Episcopo, Sedis Apostolicæ per Germaniam tunc Legato, anathematis vinculo solutus est, postquam scilicet Paschali II. Pont. sacramentum dixisset. Dein coadunatis armis idem Princeps viam in urbes sibi aperiens, ejectis inde Schismaticis, legitimos Antistites, ab exilio revocatos postliminio restituit; demum habito cum Patre colloquio, dum ambo simul ad Comitia Moguntiam indicta proficiscuntur, ille causæ propriæ diffisus, Ingelheimii substitit.

Verum

Verum hæc Cæsaris absentia non obstitit quominus ex Decreto Ordinum Imperii mox publice exautoratus fuerit; missi itaque ad ipsum ex hoc Conventu Moguntinus & Coloniensis Archipræsules, nec non Adalbertus noster, Sceptrum, coronam, aliaque augustalia ornamenta ab eo repetituri, quæ cum, severa miscendo blandis, impetrassent, attulissentque Moguntiam, iis HENRICUS Filius, inter lætas faustasque acclamationes indutus est.

Helmold. Chron. Slavor. lib. I.

Alium deinde Conventum Wormatiæ celebrarunt circa Pentecosten iidem Optimates, ubi, præsente novo Rege Henrico, multis deliberatum fuit, quid Ecclesiæ, quid Reipublicæ, post perturbatum utriusque statum, deinceps conveniret. Qua occasione FRIDERICUS Suevorum Dux, ibidem præsens, bona quædam ad Altare S. Petri obtulit, dum Adalbertus plenum suum in urbem dominium resumens, compositam ex XXIII. Piscatoribus Tribum erexit, macella publica, ut & pistorum officinas, majori Præposito commisit, aliaque plurima in commune bonum, prudenter ordinavit; ab his vero ad pietatis opera conversus, Neuhausensem S. Cyriaci Ecclesiam præ reliquis, liberalitate sua fovit, sibique in eadem, locum sepulturæ delegit; Sensit enim ætatem ex senio, ac multis ærumnis & laboribus fractam, ad extremum jam urgeri. Quapropter cunctis ad beatæ æternitatis iter ingrediendum rite dispositis, in eandem Anno MCVII. proxime sequenti receptus est; decus sui temporis Episcoporum, & laborantis Ecclesiæ in Germania columen. Diem obitus Necrologio suo consignarunt grati Wimpinensis Ecclesiæ Canonici, in hæc verba. II. *Non. Julii* Ob. ADELBERTUS *Episcopus, qui plenarium auro dolatum dedit, nec non magnam partem Sylvæ contulit.* Corpus funebri pompa in vicinum Neuhausense Templum delatum, ibidem in medio chori sepulturam accepit, hoc addito Elogio:

Annal. Hildesh. apud Leibniz. tom. I. Script. Brunsv. Prob. 67. & 68.

ANN. 1107. Vindem Litter. Collect. II.

PRÆSUL ADELBERTUS, CHRISTI MEMOR, ET BENE CERTUS
MESSIS QUÆSITÆ, POST hujus SEMINA VITÆ;
PRÆDIA CUM PACE DEDIT ISTA TIBI CIRIACE
BOLDESHEIM. SARAHESHEIM. WARMUNTESHEIM.

vid. TAB. III. Fig. II.

Superest hodiedum Epitaphii hujus fragmentum, quod in gratiam Antiquariorum delineatum exhibuimus in Tabella III. Cæterum; durante gravi illo schismate, Sedem Wormatiensem ex voluntate, ac jussu Henrici Cæsaris usurparunt, creati, adversus legitimum nostrum Adalbertum, Episcopi Schismatici sequentes, quorum nomina, ut & successionis ordinem, indicare necessum duximus.

WINTHERUS, simul Laurisheimensium Abbas, primus omnium obtrusus fuit, idque circa Annum MLXXVII. Successorem eodem modo nactus THIETMARUM, cujus obitum Scriptores passim collocant in anno MLXXXV.

Occurrit deinde EBBO, qui post fatale Laurisheimensis Basilicæ incendium, retectas Anno MXC. inter rudera reliquias S. Nazarii, publico cultui rursum exposuit; idem & exorta sub annum MXCVIII. adversus Judæos gravi tempestate, miseram Gentem Wormatiæ in Palatio Episcopali recollegit, & a persecutoribus tueri humanum duxit.

Demùm mortuo Ebbone; surrogatus ipsi fuit CUNO, de quo mentionem faciunt diversa Henrici Cæsaris diplomata, in gratiam sibi adhærentium emanata, quorum unum datum perhibetur in obsidione Castri Limpurg, Anno MCI.

Helvvich. antiq. Laurish. Chron. Wirceb. apud Baluz. lib. I. miscell. & Annal Hildesh. apud Leibniz. Chron. Laurish. apud Freher. Ursperg. & Dodechin. in Chron. Miræi dipl. belg. n. e. p. 673. Schaten. Annal. Paderb. p. 651. Martene Script. vet. tom. I. pag. 589.

EPPO
EPISCOPUS WORMATIENSIS
XX.

OPtandum fuerat, ut in defuncti ADALBERTI Successore, talem Wormatiensis Ecclesia Præsulem rursus nacta fuisset, qualem tempora & res ejus adhuc videbantur postulare; Verum, qui parentem in Imperio exceperat non melior filius HENRICUS, subtracta mox Clero eligendi libertate, potestatem sibi vendicabat imponendi vacantibus Sedibus Episcopos, quos ad sua studia, & consiliorum machinationes sciebat idoneos.

ANN. 1107. Talis cum esset EPPO; qui Goslariensi Clero jam pridem valedicto, monachicam vitam Laurisheimii agebat, vacantes Infulas Worm. facile retulit, quibus ut se se aliquatenus dignum ostenderet, statim ad pietatis opera conversus, ab æde principe initium duxit, eamque necdum plane absolutam, quod id per sequiora tempora antecessoribus suis haud licuisset, intra paucos annos ANN. 1110. perfecit. Tum capta occasione celebris Conventus, quem Rex Anno MCX. Wormatiam indixerat, præsentium illic Ecclesiasticorum Procerum opera ad Basilicæ consecrationem usus est, Brunonique Trevirensium Archiepiscopo in hoc primos honores detulit. Ne quid autem publicæ lætitiæ deesse videretur, Hartwicus, & Richwinus, hic S. Martini, ille S. Pauli Ecclesiarum Præpositi, suum quisque Clericorum Collegium donis ac muneribus recrearunt, dum eorum exemplum imitari volens Henricus, mansos quindecim, in diversis locis sitos, quos parens ejus majoris Ædis Canonicis contulerat, Cæsareo suo diplomate confirmavit, ita tamen, ut confectum ex frugibus inde provenientibus calicem aureum, ponderis IX. Talentorum, Sacrario S. Petri restituerent, hauddubie ex eodem cum cæteris spoliis quondam sublatum. Prob. 69. 70. & 71.

Turbida deinde rursum esse cœpit Reipublicæ facies; insurgens enim adversus Paschalem hujus nominis II. Pont. Henricus, licet Imperiale diadema de manu ejus recenter suscepisset, gravi, nec non detestando schismati locum dedit, quo durante, Civitates, quas opibus ac potentia, præ reliquis, instructas noverat, gratiis ac favoribus ad invidiam cumulabat, non attento, aut certe dissimulato jure tertii, dummodo eas in partem suam attraheret, sibique faceret obnoxias. Hinc & Wormatia, duo simul diplomata ab ipso retulit, quæ turpiter connivente proprio Episcopo, in odium Pontificis, nec non Cleri confecta fuisse, sat arguit eorundem contextus, ut ut male consutus; in priori enim, Ludewig. reliq. M.S.S. tom. II. pag. 180. quod Anno MCXII. Francofurti datum perhibetur, confirmat Imperator exemptionem illam a teloneis, quam, ob *firmam, & inviolabilem* Henrico Patri suo servatam *Fidem*, eos tunc promeruisse credidit; quando tamen cuncta ejusdem parentis sui gesta, haud ita pridem tum in solemni Nordhusana Synodo, tum in celebri Conventu Moguntino, verbis ac scripto ipsemet publice damnaverat. Id autem magis miramur, qua scilicet veri specie delusus, sequentem hanc in fine ejusdem sui diplomatis exstare voluerit clausulam? *Et ut omnes* (WORMATIENSIUM) *imitatione, Regibus, & Dominis suis discant servare fidelitatem, Nos eos omnibus cujuslibet urbis civibus digniores judicavimus, & eis maximam totius justitiæ dignitatem, quam apud Prædecessores meos, & me habuerunt, in æternum firmam concedimus.* Siquidem, ex supramemorati Concilii Nordhusani

ni decreto, Adalbertum nostrum Anno MCV. in plenam Sedis suæ Wormatiensis possessionem, ac simul pristina Jura omnia, quemadmodum reliquos exulantes Episcopos, ipsemet armata manu restituerat, quo certe tempore, Cives ne umbram quidem alicujus Jurisdictionis, sibi ullatenus competentis, demonstrare poterant.

Pergimus ad alterum diploma, quod datum Wormatiæ Anno MCXIIII. idem Henricus magnificis verbis ita inchoat: *Quoniam ex Imperialis auctoritate dignitatis antecessores mei, urbes vel populos, quos plus diligebant, sæpe præ cæteris speciali honore donabant, volumus & Nos simili autoritate omnibus Regni nostri Principibus notum esse, quod Privilegium honoris dedimus Wormatiensis Urbis concivibus &c.* Consistebat autem hic singularis erga fidos illos Clientes suos favor, in eo quod, Jure manus mortuæ sublato, censum quoque, quem in singulas Familias & capita hactenus pendere solebant, tum & quæ circa telonium navium præstanda erant, ipsis remisit; nam quoad hæreditariæ successionis ordinem, quem primitùs inter eos videtur voluisse inducere, hunc magnus ille Legislator Burchardus Episcopus ante annos centum iisdem, sed fidis tunc Wormatiensibus suis, luculentiori modo jam præscripserat. Verum ambo hæc qualiacumque privilegia, quod in iis concedendis, Henricus autoritati propriæ plus nimium tribuisset, vix unquam effectum aliquem sortita sunt. Ann. 1114. Frid. Zornii Chron. Worm. Ms. vid. Prob. 52.

His, nec aliis, eventibus, Epponis nostri regimen posteritati innotuit; nam mors, quæ ipsum Anno MCXV. proxime sequenti, die vero IV. Nonas Octobris, oportune satis è medio sustulit, effecit quo minus illud fuerit diuturnius. Quod autem ex Scriptoribus modernis quidam, Præsulem hunc, ceu virum sapientia, doctrina & virtute non vulgari præditum venditet, faciatque ex Laurisheimensi monacho Goslariensem Præpositum, quin & eundem esse censeat cum præcedenti Ebbone, qui vivo adhuc Adalberto in schismate oppositus fuit, id omne luculentioribus debuerat demonstrasse argumentis, quam sequenti hoc, quo usus est, Epigrammate: Ann. 1115. Anonym. Chron. Worm. M.S. Heineec. antiq. Goslar. pag. 112.

Lorchonum consors prius, EBBO, *post tamen exsors,*
Goslariæ Sedes acceptas liquit & ædes,
Wormatiam venit, populi quo scandala demit;
Præsulis & partes, sanctasque exercuit artes,
Unde beatorum cesserunt Regna Polorum
Ebboni Patri, dilecto credite Fratri.

Vidimus, de cætero, Epponis quoddam Sigillum integrum, ex, nescio qua charta, olim avulsum, quod in æs incidi curavimus, eo potissimum fine, ut quod circa ERKENBALDUM, ex Fuldensi monacho, creatum Archipræsulem Moguntinum, jam alibi in Sigillo pariter observavimus, constet magis; videlicet: illius temporis monachos, quacumque demum adita dignitate ecclesiastica sæculari, pristinum habitum suum constanter retinuisse, illumque immutare summæ duxisse religioni. vid. TAB. IV. Fig. IV.

BURCHARDUS II. DE AHORN, EPISCOPUS WORMATIENSIS XXI.

DIuturnæ calamitatis, qua Wormatiensis affligebatur Ecclesia, pertæsi Canonici, initis mox, comparatisque, post EPPONIS obitum, suffragiis, ANN. 1115. dum inter plures Candidatos fluctuabant incerti, BURCHARDUM, qui & BUGGO dictus erat, mira animorum consensione, deposcunt Antistitem, utpote acris ac vigilantis ingenii virum, & conturbatis temporibus maxime opportunum.

Anonym. Chron. Worm. M.S. Ducebat is suæ stirpis originem, ex veteri, claraque AHORNIORUM Gente; BURCHARDO patre, matre vero JUDITHA natus, & a puero Bambergæ in patria, Clero principi adscriptus; Verum, quia rursum providerat HENRICUS Cæsar, vota libera ne essent, simulque Edicto caverat ne cuiquam, nisi quem sibi probatum iri nossent, suffragatione, aut aliàs adhærerent, non placuit ritè cæteroquin postulatus, licet eum jam pridem inter familiares adscitum, Præpositura Aschaffenburgensi recenter adhuc donaverat. Quapropter, honores ipsi debitos mox in quendam ARNOLDUM nomine, transferens, hunc, nec alium, Wormatiæ recipi jussit in Episcopum. Hoffmann. annal. Bamberg. apud Ludewig pag. 100.

Obtruso ægre paruit Clerus, quod spem suam ac affectum omnem in Burchardo collocasset; hinc proposito constanter inhærens, nihil non egit ut eum præ altero sibi retineret, dum vicissim Burchardus tam ardentia in se vota, modis quibus potuit, obsecundare conatus est, prout id inter cætera testantur ejus ad Bambergenses litteræ, quas integras hìc legisse non pigebit

Epist. variæ ex edit Jacob. Grezeri apud Ludewig. „ Confratribus, & Dominis suis, omnibus Sacrosanctæ BABEBERGENSIS „ ECCLESIÆ CANONICIS BUGGO, Dei gratia, WORMATIENSIS ECCLESIÆ ELECTUS, servitium suum, & orationes.

„ Memor vestræ Fraternitatis, & dulcissimæ educationis, Fratres carissimi, „ recordatione vestri affectus, partim ad lacrymas compungor, partim spe „ vestræ consolationis & sublevationis vehementer delector, dum hoc onere „ quod suscepi tam importabile meæ ætati & insipientiæ, vestrum levamen & „ subsidium spero impetrare. Quapropter, quo magis de vobis confido, eo „ magis admiror, quod tanto tempore me Filium vestrum, vobis per omnia „ obnoxium, inter tot curas, quæ me premunt, ut nostis, consolari distulistis; „ Et quia inde causa mœroris & suspicionis mihi suboritur, & ideo per fraternam compassionem, & nostrum obsequium vos deprecor, ut apud Dominum nostrum Episcopum, fideli interventu, causam meam agatis, sciences: quod in vestræ, imo nostræ Ecclesiæ, laudem hoc redundabit, si vestro „ auxilo nostrum honorem divina benignitate stabilire dignetur.

Auxit

Auxit intestinum hoc dissidium, turbidus, qui usque eò Imperium afflixerat, rerum status; siquidem Principes, Henrico infesti, juxta Wormatiam in armis consederant, dum è contra Urbem hanc pro ipso tuebantur FRIDERICUS Sueviæ Dux & GODEFRIDUS Comes Palatinus; jamque mutuis cædibus agi cœptum, quando utrique parti pacificus congressus Francofurtum indictus fuit, sed cum is, quemadmodum & reliqui, variis locis, prorsus in vanum cessissent; tandem prodiit ex Remensi Concilio in ipsum Cæsarem dictata Anathematis sententia. ANN. 1116. Annalist. Saxo apud Eccard. ANN. 1119.

Hinc, gravior adversus CALIXTUM Pontificem, ut & cunctos fautores ejus, exarsit Henrici ira ac persecutio, quam Burchardus noster, deinceps ferè solus sustinuit; Etenim, quo tempore reliqui Optimates circa Rem-publicam occupati, frequentes diversis locis conventus agebant, ipse exulare coactus est; quanquam hæc inter de Ecclesiæ rebus procurandis nihil quidquam remisit studii, sed Gregi suo, quoad potuit etiam præsens intendit, eum enim in finem Anno MCXX. Jus Sacrorum de manu ADALBERTI Metropolitani sui, ritu solemni, susceperat. Ast, Cæsari perpetuùm invisus, quoties hic Wormatiam appropinquabat, toties sibi procul inde recedendum fuit; ac ne tunc quidem illic loci toleratus, quando ad diem IX. Kalend. Octobris Anni MCXXII. idem Cæsar Henricus, anathematis vinculo solutus, jus instituendorum Episcoporum & Abbatum, Calixto Pontifici, ejusque Successoribus dimisit, atque adeo optata diu Pax inter Sacerdotium & Imperium publice coaluit, quam in rem scriptæ utrimque Tabulæ, in vasta illa camporum planitie ad Rhenum, oculis omnium fuère expositæ, quod hominum multitudinem urbis angustiæ non caperent. ANN. 1122.

Extorris itaque, licet præter meritum, Burchardus, dum hinc inde palabundus errat a facie irati Cæsaris, episcopale munus suum, quaqua data occasione, exercere, cultumque Divinum amplius promovere non destitit; unde & MEGINHARDO Comiti, ejusque piæ conjugi MECHTILDI, aliquando in hoc gratificaturus, conditum ab ipsis Spanheimense Monasterium, exquisito cæremoniarum adparatu inauguravit, nec non simul Bernhelmo, loci ejusdem primo Abbati benedixit. Cæterum; narrant Scriptores, visa per id tempus in agro Wormatiensi equitum militumque spectra, pleno die, ire & redire, velut ad conventum publicum celebrandum, inde sub vesperam omnes intra montem abscondi; sciscitatus autem ex illis unus, qui hi congressus sibi vellent, reposuit: Non phantasmata nos sumus, sed militum nuper interfectorum manes, arma, habitus & equi, qui nobis fuère instrumenta peccandi, modo sunt instrumenta pœnarum, totique nunc urimur, etsi oculos vestros hæc fugiant. Certè, si quæ fides narratis tribuenda sit, crediderim facile horum armatorum numerum, utplurimum fuisse auctum ex tragica illa scena, quam paulo post Imperator sub ipsis Wormatiæ urbis mœnibus peregit, in modum qui sequitur: ANN. 1123. Brower. Annal. Trevir. tom. II. p. 19. Chron. Halberstad. apud Leibniz. tom. II. Script. Brunsw. & Schaten. Annal. Paderb.

Rogaverant Henricum instantissime, & quidem sæpius, tam Clerus, quam & populus Wormatiensis, vellet tandem Burchardum revocare ab exilio, suæque Sedi restituere; quod dum ille constanter renuisset, ipsi, attracto in causæ societatem FRIDERICO Suevorum Duce, Antistitem propria auctoritate in urbem ausi sunt reducere. Cæsar, eam injuriam ad se pertinere arbitratus, arma, quæ adversus LUDOVICUM Galliæ Regem tunc paraverat, vertit illico in sibi rebelles, eosque arcta obsidione pressos ad deditionem ursit; restiterunt quidem initio Cives pro viribus, quin & portis cuneatim prorumpentes, magnam subinde oppugnatorum stragem edidère, sed dum audacius quam cautius rem peragunt, sensim ad incitas redacti, Burchardo prius cum lacrymis abs se dimisso, vitæ fortunarumque suarum incolumitatem, quinque millium talentorum mulctâ redemerunt. ANN. 1124. Annalista Saxo apud Eccard. & Anonym. Chron. Worm. M. S.

Secuta

Ann. 1125. Secuta est deinde Anno MCXXV. proxime sequenti, mors Cæsaris, quæ, sublato simul ejus pertinaci odio, Burchardum nostrum suis tandem restituit; licet is publicis deinceps implicitus negotiis, non nisi per vices Wormatiæ resederit, postquam scilicet in comitiis hic loci celebratis, potiorem Optimatum sententiam ultro amplexus, LOTHARIO Saxoni vacantem Thronum detulisset, hinc & eidem perpetuus quasi comes adhæsit.

Prob. 72. Urserat intereà cœptam a se aliàs Franckenthalensis Monasterii structuram ERCKENBERTUS, nobilis Ministerialis, quæ ubi demum præsenti anno absoluta stetit, illud Burchardus ex mente Fundatoris, honori S. M. Magdalenæ dicatum Regularibus Canonicis incolendum tradidit. Inde Wormatiam suam revisens, convocatæ illuc in annum MCXXVII. Synodo interfuit, ita jubente PETRO Cardinale Legato Apostolico, qui & in eadem GODEFRIDUM Trevirensem Archiepiscopum, ob admissam Simoniæ culpam exautorasse videtur. At longe majoris momenti fuêre, quæ postmodum, Anno videlicet MCXXX. in altero illo Concilio Wirceburgi celebrato, tractarunt præsentes istic cum Ravennatensi Archipræsule, Episcopi Germaniæ XVI. (quos inter & Burchardus noster) siquidem, ejurato Anti-Papa ANACLETO, INNOCENTIUS, hujus nominis II. omnium votis, verus, & legitimus Christi in Terris Vicarius renuntiatus est.

Ann. 1127. Collect. Concil. Germ. M.S.

Ann. 1130. Annalist. Saxo apud Eccard.

Chron. Lauresh. apud Freher. Dissoluto eum in modum sacro hoc cœtu, Burchardus unà cum Co-Episcopis suis BRUNONE Argentinensi, UDALRICO Constantiensi, & CONRADO Curiensi, se se inde Laurisheimium transtulit, ubi in dedicanda, quam DIEMO Abbas recenter instauraverat, Basilica, operam quisque suam contulit, primarium consecrationis munus peragente Moguntino ADALBERTO. Nec diu post supradicti omnes sibi invicem rursus occurrerunt in Concilio, quod MATHÆUS Albanensis Episcopus, Apostolicæ Sedis Legatus, Anno MCXXXI. Moguntiæ, ritu perquàm solemni celebravit.

Ann. 1131. Trith. Chron. Hirsaug. nov. edit. p. 392.

Redux & ex hoc conventu Antistes noster, Ecclesiæ suæ rebus totum se se tradidit, cumque Franckenthalensis cœnobii fundatorem Erkenbertum audisset ex gravi morbo ad extrema deductum esse, adfuit morienti, cumque, post obitum, propriis manibus ibidem ante aram maximam sepulturæ mandavit. His, aliisque curis detinebatur Burchardus quando RUPERTUS, & ARNOLDUS, Lurenburgii Comites, quorum avita sedes inter Dietzium & Nassovium erat, hanc postremam arcem a Wormatiensis Ecclesiæ dominio avellere, sibique usurpare conati sunt; hinc tumultuariæ litis exorta materia, sed quam implorata mox Cæsaris justitia sustulit; restitutus itaque in pristinum jus suum Præsul, dum novam loci possessionem ipsemet adit, forte Moguntiam ex itinere deflectens, illic testis intervenit omnium privilegiorum quæ tunc Adalbertus Moguntinus, suis civibus benigne indulgebat. Cujus facti memoriam, litteris prægrandibus expressam, æreæ valvæ, Templo B. Mariæ V. olim a Willigiso Antistite donatæ, hodiedum retinent.

Anonym. Chron. Worm. M.S. & Prob. 85.

Ann. 1135.

Joan Rer. Mog. Script.

Verum; his certe majora sunt, quæ & Burchardo nostro beneficentiæ famam apud posteros promeruêre; nam præterquam quod Populum suum continua pace ac gratia, Clerum vero tam Sæcularem quam & Regularem multiplici liberalitate fovit, elegans ac sumptuosum haud procul Heidelberga coënobium molitus est, cui ob peramœnum situm, gratamque solitudinem, SCHONAUGIA nomen indidit; cumque vasto operi fortiter insudaret, mox de LOTHARII Cæsaris morte nuncius superveniens, illud abrupit, ac ipsi velut è manibus extorsit.

Prob. 74. & 75.

Ann. 1138.

Ad

Ad Comitia itaque profectus, quæ THEODWINI Cardinalis Legati autoritate, tum & ADELBERONIS Archiepiscopi Trevirensis studio, Moguntiâ Confluentiam translata fuerant, illic unà cum diversis aliis Imperii Optimatibus votum tulit Burchardus pro CONRADO Sueviæ Duce, huncque Regem salutavit. Opposuit quidem se se HENRICUS Bavariæ ac simul Saxoniæ Dux, multosque in Imperio motus concitavit, quo toto tempore idem Præsul noster fidam suam Conrado Regi probavit operam, nec a latere ejus recessisse videtur, id enim, inter cætera, testantur Principis hujus diplomata, quæ in solemnibus Conventibus, nunc Argentorati, nunc Francofurti, nunc demum Wormatiæ, in gratiam diversorum monasteriorum edidit. Interea vero si quod a publicis rebus otium nactus est Burchardus, id totum Ecclesiæ suæ curis, aut pietatis operibus impendit, quomodo & eum dicandis Divorum Ædibus, Templisque constituendis vacasse demonstrant illustres aliquot Lapidum Inscriptiones, qualem Moguntiæ etiamnum conservat vetus Archiepiscopale S. Gothardi Oratorium, in hæc verba: Trithem. Chron. Hirsaug. Tom. I. Hartman. Annal Einsidl. p. 195. Meichelb. Hist. Frising. Tom. I. pag. 320. Mirxi. Opera Dipl. nov. Edit. pag. 660.

„ Anno Dom. Incar. MCXXXVIII. Indict. XV. II. Kal. Julii consecratum est hoc Altare a venerabili Buggone, Wormatiensi Episcopo in honorem Dom. nostri Jesu Christi, & ejus gloriosæ Genitricis, perpetuæ Virg. Mariæ, & S. Pauli Apost. Laurentii Martyrum & beatorum Apostolorum Confessorum, & Martyrum, & Gothardi, omniumque sanctorum.

Alia Burchardi opera loquuntur ejus chartæ, seu notitiæ, quas magno numero ad posteros transmisit; ut quando Majoris Ædis Canonicos anno gratiæ post obitum gaudere voluit. Ecclesiam in Echena cum jure Patronatus, ac divite censu, illis S. Pauli elargitus est, nec non eorum in urbe parochiam, S. Ruperto sacram, in cunctis suis juribus iterato confirmavit. Eadem benignitate S. Andreæ Collegium complexus, huic siquidem Parochialem Ecclesiam in Hocheim adunivit; quin & specificam bonorum omnium ad illud quoquomodo spectantium rationem iniens, eorundem conservationi provide intendit. Nec minore zelo circa Franckenthalensis, ut & Hegenensis, Cœnobiorum profectum occupatus fuit, quorum illud RILINDIS nobilis matronæ, hoc EMICHONIS Leiningensium Comitis, pietati debebatur; at nihil curavit impensius, quam cœptum a se aliàs Schonaugiense Monasterium ad perfectum statum adducere. Prob. 76. & 77. Prob. 78. & 79.

Multiplicatis itaque operariis, Burchardus, tam Templi, quam & Claustri structuram ursit sedulo, eamque intra breve tempus feliciter absolvit; inductâ dein eo loci, quam ab ipsomet BERNARDO, è Claravallensi Monasterio, impetraverat, numerosâ præstantis disciplinæ monachorum coloniâ, eidem opulentissimis, tum ex suo, tum Divi Petri, tum nobilium quorundam virorum, patrimonio desumptis fundis, & vectigalibus, abunde providit, voluitque penes successores suos, Vangionum Antistites, loci hujus imposterum jus esse, & arbitrium. ANN. 1141. Prob. 80. & 81.

His, nec non ejusmodi curis aliis, dum privatim insistit Præsul noster, animum ejus Rex inde ad publicas transtulit, ejusque opera ac consilio diversis Imperii sui locis usus est; id quod rursum innuunt plurima Principis hujus præcepta, Hersfeldiæ, Northusi, Magdeburgi, ac Spiræ emanata, quæ suo quoque testimonio Burchardus roboravit. ANN. 1144. Martene. Script. Vet. Tom. II. p. 600. Heinecc. Antiq. Goslar. Tolner. Cod. Dipl. Palatin. num. 50. Annal. Bosov. apud Eccard.

Sic, sensim expletis in Episcopatu annis jam propè XXXIIII. Burchardus vitæ finem fecit, laborumque suorum mercedem a boni omnis retributore Deo accepit

Item Necrolog. Bamberg. & Wimpin. in Vindem. Litter. Collect. I. & II.

accepit Anno MCXLIX. Die vero VIII. idus Decembris, in quem obitus ejus incidit. Cadaver, funere perquàm honorifico, magnoque omnium luctu atque desiderio Schonaugiam translatum, illic, juxta expressam defuncti voluntatem, per manus GUNTHERI Spirensis Episcopi, Terræ mandatum fuit; sequenti hac, ut quidem fertur, superaddita Epigraphe:

ANN. 1149. Vid. Prob. 80. 82. & 90.

Buggo Pater, Fastum quemvis vitavit, & astum;
Buggo pie Lator Legumque & pacis amator:
Buggo sacrans aras, mentes correxit avaras.
Buggo reformavit monachos, & corda rigavit.
Buggo fugans enses, ditavit Schonaugienses.
Buggo Dei cultor, Inimicorum fuit ultor.
Buggo ferens palmam, sedem conscendit ad almam.
Buggo Deum laudans, lætatur Tartara fraudans.
Buggo Deum cæli placavit corde fideli.
Buggo pios vultus, pia munera, suscipe cultus.

Helvvich. Prodrom. Annal. Worm. pag. 27. Vid. supra in Burchardo I.

Hinc duplicis erroris rursum arguendus est cum cæteris rerum Wormatiensium Scriptoribus, Georg. Helwichius, dum Burchardi Regimen usque in annum MCLI. producit, eumque tandem post obitum, Wormatiæ in Æde principe sepulturam obtinuisse, & quidem in Crypta, ubi Prædecessorem ejus æquinomium quiescere ostendimus; hauddubie hallucinatus in nomine, quod forsan nesciret sæculo illo nihil fuisse familiarius, quam nomina paulo prolixiora contrahere; sic enim CONRADI, *Cunones*; EBERHARDI, *Ebbones*; GODEFRIDI, *Gozzones*; atque adeò BURCHARDI, *Buggones*, seu *Boccones*; passim dicti sunt; unde & noster, ubique ferè idem inculcans, notitiam propriam pro fundatione Cœnobii Franckenthalensis, his verbis orditur: *Ego* BURCHARDUS, *Worm. Ecclesiæ Episcopus, sive Minister, qui &* BUGGO *nominor. &c.* tum è contra, in aliis litteris Collegio S. Pauli Worm. concessis: *Ego* BUGGO, *S. Wormatiensis Ecclesiæ Episcopus, qui &* BURCHARDUS *nominor &c.* His observationibus addere juvat, sui in sede Wormatiensi Successoris Conradi, verba, dum Schonaugiensi Monasterio & ipse benefaciens, commemorat: quod, *hunc locum Prædecessor* ejus BUGGO, *qui &* BURCHARDUS *nomine, Pater pauperum, & misericordiâ plenus, fundavit, ubi & in pace quiescit.* Quo testimonio, ad perfectam tam nominis, quam & sepulturæ Burchardi notitiam assequendam, nihil luculentius.

Vid. Prob. 72. & 77.

Vid. Prob. 82

Brower. Annal. Trevirens. Tom. II. pag. 15.

Fallitur insuper Browerus, dum, quæ jam Anno MCX. sub Eppone Worm. Episcopo peracta fuerat, majoris Templi dedicatio, eam ipse in annum MCXVIII. reponit, quo certe tempore, Burchardus noster, hos sacri muneris honores Trevirensi Archiepiscopo Brunoni, utpote schismatis labe tunc infecto, detulisset nunquam.

Cæterum; de Arnoldo illo, quem Rex Henricus Burchardo, statim post ejus electionem, opposuit, nihil quidquam nobis dicendum occurrit; cum veteres rithmi sequentes, eum imposito oneri, se se ultro subduxisse, memorent, quanquam simul tempus non exprimant.

ARNOLDUS baculum nondum Pastoris adeptus,
BUGGONI cessit, dans sua jura, pio.

Hoc

Hoc certe constat, Burchardum nostrum haud ante annum MCXV. Ecclesiæ suæ Regimen adiisse, jus vero sacrorum suscepisse Anno MCXX. Utramque enim Epocham probat, inter cætera, ejusdem Præsulis charta pro Monasterio S. Cyriaci, quæ sic desinit: *Facta sunt hæc, Anno MCXXIX. Regnante* LOTHARIO *Rege, Episcopatus nostri, Anno XIIII. Ordinationis vero IX.*

CONRADUS I.
DE STEINACH.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
XXII.

Menses haud pauci â Burchardi obitu jam effluxerant; siquidem adhuc Anno MCL. publicis Comitiorum Spirensium actis subscripti reperiuntur: *Clerus* & *Populus Wurmacensis Ecclesiæ*, QUÆ TUNC VACABAT. Quando tandem die ad novum eligendum Antistitem constituta, CONRADUM de STEINACH, ætate quidem juvenem, sed consilio, sapientiaque maturum, legitimis suffragiis, quin ipso comprobante CONRADO Rege, ad eam extulêre dignitatem. Paullin. Syntag. Rer. Germ. pag. 565.

Solemni itaque ritu inauguratus se se mox anno proxime sequente Wirceburgum contulit, quo Rex Ordinibus Imperii Conventum indixerat. Actum illic in primis de expeditione in Siciliam suscipienda, quam dum Præsul noster suo quoque calculo probasset, Wormatiam rediit, imperatum sibi militem proxime suppediturus; quem etiam in finem tam ipse, quam & amicus ejus GUNTHERUS Spirensis Episcopus, Deo vota sua ac munera in Schonaugiensi Cœnobio obtulerunt, quatinus eum sibi in cunctis haberent propitium; ANN. 1151. Martene. Script. Veter. Tom. II. pag. 496. Prob. 82. & 83.

Verum, Rege hæc inter è vivis sublato, Conradus noster fidem, & obsequia sua, Nepoti, simulque successori ejus FRIDERICO in totum addixit, ab eoque vicissim consiliorum omnium particeps effectus est; hinc frequentiorem, etiam de aliis benemerendi occasionem nactus, eam sedulo opere complevit, ut quando Spiræ in Comitiis, SIMONEM Saræ-pontanum Comitem, licet proprium Ecclesiæ suæ Advocatum, in iniquorum spoliorum restitutionem, erga Swartzacensem, quæ in Badensi est, Abbatiam, a Rege condemnari; Treviris vero, universa Cameracensis Cleri privilegia per hunc confirmari obtinuit. Quod si & in altero illo Wormatiensi Conventu, quem BERNARDUS & GREGORIUS, Cardinales, EUGENII III. Pontificis Legati celebrarunt, vota sua obsecundassent Superi, HENRICUS Moguntinus nunquam per calumniam sede sua dijectus fuisset, ut ARNOLDO, Regis Cancellario locum in ea faceret. ANN. 1152. Ex Archiv. Mon. Swartzacens. ANN. 1153. Miræi. Donat. Belg. Nov. Edit. pag. 182. Otto Frising. Lib. II. cap. 9.

Posthæc, Fridericus Rex, Italiam, more Majorum abiit, diadema Imperiale de manu Pontificis suscepturus, quo in itinere, dum eum unà cum aliis multis, utriusque Ordinis Proceribus, comitatus fuisset Conradus noster, prout id testantur varia ejusdem diplomata, quibus tum Brixinæ, tum Tridenti, tum demum Constantiæ existens, inter cæteros subscripsit, magnum ex ejus absentia detrimentum sustinuit Wormatiensis ditio; quandoquidem HERMANNUS Palatinus, nescio quo fatali res suas augendi, stabiliendique cupidine ductus, rapinis ac incendiis eam devostare non destitit, licet ex adverso in Conradi auxilium accurrens Archipræsul Moguntinus Arnoldus, hostem utrique jam communem, etiam spirituali gladio perculisset. ANN. 1154. Chron. Reichersp. Miræi. Oper. Dipl. Nov. Edit. p. 826. Jacob Manlii Chron. Constant. pag. 623.

Otto Frising Lib. II. cap. 28. & Dodechin. in Chron.

Stabant adhuc ambæ illæ partes in armis, quando Fridericus Imp. reversus ab Italia, grave dissidium autoritate sua compescuit; quin & indicto mox Wormatiam generali Conventu, severas a sancitæ pacis publicæ perturbatoribus pœnas exegit: Nam Hermannus Palatinus, ac una cum ipso EMICHO de LEININGEN, GODEFRIDUS de SPANHEIM, HENRICUS CATIMELIBOCENSIS, HENRICUS de KIRCHBERG, aliique numero insimul XII. Comites, admissi facinoris complices, pro recepta tunc apud Francos & Suevos lege, Canes, per integrum milliare germanicum, humeris deportare coacti sunt; dum eorum respective Ministeriales Sellam Equinam, Coloni vero, aratri rotam, capiti cujusque impositas, deferebant.

Sic, ab illatis sibi, hac occasione, injuriis vindicata quidem fuit Wormatiensis Ecclesia, at paulò post non leve aliud perpessa est dispendium, ex eo quod Cæsar vanæ Civium ambitioni secretò favens, ad inconcessas ipsis eatenùs Magistratus honores, locum & aditum primus fecerit; erecto enim

ANN. 1156. sub annum MCLVI. Wormatiæ novo Tribunali cum annexo banno certis limitibus circumscripto (id quod pacis publicæ servandæ tuendæque causa, se se unicè tum fecisse testatus est) eidem XII. Ecclesiæ Ministeriales præfecit, quibus delectos ex plebe viros XXVIII. assidere voluit, hac lege: ut rem communem simul tractarent, juxta quod in Tabulis desuper confectis, prævie fuerat ordinatum; ne autem sibi notam aliàs Episcopi jurisdictionem præteriisse videretur, huic, ut & Advocato, Prætori, cæterisque ejus officiatis, mulctas in contravenientes latas, ex parte potiori addixit.

Prob. 84.

Conradus, etsi videret fieri id non posse sine magna veteris Juris sui Episcopalis, & prærogativarum perturbatione, rem tamen, quam calculo suo neutiquam probavit, vitio temporum sustinere compulsus est, cum sibi nec apud Cæsarem gratia, nec apud suos auctoritas constaret satis; quanquam deinceps in omni Re Forensi, seu aliàs, ostendere nunquam intermisit, penes quem resideret supremæ jurisdictionis honos.

Trith. in Chron. Hirsaug. & Dodechin. in Chron.

Convocati interea rursum Wormatiam Optimates, de salute Reipublicæ, nec non Imperii honore stabiliendis, deliberaturi, illuc Anno MCLVII. ad præstitutam diem frequentes convenère, alteraque ab ipsis mox decreta fuit in Italiam expeditio, ne Mediolanensium amplius succresceret insolentia; peragratis itaque ac perlustratis provinciis, Fridericus, quo cuncta, se

ANN. 1157.
ANN. 1158.

absente, haberet pacatiora, Wormatiam anno proxime sequente deflexit; inde collecto juxta Augustam Vindel. exercitu, propositum iter ingressus est.

Adhæserat Cæsari comes ubique Conradus noster, dumque simul ad subeundos militiæ labores se se accingeret, forte Trevirim delatus, turpem ac infaustum illic cum HILLINO Archipræsule Tractatum iniit: huic siquidem Nassowa arcem, eique annexum XL. mansorum nobile prædium cessit, dum, vice versa, non nisi Curtem Parthenheim, mansos dumtaxat XIX. complectentem, nec non omni insuper jurisdictione destitutam, ab ipso in concambium recepit. Factum, ut ut in Tabulas speciose relatum, probante postmodum Anno MCLX. Victore Antipapa. Hinc, a nonnullis Wormatiensium rerum scriptoribus, Hillinus in hoc, velut violenti spolii reus incusatur, dum è contrario, a propriis ac domesticis culpatur, quasi minus caute rem illam tractârit ac peregerit. Certè, damnum inde ex integro in Wormatiensem redundasse Ecclesiam, satis innuit prædii utriusque simul possessio, quæ, nescio qua ratione aut fortuna, penes Trevirensem permansit,

Prob. 85.

Brower. Annal. Trevir. Tom. II. pag. 64. Golscher. Gest. Trevir. apud Eccard. Script. Tom. II.

sit, cum hæc Nassoviæ Comites feudi lege exinde obnoxios sibi habeat, & Parthenheimium suum adhuc Anno MDCLXV. adversus Palatinum Electorem a prætenso jure Wildfangiatus vindicare conata fuerit. Cæterum; felicius illa bonorum successit commutatio, quam majoris Ædis Worm. Canonici, cum HEDWIGA, S. Stephani apud Argentoratenses Abbatissa, paulo post iniisse reperiuntur, quam & proinde suo calculo probarunt, præter ipsum Cæsarem, ambo utriusque Dioecesis Præsules. ANN. 1160. Prob. 86.

Redux demum ex Italiæ partibus Conradus, urbe sua Wormatia tranquille substitit; ubi, præsente Imperatore, in maximo Principum consessu, causa Moguntinorum, qui nuper occiso Archipræsule suo Arnoldo, alium propria autoritate eidem surrogare ausi fuerant, cognita est, decretumque simul in reos supplicium. Ast, cum sub idem fere tempus, gravis inter GUELFFONEM Bavariæ Ducem, & HUGONEM Palatinum Tuwingensem, vigere coepisset discordia; Præsul noster adversus hunc in belli societatem attractus, fortunam sibi rursum sensit contrariam, multaque deinde etiam enormia a CONRADO Rheni Palatino, ut qui, pro ejus sæculi labe, bonis Ecclesiarum cupidius inhiabat, damna perpessus est. Hinc publicis tricis, curis ac negotiis penitus a se abjectis, pietatis opera unice deinceps sectatus est, quod ut majori cum profectu faceret, sequentes has ad HILDIGARDIM, in Rupertino monte juxta Bingam Oppidum miræ sanctitatis monialem litteras perscripsit: ANN. 1163. Dodechin. in Chron. Trith. Chron Hirsaug.

„CUNRADUS, Dei gratia, Vuormatiensis Ecclesiæ, indignus licet, „Episcopus; HILDEGARDI dilectæ sorori de monte Sancti Roberti; cum „heu! parva orationum exhibitione, suavem in omni obsequio devotionem. Epist. Hildegard. pag. 44. & 45.

„Deo gratias agimus, qui Te Lucernam clarissimam aureo candelabro „imposuit, & lucis suæ claritatem longe lateque per Te in domo sua clare„scere fecit: Quapropter soror, & Filia dilectissima, ex radiis, quibus Te „solem Justitiæ indubitanter illuminare credimus, nubila mentis nostræ, quæ „nos opprimunt, ex incongruenti tribulationum turbine, & diversarum „cogitationum inundatione, depelli obnixe exoramus. Plurima quidem „sanctitati tuæ necesse haberemus insinuare, si prolixitas verborum Tibi ea „explicare non obstitisset; viva autem voce per præsentem Latorem Tibi „præsentialiter loquimur, & responsum admonitionis tuæ toto corde efflа„gitamus.

Fecit Hildegardis, quod rogata fuerat, & anxium Præsulem tali solata est responso.

„Tu persona es, sedens super Cathedram Christi, & virgam ferream „in manu tua habes ad regendum oves tuas. Adspice ad solem Justitiæ, & „ad plurimas stellas, quæ sunt genera virtutum, ut non deficias in cibo vi„tæ; quia bonus pastor est, qui semper in bonis operibus floret, & qui in „recta viriditate oves suas pascit. Hoc Tibi det, qui in prima die sonuit, „& in cujus verbo omnis creatura processit, & qui in novissima die tuba ca„net, ita quod omnes Filios hominum suscitabit. Nam quidam homines „juste viventes, Tabernaculum Dei sunt, qui Deus in eis habitat: homo „enim ædificium Dei est, in quo ipse mansionem habet, quoniam igneam „animam in illum misit, quæ cum rationabilitate in dilatatione volat, quem„admodum murus latitudinem domus comprehendit, sed & qui per præce-

„pta Dei in operibus suis justificatus est, in quibus legem Dei non neglexit, „coelestem Jerusalem ædificat: qui vero secundum carnem operatur, & „non secundum Spiritum, de sancta ædificatione cadet: qui vero proprieta„tem voluntatis suæ de se abscidit, coeleste ædificium cum margaritis & præ„ciosis lapidibus, & optimo auro ornat. Tu igitur te talem fac, ut lapis „prætiosus fias, & in summa Hierusalem orneris.

Ann. 1166. & 1168. Prob. 87. & 88. Ille Oraculum, juxta propriæ conscientiæ testimonium interpretatus, firmior perstitit in coëpto, ac non nisi ea, quæ Episcopi sunt, & a se desiderabantur, deinceps inter curas reposuit; ut quidem, inter cætera, id innuunt editæ ab eo in Bullinkeimensis, nec non Schonaugiensis monasteriorum litteræ.

Amavit piam hanc Conradi solicitudinem Cæsar, multisque in ipsum collatis beneficiis, id testatus fuerat. At verò, cum rursum ejus opera indigeret, ut Emanuelis Græcorum Regis Filia, proprio Filio suo nuptui traderetur, assiduum illud excolendæ pietatis studium amplissimo legationis muneri locum facere oportuit; receperat quidem invitus in se negotium Antistes, quod præviderct ingentibus curis, ac periculis illud fore obnoxium, sed vicit Friderici voluntas, qui eum, vel maxime reluctantem, Constantinopolim direxit.

Arnold. Abb. Chron. Slavor. Lib. II. cap. 3. & seq. Ann. 1170.

Difficile itaque ingressus iter Conradus, Comitem inter cæteros habens Henricum Saxoniæ Ducem, cognomento *Leonem*, haud procul Nicæa in prædones incidit, quibus feliciter abactis, tandem Constantinopoli appulit, ubi eo, quo par erat, obsequio susceptus, ad Regem perducitur; exponit ordine sibi commissa Præsul, nihilque eorum, quæ ad optatum negotiationis suæ exitum conducere poterant, visus fuit intermisisse; ast, ubi labor omnis in vanum cessit; valefacta Græcorum Aula, inde cum Henrico Duce profectus est, ac peregrinationem in Terram sanctam, quam hic ex voto susceperat, ipse sola pietate ductus, adornavit.

Idem. ibid. Jam sacram Hierosolymorum sedem, ac pressa Christi vestigiis reliqua Palestinæ loca, ambo intenta cura lustraverant, cum Ducem vehemens incessit cupido Antiochiam visendi, quo tempore Conradus noster gravi morbo conflictabatur; discedendum itaque fuit ab invicem: verum Ducis absentiam vix biduum sustinens, Præsul, ut ut ægro corpore, in navim deferri voluit, maritimo itinere eum secuturus; fuit hic ultimus moribundi hominis conatus: nam vehementi undarum fluctuumque incussu assidue pressus, agitatusque, animam diutius retinere nequiit, sed eam, inter ferventes Bertholdi Luneburgensis Abbatis, aliorumque adstantium preces ac suspiria, creatori suo reddidit Idib. Aprilis Anni MCLXXI. Cadaver Tyrum, in cujus conspectu tunc forte erant, illico devectum, hac urbe celebri sepulturam reperit, funebrem pompam curante præprimis Gunzelino, Zweringensi Comite.

Ann. 1171.

Helwich. Prodr. Annal. Worm. pag. 28. Item Casp. Brusch. Corrigendi itaque sunt, qui hunc Præsulem nostrum jam An. MCLXIII. obiisse volunt; nec erroris expers est Alb. Crantzius, dum ipsum è peregrinatione sua Anno MCLXXII. Wormatiam rediisse salvum & incolumem, prætiososque Reliquiarum thesauros secum detulisse affirmat.

Alb. Crantz. Saxon. Lib. VI. cap. 28.

CON-

CONRADUS II. DE STERNBERG, EPISCOPUS WORMATIENSIS XXIII.

Nuntiata Episcopi mors non exiguum Wormatiensi Clero dolorem inflixit, felicissima quæque de ipso sibi pollicenti; hinc & in eligendo successore haud parum laborare visi sunt summæ Ædis Canonici, quorum vota ac suffragia tandem in CONRADO de STERNBERG, Viro, cum cæteris virtutibus inclyto, tum Natalium splendore, ingenii, doctrinæque excellentia, illustri, simul coierunt. ANN. 1171.

Probavit quidem mox Electi personam FRIDERICUS Imperator; at ALEXANDER Pontifex non item, quod grave inter ipsos tunc regnaret dissidium, nec de facili videretur terminandum; congregatis siquidem adhuc Anno MCLXXII. Wormatiæ Proceribus, Fridericus, acerbas rursum adversus eundem, nec non universos Italos, querelas movit, ut qui de transferenda ad Manuelem Græcorum Monarcham Romani Imperii corona, consilia agerent; re igitur mature pertractata, omnes subsidio Cæsari promisso, novam in factiosos decreverunt expeditionem, quam & in altero illo generali Conventu, ibidem loci, anno proxime sequenti, celebrato ratam habuêre. ANN. 1172. Godef. Mon. S. Pantal. apud Freher. Tom. I. ANN. 1173. Idem ibid.

Has inter turbas, Conradus, Wormatiensem Ecclesiam, etsi difficulter, maxima tamen cum prudentiæ virtutisque fama sedulo sustentabat, de reliquarum utilitate ac profectu non minus solicitus, id enim testantur diversa Friderici Præcepta nunc Wormatiæ, nunc Francofurti, nunc Moguntiæ edita, quæ idem Præsul noster Testimonio suo firmasse reperitur, dum & de propriis bonis Cœnobio Schonaugiensi benefecit, nihil habens impensius, quam suam industriam omnibus, animique simul fidem Principi probare, unde & vicissim tanti ab hoc habitus est, ut concordiæ cum Pontifice ineundæ negotium ipsi præprimis commissum fuerit. Prob. 89. & Leuckfelt Antiq. Michelst. pag. 91. Item Joann. Rer. Mogunt. Tom. II. pag. 589. & Prob. 90.

Instructa itaque eum in finem, splendido adparatu Legatio, quam præter Moguntinum, & Magdeburgensem, Antistites, noster adornabat, primò Agnaniæ Alexandrum convenit, inde vero profecta est Venetias, ubi, tam eodem hoc Pontifice, quam & Cæsare præsentibus, pertinax controversia, quæ eos invicem collisos hactenus exagitaverat, discussa, ac demum penitus sublata fuit, pacis conditiones, quibus & WILHELMUM Siciliæ Regem comprehendi placuit, subscribente inprimis nostro, in hæc plane verba: *Ego* CONRADUS, *Wormatiensis Electus*; necdum enim ob tetrum schisma, confirmationis, ut & consecrationis munus susceperat, quod utrumque Alexander Romam reversus, nunc tandem ipsi ibidem impertiit, spe insuper facta, vacantis primùm in Imperio Archiepiscopatûs. ANN. 1176. Goldast. Constit. Imperial. Tom. III. pag. 353. & seqq. Ibid. pag. 360. & Leibniz Cod. Jur. Gent. in Prodr. num. III. Item Chronog. Saxo.

Posthæc, iter inde suum Conradus relegit in Germaniam, ubi indictis in annum MCLXXIX. publicis Comitiis, nunc Wirceburgi, nunc Worma- ANN. 1179.

Godefrid. Mon. Annal. apud Freher. Tom. I. Luc. Acherii Spicileg. nov. edit. Tom. I. pag. 639.

matiæ, & ipse præsens interfuit; actum in iis præcipue de PHILIPPO Coloniensi Archiepiscopo cum HENRICO Saxoniæ Duce invicem conciliandis; sed cum res, difficultatis plena, ab uno Conventu traheretur ad alium, nec tam cito optatum finem videretur consecutura, Præsul noster iterum Romam abiit illicque celeberrimæ Synodo, jussu Alexandri Pont. in Basilica Lateranensi congregatæ, unà cum trecentis aliis Patribus reverenter adstitit, salutaria multa sibi accumulans præcepta, quibus clerum suum imbueret, quod & redux sedulo exequi conatus est; non minorem de cætero erga subditos sæculares curam ac solicitudinem gerens, quando quidem benigne aliquando consensit, ut cives wormatienses a censu, quam hactenus in capita pendere solebant, non modo liberos pronuntiaret Imperator, sed & antiquata aliquot Prædecessoris ejus Henrici privilegia in eorum gratiam innovaret; Ne autem, unde munus hoc præcipue profluxerat sera forsitan ignoraret posteritas, visum est in ipso majoris templi aditu, seu frontispicio, æneam collocare laminam, sequenti hac inscriptam Epigraphe:

ANN. 1180. Prob. 91.

A CENSU CAPITUM SIS LIBERA MUNERE NOSTRO
TU LIBERTATE DIGNA FRUARIS EA
SIT TIBI, WORMATIA, LAUS HINC, ET FRUCTUS HONORIS,
QUOD PIA, QUOD PRUDENS, QUOD BENE FIDA MANES.

Vid. supra Part. II.

Equidem, jam tunc agnovisse videtur Fridericus, nullam sibi in Civitatibus Episcopalibus, extra Comitiorum tempus, competere jurisdictionem, nisi forte de ipsorummet Episcoporum consensu, quod si ejus hic intervenit autoritas, id unice factum est, ut illa relaxatio, quatenus Regalia concernebat, firmiori deinceps niteretur pede.

Miræi Oper. Diplom. nov. edit. pag. 1185. Annal. Bosov.

Hæc inter, magna animorum contentione, lis Henrici Saxonis agitabatur, sed quæ demum, ob perpetuam Ducis hujus contumaciam, in Comitiis Geilenhusanis infelicem exitum reperit; nam Cæsare sententiam proferente, de communi utriusque Ordinis Optimatum, quos inter & Conradus noster erat, consensu proscriptus, totius Imperii vires in se armatas sensit, ejusque Ditiones ac Provinciæ, ex Decreto Conventûs Wormatiensis, direptioni patuerunt.

ANN. 1181.

Ab odiosis illis, ad curas sacras conversus Præsul noster, Basilicam principem ruinas hinc inde minitantem maximis sumptibus in priorem statum reduxit, quam & dein Anno MCLXXXI. ejus rogatu ARNOLDUS Trevirensium Antistes, assistentibus sibi ULRICO Spirensi, & HERMANNO Monasteriensi, Episcopis, exquisito cæremoniarum adparatu inauguravit, simulque S. S. Justini, & Stactæi corpora, quæ hactenus in majori ara jacuerant recondita, in mediam Ecclesiæ navem transtulit, ipso Friderico Cæsare in frequenti Procerum corona, solemnitatem præsentia sua cohonestante; id autem Conradus tum hac, tum proxime insequenti occasione, consecutus est amplius, quod Asceterium Lobenfelt, a BOPPONIS Louffensium Comitis impetitionibus liberatum, pristino Cæsarum juri ac tutelæ asseruit, simulque ablatas quondam per CONRADUM Comitem Palatinum Rheni, propriæ Ecclesiæ suæ res, ac possessiones feliciter recuperavit; hinc & sparsi in vulgus Rithmi sequentes, facti memoriam retinuerunt.

Dux palatina CONRADUS *stirpe subortus*
Abstulit a sacris non bona pauca locis;
Quæ manus inde pii CONRADI *larga redemit*
Præsulis, & sacris Ædibus illa dedit.

Cer-

Certe; uberem illam, quam religioni promovendæ ſic denuo nactus
eſt materiam Antiſtes noſter, totam in templorum reſtaurationem, nec non
cœnobiorum augmentum impendiſſe conſtat; dum enim hinc, cœptam a Obrecht.
FRIDERICO Alſatiæ Duce Trutenhuſenſis monaſterii fundationem ſtrenue Prodr. Rer.
promovet, inde vero ſupramemoratum Conradum Palatinum inducit, ut lo- Alſat. pag.
cum Neuburg antiqua religione venerabilem, interire non patiatur, ſed di- 227.
vino cultui rurſus aptum reddat, ipſe Canonicorum S. Cyriaci collegium
juxta Wormatiam, nec non Franckenthalenſe S. Stephani Aſceterium variis
bonis ac poſſeſſionibus locupletavit.

His, nec non ejusmodi aliis pietatis operibus annos aliquot jam inſum-
pſerat Conradus, cum inde ad expeditionem Italicam evocatus a Cæſare,
huic rurſum obſequia ſua probavit; quanquam in uno, alterove facto, fides ANN. 1185.
ejus ſuſpicione haud caruerit, ut quando, eluſa Principis hujus apud LU- Arnold.
CIUM III. Pont. interceſſione, effecit, quominus cum Clericis, qui tem- Chron. Sla-
pore Alexandri ordines ſacros a ſchiſmaticis ſuſceperant, diſpenſatum fuerit vor. Lib. III.
univerſim, eandem mox URBANO III. Lucii ſucceſſori mentem inſpirans; cap. 10.
hinc redux anno proxime ſequenti in Germaniam Fridericus occultum quid- ANN. 1186.
dam adverſus ſe machinari publice conqueſtus eſt, indictisque Wormatiam Chronog.
Comitiis, juſſit, ut Epiſcopi ſe ſe de ſiniſtra voluntate juramento expurga- Saxo apud
rent, id quod etiam a cunctis, ſi unicum Moguntinum excipias, præſti- Leibniz.
tum fuit; nihilo tamen minus alium hic loci idem Imperator Anno ANN. 1187.
MCLXXXVII. proxime ſequenti, Principum Conventum egit, ad quem pa- Godefrid.
riter Colonienſis Archiepiſcopi nomen detulit, quod is ſibi per ditionem Mon. Annal.
ſuam tranſitum vetaret. apud Freher. Tom. I.

Collecto dein rurſum numeroſo exercitu Fridericus, iter ſibi per Hun-
gariam in Terram ſanctam aperuit, cumque Filio ſuo Henrico Imperii ha-
benas interea commiſiſſet, ſimul Conradum noſtrum eidem a conſiliis eſſe
voluit: hinc & prudentia Præſulis multoties deinceps enituit, notanter in
cauſa controverſa ſuper jure proprietatis in Aſceterium Enkenbach, quod Prob. 93.
Monaſterienſis Abbas ſibi adverſus Otterbergenſem vindicabat, & quidem
meritò. Cæterum muneri ſuo intentus ab aſſuetis curis nihil remiſit unquam, ANN. 1190.
ut quidem teſtatur, inter plures, charta ſequens:

„ CUNRADUS ſecundus Dei gratia Wormatienſis Eccleſiæ Epiſcopus. CUNRADO Decano S. Andreæ in Wormatia, & ſuis Confratribus.

„ Dum viſitandi gratia ad Eccleſiam beati Andreæ divertiſſemus, & „ lacrymabiles ruinas ex omni parte inveniremus, diutina cogitatione pen- „ ſavimus qualiter ejus ædificia poſſent reſarciri, cum ei ſtipendiorum, ſive „ oblationum tenuitas minime poterat ſuffragari. Hoc igitur animo noſtro „ ſedit conſilium, ut cum aliqua canonica ibidem vacaret, continuis qua- „ tuor annis ad Fabricam cederet Eccleſiæ, antequam alicui ſubſtituto aſ- „ ſignaretur &c.

Qui mos etiam apud alias collegiatas poſtmodum invaluit. Periit autem
ſub idem tempus in Armenia Fridericus I. Imp. Cydni fluminis vortice abre-
ptus, quo funeſtiſſimo caſu cognito, Filius ejus Henricus generalem Proce- ANN. 1191.
rum Conventum celebravit Wormatiæ, in quo dum ſibi nunc debitum a cun-
ctis homagium exigit, eadem hac occaſione in rem ſuam privatam oportune uſus Vid. Prob. 97.
eſt, concambium quoddam cum majori Wormatienſi, nec non S. Martini Eccleſiis
ineundo, vigore cujus totum Telonium in Boppardia ſibi acquiſivit, cumque

jam alia in annum MCXCII. proxime sequentem huc loci indicta fuissent comitia, mors inde Conradum nostrum die XVIII. Januarii sustulit. Hinc denuo corrigendi sunt, qui ipsum jam Anno MCLXXXVII. obiisse volunt; nec etiam attendendi, qui in Otterbergensi Cœnobio sepulturam ejus quærunt; eam siquidem Wormatiæ adhuc initio sæculi superioris demonstrabat lapis cæruleus, ante aram S. Laurentii M. in choro citeriore Templi Cathedralis positus, sequenti hac, prægrandibus litteris inscriptus, Epigraphe:

Ann. 1192. Helwich. Prodrom. Annal. Worm. pag. 28.

CONRADUS. EPS. II.

HENRICUS I.
EPISCOPUS WORMATIENSIS
XXIIII.

Occasione schismatis, quo Leodiensis Ecclesia haud ita pridem laborare cœperat, contendebat universim Henricus, hujus nominis VI. Imperator, ut quoties suffragiorum intercessisset dissensio, sui juris esse, quem voluerit, Episcopum designare; quæ res cum in Comitiis Wormatiæ sub Anni MCXCII. initium congregatis, mature discussa, demum secundum ipsum decisa fuisset; accidit, hujus quoque Urbis sedem vacare ex Conradi Antistitis obitu, ac eadem cum Leodiensi forte jactitari: nam in deligendo successore bifariam divisi Canonici, dum pertinaci studio alter alteri de summis honoribus minime concedit, in unum caput conspirare non potuerunt. Hinc jure devolutionis Cæsar utrobique usus, Lotharium, Cancellarium suum, Leodiensibus, Henricum vero de Mastrict, aliàs de Mosæ-Trajecto dictum, quod ex hoc oppido forte oriundus esset, suum tunc Prothonotarium, Wormatiensibus præfecit.

Frisen. Hist. Leod. Part. I. pag. 262. & Godefrid. Mon. apud Freher. Tom. I. Ann. 1192.

Regimen itaque commissæ sibi Ecclesiæ auspicatus Henricus, talem se se mox exhibuit, quem & Celestinus III. Pontifex judicio Cardinalium probaret, & subditi velut alterum parentem venerarentur; duo enim sunt, quæ Principem omni gloria majorem fecêre, videlicet; perpetuum pacis studium, divinique cultus promovendi indefinens fervor, quem postremum testantur Cæsarea aliquot diplomata, ejus interventu, aut certe subscriptione insignita, quibus tum Bebenhusani, tum Springhirsbacensis Monasteriorum universæ possessiones confirmantur; Pataviensis vero Ecclesiæ pristina jura & privilegia innovantur, nec non simul Abbatia B. Virg. eidem restituitur; laudem de cætero etiam non exiguam promeritus, quod Conradum Palatinum induxit, ut contractu cum Sigehardo Laurisheimensi Abbate inito, locum Neuburg, haud procul Heidelberga magnifice instauraverit, eumque sacris Virginibus, Regulam S. Benedicti professis, dederit incolendum.

Ann. 1193. Cruf. Annal. Suev. lib. XII. pag. 312. Tolner Cod. Dipl. Palatin. pag. 37. num. 42. Hundii. Metrop. Saltzb. Tom. I. pag. 252. & Hansiz. Germ. Sacra. Tom. I. pag. 339. Vid. supra Part. I.

Quam sollicite autem Henricus noster Gregem suum curaverit, quamque acri ingenio in tuendis Ecclesiæ suæ juribus fuerit, non semel ostendit; equidem soluto, qui Anno MCXCV. Wormatiam indictus fuerat, Principum Conventu, nihil propius habere visus est, quam pactam ibidem cum

Ann. 1195.

cum vicino sibi Henrico de Wartembero concordiam arctiore nexu constringere: quapropter cum ambo Cæsarem secuti fuissent in Italiam, de hujus voluntate ac consensu Henricus arcem suam Osthoven Ecclesiæ Wormatiensi obtulit, ita ut fiduciariam ejus possessionem sibi deinceps retineret Episcopo semper obnoxius. Vid. supra in Client. Worm. Elench. I. §. 18.

Aversis eum in modum gravibus damnis ac periculis, quæ ex illo propugnaculo velut è fonte quodam hactenus dimanaverant, rem aliam non minoris momenti Præsul noster æque prudenter ac gloriose terminavit. Vigebat inter ipsum, & Walramum Comitem de Nassaw super dominio oppidi Weilburg, juribusque eidem annexis non leve dissidium, annorum aliquot lapsu jam obfirmatum, hoc dum sublatum vellet Cæsaris ipsiusmet autoritas, Comitem eas tandem leges admittere necesse fuit, quas ratio & æquitas dudum ab ipso postulaverant, & tabulæ desuper confectæ fusius demonstrant. Prob. 95.

Hæc ultima fuêre Henrici gesta; nam paulo post, & quidem die X. Kalend. Januarii ejusdem Anni MCXCV. non vero sequentis, ut quidam perpere notarunt, è vivis excessit, sepulturam nactus in medio Chori Ædis majoris Wormatiensis.

LUPOLDUS
DE SCHOENFELT,
EPISCOPUS WORMATIENSIS
XXV.

Celebratis rursum electionis causa Comitiis, collatisque in unum votis ac suffragiis, Collegium-Princeps Lupoldum de Schönfelt, majoris, nec non Neuhausensis, & Wimpinensis Ecclesiarum tunc Præpositum, defuncto Henrico substituit, pontificalibusque indutum ornamentis, Wormatiensi Cathedræ imposuit. Ann. 1196.

Is maternum genus cum è nobili Sternbergiorum traheret prosapia; siquidem Conradi, hujus nominis III. prædecessoris quondam sui, ex sorore nepos erat, hunc præ cunctis sibi proposuit imitandum; quapropter, singula ejus gesta, quæ inter solemnis cum Henrico Rege super advocatia in Dirmstein initus contractus recensebatur, non solum calculo suo probavit, sed & affectum, quo ille erga Schönaugienses monachos ferebatur, continuò fovit, novisque eos gratiis, ac beneficiis cumulavit, reliquarum per Dioëcesim suam Ecclesiarum hæc inter minime oblitus, prout id celebrata a se Anno MCXCVI. Synodus testatur, & chartæ plurimæ in earum favorem editæ amplius loquuntur. Vid. Prob. 107. Prob. 97. Prob. 96. 98. & 99. Collect. Concil. Germ. inedit.

Auspicatissima quidem fuêre hæc religiosissimi Præsulis initia, ita ut etiam inposterum optima quæque ab illo sperare juberent: ast ubi Henricum Cæsarem, Panormi in Sicilia Anno MCXCVII. die vero III. Kalend. Octobris mors præmatura sustulit, lacerata, inter duorum præpotentum æmulorum de Imperio contendentium Factiones, Respublica, & fatali interregno prostrata, continuis motibus agitari cœpit Germania, Ann. 1197.

 qui-

quibus & Lupoldus noster involutus fuit. Hinc, dum cuncta rapinis & populationibus partes utrinque miscebant, Agro Wormatiensi tanta major incubuit vastitas, quod Lupoldus, forte infeliciore ductus, pro PHILIPPO Suevo, adversus OTTONEM Saxonem stetit, eidemque constanter adhæsit: nam licet statim initio, illius præ hujus causa omnibus visa fuerit æquior, majoraque etiam capere incrementa, succubuit tamen; operam suam ad
ANN. 1198. hoc potissimum conferente INNOCENTIO, hujus nominis III. qui CELESTINUM in summo pontificatu haud ita pridem exceperat. Is enim Ottonis partes amplexus, nihil non tentavit quo rebus ejus jam prope conclamatis efficaciter subveniret; affulsit quidem pro Philippo nova spes, ex eo quod
ANN. 1200. Moguntina sede per CONRADI Archipræsulis obitum destituta, eam Canonicorum pars potior Lupoldo nostro detulisset; verum, urbe tota adversus reclamante ac in seditionem abrepta, dum ille promptus accurrit, fluctuantes suorum animos obfirmaturus, prohibere non potuit, quo minus de alio eligendo cogitarent; facta itaque secessione, concordibus trium dumtaxat suffragiis, itum est in SIGIFRIDUM ab EPPENSTEIN, majoris Ædis tunc Præpositum, qui & factæ de se electioni mox consensit.

Godefrid. Mon. Annal. apud Freher. Tom. I.

Adoritur æmulum, validis accinctus copiis, Lupoldus, & Bingia oppido in potestatem suam redacto, ipsum inde turpiter ejecit. Hinc ille ad Ottonem Regem confugiens, ab eo non solum jura regalia, sed & auxiliarem militem, armorumque satis impetravit, quibus obstructam ad honores viam sibi rursum patefaceret. Dici non potest in quàm exitiales turbas utramque Dioëcesim res hæc conjecerit: nam Lupoldum vicissim priori loco cedere coactum, Sigifridus adusque Wormatiam, non sine gravi cæde insecutus
ANN. 1201. est, urbemque arcta obsidione vallavit, sed quam mox armata manu solvit Philippus; adeò, non tam certamen inter duos Præsules, quam inter ipsos Reges erat, uter Moguntinum sibi adjungeret.

Interea vero, quò lis super legitima Archiepiscopatus illius possessione
ANN. 1203. coram summo Pontifice ventilata, finem suum acciperet, perstitit in armis Lupoldus, quin & Philippum in expeditione Thuringica comitatus, ei Erfordiam, atque adeo viam ad triumphum aperuit, HERMANNO Landgravio prius in fugam conjecto; redux inde Wormatiam Præsul, dum exonerata tantisper hac incumbentium malorum mole, plurima ad Ecclesiæ suæ statum erigendum perageret, curam hanc ac solicitudinem etiam ad exteros protendendo, Laurisheimensem Abbatiam, forte sub idem tempus Rectore vacuam, quod regii juris esset, a Philippo in servatæ sibi hactenus fidei præmium retulit.

Arnold. Lubec. in Chron. lib. VI. Vid. Prob. 100. & supra in Diœcel: Worm. Art. Eppelsheim & Heppenheim.

Certe; durantibus hisce belli intestini motibus, dum levis inconstantisque animi passim per Imperium audiebant Proceres tam Ecclesiastici, quam & Sæculares, *quia* (ut verbis coævi Scriptoris utar) *tum propter pecuniam, tum propter amorem, nunc uni, aut alteri* ex duobus illis æmulis *juraverant;* Lupoldus noster nec minis, nec hortationibus, nec sollicitationibus a quoquam adduci potuit, ut datam semel Philippo fidem violaret; hinc postquam unà
ANN. 1204. cum ipso excommunicationis sententia innodatus fuit, cerneretque dignitatem suam in extremo versari periculo, nihil tamen inde commotior, cœptum honoris ac gloriæ cursum non duxit abrumpendum, quin potius pristino elatus impetu, arma magnis animis in ipsum movit Pontificem, causatam utrobique injuriam multarum Provinciarum excidio ulturus; nec segnior in proposito Philippus, siquidem traducto in Coloniensium fines numeroso exercitu,

Cæsar. Heist. Lib. V.

Trith. Chron. Hirsaug.

tu, bellum majore quam antea fervore redintegravit, fortuna ubique usus adeo prospera, ut æmuli res, nec non cum auctoritate vires, magis ac magis deinceps imminui cœperint; jamque actum videri poterat de Ottone, quando parricidia manus Philippum Bambergæ Anno MCCVIII. sustulit è medio. Ann. 1208.

Sensit præ reliquis fatalem jacturam Lupoldus, nihilque ipsi in vita accidisse poterat hoc casu aut tristius, aut acerbius. Nam ubi jam, nullo amplius obnitente, Imperii fasces solus tenuit Otto, etsi a vindicta regimen auspicari haud quaquam consultum, dum cunctis veniam tribuit, qui adversus se arma tulerant, inde tamen Præsulem nostrum excepit, eumque mox dignitatibus suis exutum toto Imperio exulare cœgit; sententiam ipso pariter probante Innocentio Pontifice, qui relictas exautorati Pastoris oves Sigifrido Moguntino simul commisit regendas. Vid. Prob. 103. & 104.

Verum, postquam sic errans ac palabundus per annos jam prope quatuor in exteris regionibus hæsisset Lupoldus, adversantemque fortunam invicto semper sustinuisset animo, evenit, ut Ottone Rege cum Romano Pontifice graviter colliso, aliam res faciem induerint, & quem primitùs Optimates, juxta proprium condictum, eligere debuerant, FRIDERICUM scilicet, HENRICI VI. quondam Imperatoris filium, hic superstiti Ottoni nunc tandem in Imperio surrogatus fuerit, qua occasione mitiorem novi Principis animum expertus Præsul noster, ab exilio, in quo (ut de se ipse testatur) diu desudaverat, revocatus fuit, consentiente in idipsum etiam Innocentio Pontifice. Ann. 1212.

Itaque Gregi suo redditus Lupoldus, a lustratione Diœcesis regimen auspicatus est, & tam Clerum, quam Populum melioribus legibus imbuit; Prob. 104. tum rata habens quæcumque, se absente, Sigifridus Moguntinus, rerum administrator, ordinaverat, in restaurandis, quæ per hosce bellorum motus disrupta aut dejecta fuerant, templis ac cœnobiis, se se tradidit impensius, exhaustasque eorum facultates aliunde resarcivit, ita ut in ambiguo reliquerit, manûne ad arma, quam ad sacra esset promptior. Tum, ad civilia animum adjiciens, ut erat Princeps severus, & jurium suorum gravis exactor, non tulit in iis quidquam minui, aut immutari; hinc, ut præjudiciis, si quæ forsitan jam irrepserant, mature obviaret, Hagnowam, quo Rex Ordinibus Imperii Conventum indixerat, se se contulit, illicque propositum suum tam feliciter executus est, ut non solum dispersas ac ablatas Ecclesiæ suæ possessiones recuperarit, sed insuper *universa iura, tam Ecclesiastica quam & secularia*, quæ in *Civitate Wormatiensi*, reliquisque oppidis & castris sibi subjectis, tam ipse, quam & Prædecessores ejus, ex veterum Regum, seu Imperatorum munificentia hactenus obtinuerant, inde retulerit illæsa, ac illibata. 105. & 107. Ann. 1213. Prob. 106.

Rebus in hunc modum rite iterum ordinatis ac dispositis, reliquum erat, ut vigili cura ab omni deinceps impetitione servarentur immunes; verum quo minus votis in hoc responderit eventus, temporum effecit iniquitas: ea enim in dies augescente, frustra fuit superantibus jam undique malis remedium quærere; tentaverat quidem extremum Lupoldus, populares a Senatu urbico excludere, hunceque ad XII. Ministerialium numerum, quo olim compositus fuerat, reducere: at, negotium in diuturnas moras abiens, dum multis interea turbis coalescendi locum ac audaciam facit, & Cæsar Præsu- Anonym. Chron. Worm. M. S. Ann. 1217.

lis nostri opera in exteris ac longinquis regionibus utitur, spes omnis successus melioris simul cum ejus vita concidit; obiit enim Anno MCCXVII. quo tempore *in Apuliæ legatione occupatus* erat, ut quidem testatur charta Henrici majoris Præpositi Worm. pro Schonaugiensi Monasterio, sub data anni ejusdem.

Superest; ut religiosissimum Præsulem ab iniquis dicteriis, quibus olim impetitus fuit, vindicemus: hunc enim sacrorum jura violasse, hunc cœnobia & cœmiteria diripuisse ac evertisse, hunc denique omnem pietatis Cæsar. Hist. memorab. Lib. II. cap. 9. sensum amisisse ferunt quotquot Cæsarii Heisterbacensis scripta legêre; ast autor ille, alioquin probus, majore ductus zelo, quam prudentia, auditum temere rumorem arripuit, & ad posteros transmisit: degebat enim in partibus Rheni inferioris, quando dirum in Imperio schisma illuc forte detulerat Ottonem; quid igitur mirum? si Philippicæ Factionis Lupoldum nostrum, calamo, dum aliter non potuit, perstringere aggressus est. Certe; quam parum æquus hac in re fuerit, demonstrant Lupoldi gesta, quæ, si mente a præjudiciis aliena, tractentur, nemo sibi facile persuadebit, ea impietate Episcopi animum fuisse occupatum, multo minus ore protulisse eas, Vid. Prob. 133. quas Heisterbacensis ipsi tribuit sententias, cum & a posteris: *bonæ memoriæ venerabilis Episcopus*, continuò audierit.

HENRICUS II.
EX COMITIBUS DE SARÆPONTE, EPISCOPUS WORMATIENSIS XXVI.

Ann. 1217. Primarius Wormatiensis Clerus, percepta Antistitis sui Lupoldi morte, ad novum ipsi surrogandum illico convenit, variantibusque haud ita multum suffragiis, Henrico Saræpontis Comiti, in majoris, nec non Neuhausensis Ecclesiarum Præpositi dignitate tunc constituto, vacantes Infulas detulit.

Ornabant Henricum, hinc natalium splendor, inde virtutum dotes eximiæ; verum, quod in conturbata tempora regimen ejus incidisset, ingentis quidem animi Princeps, sed successûs plane infelicis audiit. Equidem, inter curarum, seu potius molestiarum suarum exordia, illæ, quas reliquis per Germaniam Episcopis Fridericus Cæsar, tum hujus Filius Hen- Vid. supra Part. II. ricus Rex ipsi privatim suscitavit, non minimum locum obtinuerunt: dum enim Parens vetera Ecclesiarum jura, ac privilegia ubique annihilare conatur, Ann. 1220. alter earundem bonis avide inhiabat, jamque in eo res erat, ut avulsa è Wor- Prob. 109. matiensi dominio Wimpina juxta Nicrum civitas, unà cum universis suis attinentiis, Regi, saltem feudi lege, obveniret; quando colligati invicem Ecclesiastici Proceres, utriusque ambitioni, seu concupiscentiæ obicem posuêre, urseruntque in solemnibus Comitiis tum Wormatiæ, tum Francofurti Anno MCCXX. celebratis, communi petitione Cæsarem, ut quidquid tam Prob. 110. ipse, quam filius ejus hucusque adversum se tentassent, id omne publicis tabulis declararet infectum.

Sic,

Sic, quietem aliquam ab his turbis nactus etiam Præsul noster, in ordinanda Diœcesi sua totus deinceps incubuit; cumque advertisset Clerum sensim a recto deviare tramite, ut erat vir antiqui moris observantissimus, indicta quantocyus Synodo, nascens malum sustulit, & neglectam disciplinam feliciter instauravit; de augendo interea Religionis cultu non minus solicitus, id quod testantur, cum reliquis, chartæ ejus in Neuburgensis, Enkenbacensis ut & Schonaugiensis, monasteriorum, gratiam aliquando editæ. ANN. 1224. Collect. Concil. Germ. M. S. Prob. 111. 115. & Diœces. Worm. Art. Weinheim.

Interrupit quidem pium illum Henrici zelum, gravis super dominio loci Nencherode inter ipsum & HARTRADUM de MERENBERG, suborta dissensio: sed hæc amicabili compositione, quæ potentem Dynastam simul in Wormatiensium Clientum numerum adegit, terminata, negotii non tantum facessivit, quantum iterata ac importuna Henrici Regis petitio. Audierat is, Antistitem nostrum, occasione illustris conjugii, quod AGNES, relicta, ex HENRICI Parentis obitu, totius Palatinatus hæres, cum OTTONE, LUDOVICI Bavariæ Ducis filio recenter contraxerat, huic castrum Heidelberg, cum adjacente oppido, nec non integro Comitatu Stalbuhel concessisse in feudum, ea lege: ut se fidelem Vasallum profiteretur juratus, Ecclesiamque Wormatiensem protegeret, nec eidem consilio sive auxilio deesset unquam; quapropter similem Rex & ipse spondens operam, institit, ut desiderato diu Wimpina oppido, simul cum castro Eberbach, sibi, eadem conditione, nunc demum frui liceret. ANN. 1226. Prob. 116. Vid. supra Part. II. in Client. Worm.

Difficiles propositioni aures præbuit Episcopus; verum altius inter hæc perspiciens, suis, Ecclesiæque sibi commissæ rebus expedire, si cum Rege bene junctam iniret amicitiam, exorari se extremùm passus est, & damnum inde emergens hac saltem pactione compensare studuit, videlicet: ut in recognitionem tantæ, tamque insignis liberalitatis, Rex intra anni unius curriculum, mille & trecentas argenti puri marcas Thesauro Ecclesiæ inferret; quod an rite præstitum fuerit, non una subit dubitandi ratio; quanquam Tabulas Anno MCCXXVII. Wormatiæ desuper confectas, fidejussorio nomine, LUDOVICUS Bavariæ & LUPOLDUS Austriæ, Duces, unà cum PHILIPPIS de BONLANDIA & de HOENVELS, Dynastis, ratas habuerint. ANN. 1227. Prob. 117.

Fuerant hæc subsequentium malorum velut prolusio quædam; Nam redeunte ad pristinum ingenium Friderico Imperatore, corrupta semel in civitatibus episcopalibus concordiæ disciplina, ejus secretis machinationibus nunc in totum visa est deficere. Etenim, dum sub annum MCCXXXI. Wormatiæ, pars illa Senatûs, ex melioris notæ civibus composita, eo quod cum Episcopo minus conveniret, ejus Imperium aspernari cœpisset, & plebs reliqua idem ausa præsumere in novas coisset factiones, non prius ab iisdem recessura, quàm Magistratûs honoribus sibi quoque addictis ac communicatis, urbs tota fœdam induit faciem, metuendumque simul erat, ne alternis partium odiis dirum in modum dilaceraretur, quando Henricus Rex, qui tunc forte ibidem loci comitia, absente Patre, celebrabat, grande dissidium autoritate sua compescere satagit, editis eum in finem litteris sequentibus, quas ex autographo descriptas hic subjicimus: ANN. 1231.

„ HEINRICUS Dei gratia Romanorum Rex semper Augustus; Fideli-„bus Principibus suis, SIGIFRIDO Moguntino Archi-Electo & SIGIFRI-

DO

„DO Ratisponensi Episcopo, Imperialis Aulæ Cancellario, gratiam suam, & „omne bonum.

„ Ad aures nostræ sublimitatis conquestione dilecti Principis HENRICI „Episcopi, & CAPITULI Wormatiensis pervenit, quod Cives Wormati„enses, dicti *Consiliarii*, diversis injuriis ipsum Episcopum & Ecclesiam af„ficiunt, contra libertatem & jura ejusdem Ecclesiæ veniendo. Cum igi„tur ad Regalem munificentiam pertineat Ecclesiasticas personas defendere, „& in jure suo confovere, dictam Ecclesiam a divis progenitoribus nostris, „tam Imperatoribus, quam Regibus, pio affectu dotatam, & in libertate „hactenus conservatam, nostris nolumus labi temporibus, vel ipsius statum „a quoquam aliquatenus interverti; ideoque fidelitati vestræ damus firmiter „in præceptis, quatenus: vocatis qui fuerint evocandi, quod in injuriam „dictorum Episcopi & Ecclesiæ, inveneritis ab ipsis Civibus attemptatum, „in irritum revocetis; facientes quod statueritis, auctoritate Regia inviola„biliter observari, nullis litteris obstantibus harum tenore tacite impetratis; „quod si ambo his exequendis non potueritis interesse, Tu, Archi-Electe, „ea nihilominus exequare.

„ Datum WORMATIÆ. XV. Kalend. Februarii Indictione IIII.

Quoniam vero generalis fere illorum temporum querela esset, Cives multitudine, & opibus plus nimium auctos, stabiliendæ libertatis nullam non occasionem ubique arripere; placuit in iisdem Comitiis ingruenti malo
Prob. 119. remedium quærere. De communi itaque Optimatum sententia, cujus pariter exemplum Rex Episcopo nostro mox extradi jussit, utpote ipsi ante alios summè necessarium, sublata fuêre omnia ac singula illa conventicula, sub quocumque demum nomine inducta, ex quibus potior metus tunc oriebatur, ne Cives iisdem ad rebellandum abusi, justum ac assuetum dominorum suorum jugum aliquando excuterent.

ANN. 1232. At, Wormatienses, quibus aliud nihil jam pridem in animo esse videbatur, quam jura legesque subvertere, tantum abest, ut constitutioni illi, quantumvis ab Cæsare ipsomet in Comitiis Ravennatensibus comprobatæ, in
Prob. 120. hæc plane verba: *cassamus in omni Civitate & Oppido Alamanniæ* COMMUNIA CONSILIA, MAGISTROS CIVIUM, *seu* RECTORES, *vel alios quoslibet* OFFICIALES, *qui ab universitate, sine Archi-Episcoporum, vel Episcoporum beneplacito statuuntur*; se se obsequentes exhibuerint, quin potius per absentiam Episcopi sui audaciores facti, res insuper moliri novas non sint veriti,
Vid. Prob. 121. dum in ipso Ecclesiæ fundo, contra quod in Comitiis Utinensibus recenter adhuc vetitum fuerat, amplum erexêre ædificium, conventiculis suis oportunum, nec non ad regendam eorum Rempublicam, temperandaque jura, veteri abrogato alium, propria autoritate, constituerunt Senatum.

Facinus utrumque, postquam ex Henrici nostri certa relatione didicêre, tam Fridericus Cæsar, quam & qui unà cum ipso Utini præsentes tunc aderant utriusque Ordinis Proceres, tanta universorum animos subiit indignatio, ut proscriptionis sententiam in male sana capita pronuntiarint uno ore omnes, eamque per publicas litteras, quarum tenorem hìc subjicimus, toti Imperio innotescere voluerint, quò discerent passim subditi, mandata Cæsarea, decretaque Principum, non impune contemni.

„ FRI-

„ FRIDERICUS, Dei gratia, Romanorm Imperator ſemper Auguſtus, idem „ & Siciliæ Rex.

„ Præſenti Scripto notum fieri volumus univerſis Imperii Fidelibus, tam „ præſentibus quam futuris, quod dilectus Princeps noſter HENRICUS venerabilis Wormatienſis Epiſcopus, in ſolempni Curia SYBIDATI præſentibus „ ibidem Principibus conquerendo propoſuit coram Nobis, quod cum in ge„ nerali curia RAVENNÆ ſolempniter celebrata, per ſolempnem conſtitutio„ nem noſtram, de communi approbatione Principum, conſilia, communita„ tes, conjurationes, & his ſimilia, quæ fuerunt in Civitatibus Alamanniæ te„ mere attemptata, duximus omnino caſſanda; CIVES WORMATIENSES, „ poſtquam ad eos conſtitutio noſtra pervenit, conſilium facere, & tali uti „ officio præſumpſerunt, conſtitutioni noſtræ præſumptuoſe obviantes; Ve„ rum, quia idem Princeps noſter procedi petiit in hujusmodi transgreſſo„ res, Nos, Principum omnium, qui interfuerunt, approbante ſententia, omnes „ illos, qui poſt prædictæ noſtræ conſtitutionis Edictum, in eadem Civitate „ Wormatienſi conſilium facere, & ipſo uti officio attemptarunt, vel amo„ do attemptabunt, auctoritate Imperiali duximus proſcribendos, pœnæ in „ privilegio contentæ, pro eorum transgreſſu ſimiliter addicentes; ad cujus „ rei memoriam præſens ſcriptum fieri juſſimus, ſigillo Majeſtatis noſtræ „ roboratum.

„ Hujus rei Teſtes ſunt: B. Patriarcha Aquilegienſis. E. Salzburgen„ ſis. A. Magdeburgenſis, Archiepiſcopi. E. Babenbergenſis. S. Ratis„ ponenſis, Imperialis aulæ Cancellarius, & Herbipolenſis, Epiſcopi; Friſin„ genſis Electus.

„ A. Dux Saxoniæ. OTTO Dux Meraniæ. B. Dux Karinthiæ. Co„ mes H. de ORTENBERG. Comes ADOLFUS de XUEINBRUCH. WAR„ NERUS de BOLANDIA. CONRADUS, & SIFFRIDUS de HOHENLOCH, & „ alii quam plures.

„ Datum apud UTINUM, in Foro-Julii Anno Dom. Incar. MCCXXXII. „ menſe Martio, Indictione V.

Has litteras exceperunt aliæ, ex eodem illo Utinenſi Conventu emanatæ, per quas juſſit inſuper Cæſar: *Domum* illam, *quæ vocabatur communitatis*, â Wormatienſibus nuper exſtructam, dirui funditus; Serio inhibens: quatenus *nullus ſit*, *qui ſuper executione dicti mandati* Henrico noſtro *contrarium ſe opponat, ſed ad dirutionem ejusdem domus, omnes, quos exinde requiſiverit*, ſtrenue aſſiſtant. Teſtes huic quoque decreto adhibiti, iidem fuêre ex Regni Optimatibus, qui & præcedens ſubſcriptione ſua firmârant.

Aliam, Henricus, non levem accuſationem inſtituerat adverſus LUDOVICUM Bavariæ Ducem, Rheni Palatinum, ex eo quod ditionis ſuæ Wormatienſis villam Nekerowe, contra jus fasque omne is ſibi violenter detineret; Prob. 122. re itaque diligenter pertractata, etiam contra hunc reſtitutionis mox decreta fuit ſententia, quam dum per Cæſareum Prætorem Lutræ commorantem, executioni demandare ſategit Præſul, ſimul obſtinatos Civium ſuorum animos flectere conatus eſt: at ubi labor omnis utrobique in caſſum ceſſit, Francofurtum abiit, Friderici, qui illuc ex Italia recenter advenerat, juſtitiam a novo imploraturus.

Interea, Wormatienses, tametsi Cæsaris decreta, velut enormia ac præcipitata, nec à Judice profecta, ausi fuerant calumniari, non levis angebat cura quemadmodum ab imminenti exterminio liberarentur; cumque metus jam instantior urgeret; tandem fracti animo, admissam culpam publice deprecati sunt, simulque a duplici tam excommunicationis, quam & proscriptionis nexu benigne exsolvi obtinuerunt. Hinc Cæsarea ad ipsos directa fuit Legatio, sequentibus hisce instructa mandatis:

„ Fridericus, Dei gratia, Romanorum Imp. &c. Fidelibus suis, universis Civibus Wormatiensibus gratiam suam & omne bonum &c.

„ Mittimus ad vos dilectum Principem nostrum, venerabilem Archiepiscopum Moguntinum, & dilectos Familiares nostros H. Marchionem de Baden, & Gerlacum de Budingen, ut cum Episcopo Wormatiensi consedeant, & ad honorem nostrum, & ipsius Episcopi, de statu Civitatis ordinent & disponant; & volumus, ut vos talibus eorundem ordinationibus unanimiter obediatis.

„ Datum apud Franckenfurd. II. Nonas Augusti. Indictione V.

Rediit itaque Wormatiam Henricus, insigni illo auctus Legatorum comitatu, hucque animum appulit ut Ecclesiam suam jactatione molesta liberaret, sibique gloriosam pacifici Principis appellationem compararet; sed res utplurimum fatalis mox intervenit, quæ cœptum abrumpens negotium, spem præconceptam simul abstulit: nam Moguntinus Archi-Præsul Sigifridus, qui totius controversiæ velut primarius arbiter, eidem sedulo intendere debuerat, a Conrado Thuringiæ Landgravio ad bellum ex improviso provocatus, Henricum nostrum in socia arma traxit, ac in novas conjecit angustias; siquidem victor Conradus, expugnatâ Fritislariâ, ipsum cum reliquis suis commilitonibus inde captivum abduxit. Hoc tristi eventu soli ex omnibus exhilarati Cives Wormatienses, ad pristina illicò reversi sunt, &, dissimulante rursum Cæsare, qui in Italia tunc agebat, omnia turbis miscentes, postremam hanc longe gravissimam seditionem protraxerunt usque in annum sequentem MCCXXXIII. quo Episcopus gravi lytro tandem redemptus, ne Ecclesiam suam, ut opibus sic viribus pene exhaustam, in ultimum fortasse discrimen adduceret, exorari se, quantumvis difficulter, passus est, ut suprema Jurisdictione tam sacra quam profana sibi asserta, cætera, cum urbis Magistratu, juxta condicti leges mox instituendo, communicaret.

Chron. Erford. in Vindem. Litter. Collect. I. pag. 92. Et Godefr. mon. S. Pantal. apud Freher.

Ann. 1233.

Initæ duræ compositionis modum & formam in tabulas æquales referri curarunt hinc Episcopus, nec non Canonicorum Collegium majus, inde Cives; eamque sub aliquot illustrium virorum testimonio utrobique ratam habuêre. Accessit Henrici Regis, qui Patris in Imperio tunc vices gerebat, charta confirmatoria, quam iisdem, quibus reliquæ verbis conceptam edidit Oppenhemii in loco pacifici congressûs Anno MCCXXXIII. die vero III. Kalend. Martii. Atque hic primus fuit populari libertati exstructus gradus, in quo ubi semel vulgus pedem fixit, justa Episcopi sui imperia audaciore fronte abnuere, veteresque mores penitus immutare postmodum non erubuit.

Prob. 123. & 124.

Ob-

Obstinatior aliquantùm, si non tanti momenti, visa est concertatio, quæ sub idem tempus Henricum nostrum agitavit; evocaverat is haud ita pridem, laudabili pietatis opere, viros religiosos ex S. S. FRANCISCI, nec non DOMINICI, Familiis, sedemque in Urbe sua Wormatia capere jusserat, attributis cuique vitæ subsidiis; at, cum postremis hisce locus assignatus non satis arrideret, alium sibi compararunt, irrequisito Episcopi ad hoc consensu, multis insuper circa Parochorum jura querelis ansam dedêre; quin & durante hac contentione defunctum forte ex suis EBERHARDUM Saræpontis Comitem, Henrici Nepotem, illico terræ mandarunt, ut vel exinde locum sibi firmiore quodam titulo appropriarent. Verum illatam autoritati suæ injuriam ultrà non tulit Henricus, sed effossum protinus Nepotis cadaver in Ædem maximam transferri, illicque sepulturæ tradi præcepit, dum simul Fratrum domicilium interdicto suppofuit, nec quidquam a pristinis juribus suis remisit, quoadusque per Apostolicos Judices res tandem ex ejus voluntate terminata fuit. Prob. 125.

Ab his turbis mox in alias prolapsus est Præsul noster; cum enim ob continuas expensas, quas Regiminis ejus infelix cursus hucusque ab ipso exegerat, gravi undique premeretur onere, nec eo diluendo potis esset, subsidia eam in rem a Clero suo postulare necessum duxit; hinc magnus forensium actionum tumultus exstitit, sed qui, certis inter partes initis conditionibus, haud diu post in totum quievit. ANN. 1234. Prob. 126.

Solemnem interea Principum Conventum Rex Francofurtum indixerat, ad quem Henricus noster evocatus & ipse, accessit, publicisque commodis non minus quam privatis Ecclesiæ suæ necessitatibus pro debito intendit, luculentum ex eodem referens Edictum, per quod Res monetaria non leve incrementum cepit; Urserat insuper decretam jam aliàs restitutionem villæ Neckerawe adversus Palatinum Comitem Antistes, sed res hæc in alium Conventum protracta, demum Wimpinæ præsenti Anno MCCXXXIV. per iteratam sententiam in Wormatiensis Ecclesiæ favorem decisa fuit. Prob. 127. Prob. 128.

Hic omnium postremus Henrici vitæ annus exstitit, diemque ejus emortualem consignat Wimpinense Necrologium in VIII. Kalend. Octobris. Cadaver in primario summi Templi choro depositum, sepulturæ haud alium retulit indicem præter simplicem hunc titulum Videm. Litter. Collect. II.

HENRICUS. EPS. SECUNDUS.

Memorat coævus Scriptor, sub hoc Præsule Wormatiam duplici incendio fuisse deformatam, & quidem Annis MCCXXI. & MCCXXXI. quo tempore ira, ac odiis, mutuisque seditionibus jam aliunde turpiter flagrabat, ut supra observavimus. Anonym. Chron. Worm. M. S.

LANDOLFUS AB HOHENECK, EPISCOPUS WORMATIENSIS XXVII.

ANN. 1234. DIe, ad novum creandum Antistitem constitutâ; Qui dignitatem hanc obtineret, nec non simul laboranti Reipublicæ succurrere, eamque ab intestinis motibus ad pristinam tranquillitatem revocare nosset, nullus LANDOLFO ab HOHENECK visus est potior: is enim præclaro ortus stemmate, ac in omni insuper virtutum palæstra exercitatus, seu ad altiora jam proludens, majoris Decani munere hactenus egregiè functus fuerat; proinde litteris ad GREGORIUM IX. Pontificem directis, primarii Wormatienses Canonici enixe efflagitarunt, velit hunc probare, quandoquidem se certo judicio, optimisque plane rationibus adductos eum elegisse, id quod etiam haud diu post ex voto subsecutum fuit.

Interea vero Ezzlingam ad indicta Imperii Comitia profectus Landolfus, uti in rebus, juribus ac privilegiis tuendis, acri vigilantique ingenio erat, causam novæ controversiæ, quæ inter ipsum & Cives suos vigebat, in medium revocavit, variis insuper expositis injuriis, quibus Clerum hactenus exagitassent; tum simul opes fortunasque commissæ sibi recenter Ecclesiæ, per ejusmodi intestinos motus, pessime tractatas conquestus, HENRICUM Regem permovit, ut peculiari diplomate utrique huic malo benigne subvenerit, infirmando præsertim, & in irritum redigendo, quidquid etiam alias Feudi lege fuerat ab eadem avulsum. (vid. supra in Client. Worm. Cap. I. §. 1.)

Talibus probè munitus auxiliis, Præsul, omnia sibi adversa nunc demum superare reputabat facile; quando rediens sub idem tempus ex Apulia in Germaniam Imperator FRIDERICUS, rerum protinus immutavit faciem; dum enim in Henrici actiones severe inquirit, quod hic sibi plus justo autoritatis tribuisset, Cives Wormatienses ea occasione in commoda sua utendum rati, ANN. 1235. decretam in hac urbe Anno MCCXXXV. ab irato parente captivitatem Filii, non modo, adhibitis ultrò custodiis, velut rem sibi gratissimam, probavêre, sed & simul Landolfum Electum suum, ac si infelicis hujus Principis fautor ubique exstitisset præcipuus, apud eundem Cæsarem callide traduxerunt. Incusatus antistes, innocentiam suam coram universo Optimatum Conventu probare instituit quidem, at Fridericus malevolorum dicteriis amplius stimulatus, eum præsentia sua excedere coëgit. (Chron. Godefr. mon. apud Freher.)

Tragicam scenam mox exceperunt nuptiæ solemnes, quas Fridericus cum ISABELLA, HENRICI Angliæ Regis Filia, ibidem loci contraxit: absoluta vero hac festivitate itum est Moguntiam ad Comitia, in quibus Cæsar, postquam & causas exposuerat, cur Filium in Siciliam abductum, perpetuo carceri mancipasset, præclaro edicto pacem publicam sancivit; sed quæ Wormatiæ vix locum aliquem reperit, creverant enim animis cives, & quidem hoc amplius, quod Urbis regimen MARQUARDO, Advocato Cæsareo, nec non (Berth. a Flersheim Chron. Worm. M.S.)

delectis

delectis ex Ordine Equestri Viris IV. ex plebe vero VIII. contra vetera Episcopi Jura, haud ita pridem concreditum fuerat.

Hæc inter Landolfus, causæ suæ bonitate confisus, nec non propriæ conscientiæ quietus teste, maluit tempori servire, quam gravius Reipublicæ malum accersere; & quamvis armatis interdum controversiis cum Civitate, in propugnando jure suo, distringeretur, nihil tamen omisit eorum, quæ tum ad monasticam, tum & sæcularem disciplinam impensius formandam conducere Ann. 1236. videbantur; nam, præterquam quod, ipso inprimis promotore, RICHEZZO Camerarius Wormatiensis, prædium suum Kirschgarten, quod hactenus feudi nomine tenuerat, applaudente conjuge sua AGNETE, in Virginum Ord. S. Prob. 129. & 130. Augustini cœnobium convertit, illudque variis etiam possessionibus ditavit EBERHARDUS Comes de EBERSTEIN, qui & postmodum Rosenthalensis Asceterii fundator exstitit munificus; vid. supra Part. I. aliud Præsul noster opus aggressus est longe difficilius; nam, quo tempore se se a facie irati Cæsaris subducens, intra septa vicini claustri Nonnen-Münster morabatur, observaverat non sine gravi indignatione, loci Canonicas, laxata ad omnes mundanæ contagionis illecebras cupiditate, per luxum vitam agere, bonaque & facultates universas impune dilapidare; Quapropter nihil non agere cœpit, ut naufragas, & vitiorum scopulis affixas ad meliorem frugem reduceret; relicta ipsis postremùm optione: aut regularem disciplinam reamplecterentur, aut sedes vacuarent. At illæ, totis cervicibus contra niti, & imminentem salutem, velut pestem exosam, procul a se amoliri studuêre, querelas suas multorum odiis commiscendo, quod exclusis hæredibus, citra Fundatorum mentem, fundus & bona danda erant alienis. Itaque, rem supra quam crediderat arduam, implicatamque expertus Landolfus, ad GREGORIUM IX. Pont. recursum habuit, cujus Ann. 1237. autoritate propositum suum tandem evincens, selectam Ordinis Cisterciensis Prob. 131. Virginum Coloniam loco induxit, ejectis inde pravis monialibus, quarum nihilominus Abbatissam, unà cum aliis nonnullis, quod ruptis omnibus reverentiæ Anonym. & pudoris repagulis, in ipsum manus mittere ausæ fuerant, comprehendi jussit, & arce sua Steinensi, ad dies vitæ includi. Chron. Worm. M.S.

His ita peractis; Landolfus eadem animi constantia Civium suorum malevolentiam expugnare, Cæsarisque in se iras flectere conatus est. Nec defuit pro voto successus; accedens enim aliquando numerosissimum totius Imperii Conventum, quem Fridericus Anno MCCXXXVIII. Cremonam indixerat, voce & litteris causam suam adeo intrepide ac fortiter egit, ut quidquid Ann. 1238 hactenus sustinuerat præjudicii, id omne mox aboleri obtinuerit; quin & telonium, monetam, officium Sculteti, seu Prætoris, nec non Judicium Sæculare, Prob. 132. aliaque his similia, quæ Principes Ecclesiastici ab Imperio tenent, ipsisque de jure competunt, sed, quæ sibi tunc ex prava consuetudine Cæsar arrogaverat, ab ejus manibus, solemni ritu, percepit; vid. supra Part. II. addita insuper potestate, quæcumque inde quovis modo alienata, seu infeodata essent, a cujusvis generis, & conditionis detentoribus recuperandi. Hæc autem omnia Præsuli nostro, non per modum gratiæ, aut privilegii concessa fuisse, quemadmodum id innuere videtur Imperator, sed *Principum dictante sententia* & quidem de *speciali petitione conquerentium*, testatur ipsum Diploma. Erant enim inter ipsos plurimi, quibus Friderici illa Imperandi Methodus utplurimum displicere, imò nocere cœperat; proinde ulterioribus ejus conatibus in tempore obviare, non minus prudentiæ, quam necessitatis visum fuit.

Dissoluto illo Conventu, rediit Wormatiam Landolfus, alio insuper Cæsareo

reo munitus præcepto, cujus tenorem Civibus publice prælegi jussit, in modum qui sequitur:

„ FRIDERICUS Dei gratia Rom. Imperator semper Augustus, Jerusalem „ & Siciliæ Rex. Dilecto Principi suo LANDOLFO venerabili Wormatiensi „ Episcopo, gratiam suam & omne bonum.

„ Quia tranquillo statui Wormatiensis Ecclesiæ, & Civitatis ejusdem, „ nostra providentia suffragante, consultius volumus providere, tenore præ„ sentium duximus statuendum: quod IV. de Ministerialibus Ecclesiæ, & „ VIII. circumspecti Viri de Civibus, per Te, annis singulis statuantur, qui „ una Tecum, vel cui commiseris vices tuas, ordinent & statuant, quæ hono„ rem Ecclesiæ, & tranquillum statum respiciant Civitatis, approbatâ consue„ tudine Ecclesiæ & Civitatis, in omnibus observatâ. Præsenti quoque sta„ tuimus, & mandamus Edicto, ut prædicti XII. viri qui statuti fuerint, de „ anno mutentur in annum, & alii, provisione consimili, a Te, vel cui com„ mittere volueris, statuantur, ut per vicissitudinem, & providentiam succe„ dentium, status Ecclesiæ, & Civitatis commoditas, de bono promoveatur in „ melius, & in pace & Justitia conservetur.

„ Data CREMONÆ VI. Novembris. Indict. XII.

Perstitit itaque limitatus nuper Judicum ille numerus, sed abrogato Cæsareo Advocato, & Episcopo in ejus locum cum plena potestate restituto; vid. supra ad ann. 1156. quin & Novatores facescere jussi, qui abolitos pridem XL. Senatores denuo instaurari optabant, juxta notam alias Friderici I. Imp. constitutionem, quando tamen hæc non nisi pacis publicæ servandæ causa promulgata fuerat. Hinc erecti è contra bonorum animi, qui ad id tempus populari dominatu oppressi jacuerant, & Landolfus ab his curis liber, jamque metu omni vacuus, ea sibi deinceps proposuit, quæ ad Religionis cultum augendum, nec non animarum profectum unicè videbantur conducere. Quam ob rem, lustrata Diœcesi, Canonicos summæ Ædis sibi devincturus, parochialem Ecclesiam in Guntersblum cunctosque ejus proventus, liberaliter iisdem addixit; cum Franckenthalensibus cœnobitis super Parochia in Dirmstein amicabiliter transegit; donationem custodiæ Boppardiensis, quam Nibelungus Præpositus Collegio S. Martini Worm. fecerat, ratam habuit, simulque S. Ruperti Parochiam redditibus Canonicorum S. Pauli ibidem unitam ac annexam voluit: Verum quam necesse sit Præsulem utroque munere fungi, mox docuit eventus.

ANN. 1241. Etenim; Osthovii incolæ, nescio qua a Wormatiensibus provocati injuria, circumvicinum eorum agrum cædibus & rapinis infestare cœperant, cumque moniti, arma ponere recusassent, Landolfus suos hac molestia liberaturus, Berth. a Flersheim Chron. Worm. M.S. nidum fatalem expugnavit, evertitque funditus. Tulêre quidem id ægre admodum CONRADUS de WARTEMBERG, & WIRICUS de DUNA, quibus loci illius advocatia concredita erat. Ast ne factum ulciscerentur, inhibuit ANN. 1242. Prob. 135. CONRADI Regis autoritas, quæ & rursum necessaria fuit, ut Neuhausensis Clerus injurias & damna, occasione hujus expeditionis a Civibus Wormatiensibus perpessa, de facili condonaret.

Subsecutum est deinde ingens Wormatiæ incendium, ex quo dum pars maxima Civitatis conflagrasset, non leve suberat periculum, ne & reliqua pars uni ruinæ involveretur; diu itaque in abstergenda fœda hac inustionis macula deinceps desudandum fuit; dum interea quod desoris illæsum stabat parochiale

chiale Divi Andreæ Templum nova incrementa ut & decora cepit; illud siquidem GERARDUS Collegii sub eodem titulo infra Urbis muros Præpositus, pio ductus zelo, Sororibus vitam pœnitentem professis incolendum tradidit, certis ad hoc præscriptis conditionibus, quas rediens sub idem tempus ex Moguntina Synodo Landolfus noster, suo quoque calculo probavit, reservato sibi jure visitandi novellum cœtum, quoties id è re esse videretur. vid. supra Berg-Closter. ANN. 1243. Prob. 136.

Gravis interea Innocentium IV. Pontificem inter & Fridericum Imperatorem suborta dissensio, Italiam universam factionibus jam impleverat, quando hujus Filius Conradus Rex, qui ipso absente Germaniam administrabat, concitatis passim in arma populis, dissensiones pariter in his regionibus alere, ac turbida miscere turbidis & ipse studuit. Ast, ubi ambo simul Anno MCCXLV. a Lugdunensis Concilii Patribus excommunicationis sententia notati, nec non dignitate sua exuti fuêre, & fatalis hujus decreti executor constitutus Archi-Præsul Moguntinus Sigifridus, in suæ factionis Procerum Conventu prope Herbipolim aggregato, HENRICUM Thuringiæ Landgravium, Romanorum Regem pronuntiavit, tantis, tamque atrocibus turbis, grassationibus, latrociniis, cædibus etiam, aliisque malis innumeris locus datus est, ut quisque de salute sua anxius, vix quidquam curaret aliud. ANN. 1245.

Communi hac calamitate involutus Landolfus, eam præprimis dederat operam, ne quid Wormatia sua exinde detrimenti caperet: Verum dum omnia incassum cedere advertit, civiumque audaciam (quod fieri in tam turbulento Reipublicæ statu solet) in tantum jam esse prolapsam, quantum socialibus Friderici, Conradique armis, nec non patrocinio suffulta, unquam poterat; eos, juxta expressum Metropolitæ sui mandatum, anathemate percussit, & Clerum universum è rebelli Civitate una secum abduxit, eo posthac non rediturus amplius, siquidem paulo post, anno videlicet MCCXLVII. qui Episcopatûs sui XII. numerabatur, ad beatam æternitatem transiit; inscriptus veteri Necrologio S. Martini Worm. quà benefactor, ad diem III. idus Junii, cum tamen alii obitum ejus passim in VI. idus mensis ejusdem, consignent. Mich. Gassen Chron. Worm. M.S. ANN. 1247. vid. Prob. 137.

Cadaver, juxta morientis votum, ad Parthenonem Nonnen-Munster, propè Wormatiam situm, (quem aliàs melioribus legibus imbuerat) funebri pompa delatum, illic in medio chori ante aram maximam quiescit sub simplici lapide marmoreo, nulla Inscriptione superadditâ. Hinc, ex seris ejus Nepotibus Prænob. ac Reverendiss. D. FRANCISCUM L. B. ab HOHENECK Metrop. Moguntinæ, nec non Cath. Wormatiensis, respective Cantorem, & Canonicum, urgens aliquando incessit desiderium, tumbam videndi apertam. Die itaque XI. Julii, Anni MDCCXXIX. præterlapsi, adhibitis operariis, & humo ad aliquam altitudinem egesta, obtulit se se sarcophagus, cujus tegumine pariter sublato, vidimus Præsulem, post annos quingentos, velut umbram hominis, VIII. pedum longitudinem prope adæquantis, in eodem rite decenterque compositum, cujus pedum pastorale, ligneum cum esset, tulit inde summitatem ex ferro affabre elaboratam idem Vir Illustris, vicesque suas ut in hoc rependeret, anniversariam pii Antistitis memoriam, a Sacris Virginibus ibidem loci perpetuùm celebrandam, liberaliter instituit.

CON-

CONRADUS III. A TURKHEIM, EPISCOPUS WORMATIENSIS XXVIII.

Ann. 1247. REgnabat Wormatiæ Sacrorum solitudo maxima, quæ eò erat luctuosior, quo videbatur diuturnior, quando, velut ad mali cumulum, Ludolfo e vivis erepto, Clerus se se Pastore optimo destitutum vidit. Longam orbitatem non tulere tempora: Quapropter, celebratis illico Comitiis, omnium penè suffragia retulit Conradus de Turkheim, vir splendide natus, & quem virtus, ac sapientia, ad majoris Decani officium in Moguntina Metropoli dudum promoverant.

Vangionum itaque Præsul designatus, inter curarum suarum exordia reposuit, ut Summo Pontifici probatus, stabili donaretur honore; quod ubi pro voto effectum est; Novesium, Coloniensis ditionis Urbem, se se contulit, illicque jus sacrorum de manu Petri Cardinalis Legati Apostolici capessiit, inde ad Wilhelmum Regem profectus, Regalia quoque ab eodem impetravit. Tum iter suum relegens Conradus, ubi Lorcham Rheni vicum appulit, fatali mortis telo exceptus, ibidem vitam cum dignitate posuit pridie nonas Octobris, anno auspicati regiminis sui primo, ut passim testantur Scriptores.

Berth. a Flersheim Chron. Worm. M.S.

Funus Moguntiam deductum, in æde maxima juxta aram Divi Petri sepulturam reperit.

RICHARDUS EX DYNASTIS DE DUNA, EPISCOPUS WORMATIENSIS XXIX.

Ann. 1247. NEcdum Wormatiensis Ecclesia novum suum Sponsum amplexa fuerat, cum eo rursus, ex præpropero nimium obitu, viduata, in luctu, & squallore remansit. Auxit tristem hunc rerum statum, enata inter summæ Ædis Canonicos dissensio: dum enim, pro veteri more, ad ferenda suffragia invicem conveniunt, nec in unum caput conspirant, instaurato licet aliquoties comitiorum Jure, tandem ingenti schismate suborto, pars Richardum de Duna, pars Eberhardum ex Comitibus Hirsutis de Beynburg, Episcopum renuntiarunt.

Commendabant quidem utrumque Electum illustre genus, animique dotes pul-

cherrimæ, tum quidquid in præclaro Antistite desiderari poterat amplius: verum; dum pertinaci studio, alter alteri de summis honoribus minime concedit, ad INNOCENTII IV. Pontificis judicium causam deferre placuit. Interea vero, qui ex ipsis urbem occupaverat Reinhardus, simul in FRIDERICI Cæsaris partes deflexit, quando Eberhardus, qui reliqua Diœcesis loca & oppida tenebat, WILHELMO Batavo, recens Electo Regi adhærebat. Hinc factum est, ut jura Episcopalia in diversum tracta, utrimque non modicum periclitarint.

Anni jam aliquot in cognoscendo, discutiendoque hoc negotio sic sensim præterlapsi fuerant, cum diuturni dissidii bonos omnes tædere cœpit; utpote, quod sola ambitio excitaverat; proin, gratum fuit aliquando intellexisse, Eberhardum, quem in retinenda dignitate fore cœteroquin pertinaciorem apparebat, concedere Richardo jus suum, & interveniente ulterius PETRO Caputio, Cardinale, Pontificis summi per Germaniam Legato, dirum Wormatiense schisma nunc tandem penitus sublatum quiescere. ANN. 1252.

Solus itaque deinceps rerum potitus est Richardus; postquam scilicet, ejurato Friderico Cæsare, in Wilhelmi Regis potestatem se se unà cum suis commiserat; quo certe tempore miseranda, si alias unquam, adhuc erat Germaniæ facies; nam licet victus profligatusque anno superiore juxta Oppenheimium CONRADUS, Imperii finibus jam excesserat, vacantia sibi, per recentem Friderici Patris obitum, hæreditaria Regna aditurus, spem tamen recuperandæ aliquando in Germania supremæ potestatis, non omnem simul abjecit. Hinc a novo perpetuata ejus factio, quidlibet audendi potestatem sibi audacter ac impune attribuit, tantumque per continuas cædes, rapinas & incendia, reliquis adversæ partis fautoribus terrorem incussit, ut unicum expediendæ salutis, tuendæque tranquillitatis publicæ præsidium, in fœderibus consistere visum sit.

Primùm itaque Principes Rheni accolæ, quos inter & Reinhardus noster, præstitis de more sacramentis, fideque inter se data, lectissimas militum copias instruxêre, quarum ope, frequentibus latrociniis vias repurgarunt, tum infestas arces munitionesque everterunt funditus, ac denique Rhenum ipsum injustis vectigalibus & teloneis exonerarunt. Henr. Steron. annal.

Eorum exemplum mox secutæ etiam Urbes, ut suæ quoque securitati consulerent, positis, quæ inter se longo jam usu roborata viguerant, odiis, in mutuum fœdus & amicitiam pariter coivêre, cui haud inter postremas etiam accessit Wormatia, verum, cum ex ejusmodi tractatuum formulis, cives multa præsumerent, multa etiam auderent, abhinc sensim convelli cœpit Episcoporum in Ecclesiæ suæ rebus ac juribus potestas, quæ ne penitus dilaberetur, antiquis pactis nova adjicere opus fuit, licet successu ubique improspero. Trith. Chron. Hirsaug. & Alb. Stadens. in Chron.

Has inter concussæ Germaniæ Turbas, Præsul noster, summæ apud reliquos Optimates autoritatis, magna virtutis constantia Episcopatum suum administrabat, nec in redimendis aut augendis interea Ecclesiæ possessionibus minorem se præbuit: quandoquidem Wimpinam castrum, tot jam annis quasi abalienatum, ære refuso, sibi & posteris asseruit, facturus plura, si per temporum iniquitatem licuisset. ANN. 1254. Prob. 140. & 141.

Enimverò; Wilhelmus Rex An. MCCLV. pacem publicam solemni Edicto Oppenheimii sanciens, simul urbes sibi rebelles, quas inter & Wormatia ANN. 1255.

Ludwig. reliq. M. S. S. Tom. II. pag. 229. recensebatur, à læsæ majestatis crimine absolvit, suaque deinceps protectione securas consistere voluit; quò factum est, ut periculoso jam alias hoc rerum statu, incrementa coalitæ potentiæ sumerent sibi in dies majora. Stitit quidem earundem tumultuarios conatus superveniens Wilhelmi inopinata mors; verum, ubi in deligendo successore non convenit inter Imperii Optimates, aliis RICHARDUM, Anglorum Regis Fratrem, aliis ALFONSUM Castiliæ Regem, ad vacantem Thronum evehentibus, novæ rursum prodière factiones, quæ civibus multis locis libertatem sectantibus, non levi deinceps adminiculo fuerunt.

ANN. 1257.

Fluctuabant, hæc inter, suis quoque motibus Wormatienses; præsertim postquam, pro solo Episcopi sui arbitrio, ex duobus illis præpotentibus æmulis, nunc Alfonsum, cui is primitus suum contulerat suffragium, nunc hoc plane derelicto, Richardum, quod numeratis mille argenti marcis alterum præponderaret, jussi fuerant Imperatorem agnoscere; verendumque erat, ne civitas, sæculo illo turbarum pleno, facta aliquando minus obsequens, simul jugum excuteret; id quod sub ipsis nuptiarum, quas hic loci Anglus ille Princeps cum PHILIPPI Falkensteinii Comitis sorore contraxit, solemniis, facile evenire poterat, ni per infida vulgi consilia nutantem Rempublicam in officio continere, longo jam usu ac exercitatione didicisset Richardus noster, qui demum gravi morbo correptus hoc præsenti Anno MCCLVIII. die VI. idus Novembris vivendi finem fecit, sepulturam nactus in Æde maxima, juxta Altare S. Crucis, ubi tumulum ejus brevis hæc quondam designabat inscriptio:

ANN. 1258. Cuspinian. in Chron. Trith. Chron. Hirsaug. Tom. I. Mich. Gassen. Chron. Worm. M. S. & Anonym. Chron. Mog. M. S.

RICHARDUS EPS.

Annal. Trevir. Tom. II. pag. 140. Cæterum; observat Browerus, Richardum nostrum Anno MCCXLV. solemni inaugurationi Basilicæ S. Maximini prope Treviros, unà cum diversis aliis Episcopis præsentem adstitisse; verum aut in nomine, aut in anno hallucinatus est celebris scriptor; quandoquidem sedem Wormatiensem tunc temporis occupabat adhuc Landolfus.

EBERHARDUS I.
EX COMITIBUS HIRSUTIS, EPISCOPUS WORMATIENSIS XXX.

RICHARDI Præsulis mors, æmulo quondam suo EBERHARDO, minime ambiguum succedendi locum facere videbatur. Verum, ubi, pro recepta consuetudine, rursus itum in suffragia, fœdo dissidio simul pugnatum est inter Canonicos; aliis Eberhardum, tunc Neuhausensis Ecclesiæ Præpositum, aliis BURCHARDUM, in majoris Decani munere constitutum, eligentibus; fovitque schisma pertinaciter pars utraque aliquamdiu; donec tandem Burchardus, videns res alterius majorem in modum potentia, ac felicitate bstailiri, suarum diffisus, cedere duxit satius.

Pace

Pace Ecclesiæ Wormatiensi in hunc modum reddita, Eberhardus regimen ejus adiit, atque, ut erat gloriæ Divinæ studio maxime incensus, initium duxit à Cœnobio Schonaugiensi, quod novis possessionibus locupletavit; summæ Ædis Collegio se se æquê benignum exhibens, dum IV. simul Parochiarum jura, ac proventus eidem univit. Ast, omnium pulchrius opus, quod Clerum universum, juxta concilii provincialis, Anno MCCLXI. Moguntiæ, WERNHERO Archiepiscopo Præside, celebrati, mentem, sanctissimis institutis imbuit, ac in melius reformavit. Nec minore zelo in ea, quæ Principis munus abs se speciatim exigebat, intendere visus est Præsul noster; siquidem, decretam jam toties restitutionem villæ Neckerawe, audaciore fronte, quam Prædecessorum suorum quisquam alius, a LUDOVICO Palatino, repetitum ivit; quin & hunc, vasallitico nexu se se eximere conantem, vix non armis in ordinem redegit: expugnato enim, quod ad Hartam amnem situm est, Neostadensi oppido, ulteriores facturus erat progressus, quando demùm, intervenientibus utrimque, ex primaria nobilitate, arbitris, grave dissidium amica compositione terminatum fuit, in modum, quem Tabulæ *in Littore Rheni, ex opposito Civitatis Wormatiensis*, ad diem XIIII. Kal. Decembris, anni præmemorati, desuper confectæ, susius demonstrant. ANN. 1259. Prob. 143. & 145. ANN. 1261. Collect. Concil. Germ. M.S. Frid. Zornii Chron. Worm. M.S. & Prob. 148.

Aliam, sub idem tempus, exortam inter S. Pauli Canonicos, nec non Urbicum Senatum & Cives, controversiam, ratione æquæductûs, qui mediam perluit civitatem, sua facile compescuit autoritate, Eberhardus; verùm, ubi vehementior procella afflare cœpit, clerumque universum cum ipsis collisit, quod, nescio quibus instigati consiliis, Ecclesiastica jura pervertere tentassent, Præsul, de communi suorum salute anxius, nihil non egit, quò præsens periculum depellat; nec segnior in hoc ordo sacer, icto in perpetuum fœdere, unum corpus efficere sategit, quo novis ac insolentibus ejusmodi ausibus, nunc, & in futurum certius obviaret. Prob. 149. ANN. 1263. Prob. 151.

Hæc cautela, quam utilis, ac simul necessaria fuerit, anni insequentis cursus comprobavit: quandoquidem pristinas instaurandi seditiones, non modò cupidinem injecit, sed & nova suggessit adinventa, quibus promiscuè tam Clericus, quam & Laicus vexarentur; factum ex coævo scriptore, iisdem, quibus ipse, verbis usus est, hìc lubet exponere: „ Erat (inquit) „temporibus EBERHARDI Episcopi, *Ungeltum* in civitate; ita, quod mensura vini fuit pro parte minuta, de quibus proventibus murus, & Turres „civitatis construebantur, debita communitatis, & necessaria solvebantur. „Accidit autem Anno MCCLXIIII. mense Junio, quod quibusdam de civibus juvenes & potiores simul conspiraverunt, attrahentes sibi populum civitatis per multas falsas suggestiones, affirmantes & dicentes communitati, „quod Consules, & illi XVI. Viri, bona civitatis de Ungeltis recepta, secundùm voluntatem eorum distribuissent, & incitabant universitatem super eos, & continuo assumpserunt sibi receptionem Ungelti, & provisionem civitatis. Videns igitur Dom. Episcopus in his honori suo, & Ecclesiæ, ac juri, & privilegiis suis non modicum distrahi, & Consulibus suis, & illis XVI. viris in honore eorum multum derogari, valde conturbatus, conspiratores illos diligenter commonuit, ut ab injuria cessarent; sed nihil profecit, „& exsurgens exivit civitatem: adversariis vero conniventibus, concitaverunt „populum, & minis impositis Conventui in Nonnen-Munster, coëgerunt eas „frangere murum, quem Dom. Episcopus ad earum maximam necessitatem facere indulserat. Dom. Episcopus vero foris existens, suis litteris per tres quindenas monuit, quod a receptione Ungelti, & communitate Fraternitatis cessarent: ANN. 1264.

„sed nihil profecit, & statim extendens gladium spiritualem, divina per to-„tam civitatem ante festum omnium sanctorum suspendit, de quo civitas „tota fuit contristata. Videntes itaque conspiratores quod contra stimu-„lum non possent recalcitrare, convocato Clero, Fratribus Prædicatoribus „& Minoribus petierunt instanter, quod eorum auxilio Dom. Episcopus in „vicinum locum accedere vellet, ut cum ipso aliquid boni possent tractare, „quod utique Dom. Episcopus fecit, & per magnas preces accessit ad Nun-„nen-Munster, & ibi in vigilia S. Ceciliæ, mediantibus viris discretis, per „multos tractatus inventa est forma compositionis ad beneplacitum Domini „Episcopi. Ipse vero, convocato Capitulo suo, & Clero, eorum usus „consilio, tractatum admisit: ita, quod conspirati emendam honestam „& condignam sibi facerent, & ei jure suo, & Ecclesiæ suæ semper totis „viribus assisterent, & consentirent; & Dom. Episcopus indulsit Ungeltum „recipi a sequenti Festo purificationis gloriosæ Virginis, per annum; ad cu-„jus receptionem XVI. viros ex IV. parochiis ipsius civitatis, ut justum est, „unà cum Consulibus, constituit. Datæ etiam sunt Dom. Episcopo CCC. „Libræ Hallens. tam pro Ungelto, quam pro moneta: fraternitates verò, „suo arbitrio sunt totaliter commissæ. His vero omnibus complanatis resti-„tuit Dom. Episcopus divina, & intravit civitatem in die S. Ceciliæ Anno „MCCLXIIII. & postea deposuit societates fraternitatum.

„ Anno MCCLXVI. exspiraverat tempus *Ungelti*, quod a Festo S. Mar-„tini proximo ad annum, fuit ex voluntate D. Episcopi prolongatum.

Hucusque Anonymus noster. Verum ex nimia illa Episcopi conniventia evenisse videtur, ut quod in his, ipso consentiente, seu potius promotore Vid. Prob. 123. juxta Transactionis, jam alias anno videlicet MCCXXXIII. initæ, tenorem fieri solebat, id postmodum Consules propria autoritate ausi fuerint. Unde Ann. 1269 post varias, easque acerbas contentiones, re tandem ad solemnem Procerum Conventum, quem RICHARDUS Rex, Anno MCCLXIX. Wormatiam indixerat, delatâ, illic finem reperit; damnata siquidem Consulum fuit præsumptio, quod præter fas & æquum exactiones & angarias illas tentassent: proinde, iisdem, dicto ad hoc Sacramento, eos in perpetuùm renun- Prob. 153. & 154. tiare oportuit. Nec sortem expertus est mitiorem EBERHARDUS miles de ERENBURCH, qui intra dirutæ quondam arcis Osthoven latebras se se continens, juvenili temeritate, transeuntibus viam intercludere, & rapinas in universæ viciniæ perniciem agere, munus reputaverat esse Advocati; hunc Prob. 155. enim Præsul, coram se citatum, nec non graviter reprehensum, a similibus imposterum abstinere docuit.

His curis intermixtæ successerant interdum aliæ, quas Ordo monasticus, nec non disciplinæ Ecclesiasticæ nitor & observantia vicissim efflagitabant. Tales fuere: stabilienda, diversis per Diœcesim locis, jura Patronatûs, tum & instauratæ nuper S. Martini Collegiatæ Ecclesiæ inauguratio, Prob. 152. simulque Enkenbacensis Asceterii perficienda structura, quibus omnibus, Ann. 1270. pro munere suo Eberhardus sedulo intendit, non minorem in reformando Lobenfeldensi Parthenone operam collocans, dum & quæ WIRICO de DU-Prob. 156. NA hactenus competierant in bonis Enkenbacensibus advocatiæ jura, sibi, suisque successoribus acquisivit. Denique, Prædecessoris olim sui, Samuelis, ossibus, insigni pompæ spectaculo, è Laurisheimensi Cœnobio Neuhausam translatis, quo Cleri, populique pietatem idem Præsul noster augeret magis, etiam Fratribus divi Augustini regulam professis, intra urbis suæ septa domi-

domicilium statuit, perrecturus in promovendo religionis cultu hauddubiè ulterius, ni optimum propositum mala undique ingruentia præpedivissent.

Etenim; Richardo Germanici Regni curam a se abdicante, vixdum trans mare in Angliam reversus erat, cum dissensiones, odia, inimicitiæ, aliaque ejusmodi mala innumera in ejus locum successêre; nec mirum: quandoquidem imminuto, si non penitus sublato jure Majestatis, emorienteque simul subditorum obsequio, nulla ferè ob Imperii imbecillitatem, & virium impotentiam, dominandi, parendique amplius mutua consuetudo, sed elisis judiciorum ac legum nervis, Nobiles raptu, Populares per mutua ac intestina bella, omnem ferè societatis civilis imaginem abolebant; auxit tristem hunc rerum statum nimia Principum quorundam ambitio, qui Suevicâ, Austriacâ, nec non Thuringicâ, illustrioribus prosapiis, recenter exstinctis, spolia exinde non mediocria sibi quisque promittebant; cum enim ad ea assequenda auxiliari brachio indigerent, nihil non concessêre aut indulsêre iis, quos in partes suas attrahendi spes erat: hinc crevit vulgi licentia, prædonumque numerus non parum auctus est, donec tandem Anno MCCLXXIII. RUDOLFUS Habspurgicus, communi Electorum voto Imperator renuntiatus, fatali interregno finem imposuit, simulque temporum felicitatem reducere studuit.

Verum; jam ferè superaverant mala, & repetitæ toties leges, seu constitutiones quas de servanda pace idem Rudolfus edidit, vix effecêre quidquam; adeo perversa erant omnia; nam si quæ pax aut publica, aut privata sanciebatur, hæc, induciarum similior, perpetua nunquam dici poterat, sed certo dumtaxat annorum spatio definita; ad fœdera itaque illis recurrendum fuit, qui turbatissimo hoc tempore, securitati suæ efficacius volebant consultum. Unde nihil in Imperio tunc frequentius, quam videre hinc Principes, ac Comites; inde civitates, quin & utrasque partes simul inter se in hanc præcipue legem pacisci, ut mutuis auxiliis communes hostes profligarent.

Venit & sæpius tunc in ejusmodi societates & fœdera, Wormatia; at nunquam sine Episcopi sui gravi præjudicio, maloque semper vicinarum Urbium exemplo. Quod si recte constituta fuisset Respublica, & generali pace satis, ut credebatur, secura, nullus profecto privatis illis conventionibus locus statui debuerat; iis enim factum est, ut cives cum civibus mutuum aliquod inter se inirent fœdus, tutandis, ut ferebatur, viis & itineribus necessarium, armaque ad hoc tractarent bellica, quin & insuper conductitio sæpius uterentur milite, potentiæ robur illud feroces eorum animos subinde in certamina domestica, nec non seditiones stimulaverit, hinc discordiæ, si quæ enascebantur, vix conditionibus sanari poterant.

Hæc inter, Eberhardus noster, domi licet infelix, fidem suam novo Regi quaqua data occasione comprobare non desistebat. Hinc, tanti vicissim ab eodem habitus est, ut omnium consiliorum fieret particeps, quin & legationis munere sæpius ornaretur, quod ubi Romam profectus, strenuè aliquando exequitur, curarum ac laborum suorum metam reperit apud Montem-Pessulanum, ibidem morte interceptus in reditu Anno MCCLXXVII. die X. Kalend. Aprilis. Cadaver honorifice Wormatiam primum, inde in Otterbergense Ord. Cister. Cœnobium transferri, ac eo loci sepulturæ mandari curavit supremæ voluntatis defuncti Executor FRIDERICUS, Spirensium Episcopus. ANN. 1277. Chron. Worm M.S.

FRIDERICUS I.
EX COMITIBUS HIRSUTIS, EPISCOPUS WORMATIENSIS XXXI.

Ferreo illo sæculo, quod Germaniam universam in ultimum prope discrimen conjecerat, quam bene cum Wormatiensi actum fuisset Ecclesia, eique in cunctis prospectum! si rigidos jurium suorum exactores continua aliquantùm serie numerasset Episcopos; nam, qui EBERHARDUM, morte præreptum, mox omnium suffragantium votis in dignitate excepit Frater ejus
ANN. 1277. FRIDERICUS, major Præpositus, licet statim initio Regiminis ad tuendam autoritatem suam sat videbatur erectus, dum tamen volentibus magis, quam
ANN. 1278. invitis civibus imperare mallet, temporique aliquando inserviendum ratus,
Prob. 162. de intentata ipsis, ratione bonorum quorundam actione, ultro resilit, eos hac sua lenitate factos audaciores, nova, quæ post erupit tempestas, suffi-
Prob. 164. cienter comprobavit; siquidem, & sibi, & toti Clero damna non levia exinde proventura fuerant, ni utrumque Cæsarea, RUDOLFI protectio reddidisset securum.

Cautius itaque deinceps cum ipsis procedens Fridericus, jura, ac privilegia a majoribus sibi transmissa, egregie tueri nusquam destitit; dum interea quod ab his curis nactus est otii, id afflictis per turbidos illos motus, rebus Ecclesiæ suæ instaurandis totum impendit: occurrebat inprimis Enckenbacense Asceterium, quod cum ad eas rei familiaris angustias decidisset, ut proventus ad vitæ sustentationem haud amplius viderentur sufficere, illius quoad
Prob. 160. temporalia administrationem Præsul noster ultro in se suscepit: non minorem nascentis in proximo alterius Parthenonis curam gerens; quandoquidem hunc a THIROLFO, & AGNETE, piis juxta ac nobilissimis conjugibus in proprio prædio Hocheim, haud procul Wormatia conditum, sua munivit protectio-
Prob. 161. ne virginibusque Cistercensium Ordinem professis inhabitandum, ex mente fundatorum, tradidit; quin ut erga S. Andreæ Canonicos propensæ voluntatis signum aliquod relinqueret, Parochiam in Rhein-Turkheim ipsis addixit.

ANN. 1282. Demùm, Anno MCCLXXXII. postquam Fridericus Diœcesim universam per se lustrasset, de sanctiore disciplina in mores Cleri revocanda solici-
Collect. Concil. Germ. inedit. tus, illa eo fine promulgavit statuta, quæ nuper in provinciali Concilio Aschaffenburgi celebrato Patres ibidem præsentes secum decreverant: hoc insuper rei œconomicæ probe ac prudenter administratæ monumentum apud posteros de se relinquens, quod arcem Stauff, unà cum villis, prædiis, syl-
Prob. 166. 168. vis, aliisque suis attinentiis ab HENRICO Bipontis Comite acquisitam, Ecclesiæ suæ vectigalibus adjecerit, ejusque circa rem monetariam juribus ac
ANN. 1283. commodis, anno proxime sequenti in Principum Conventu Brisaci, abunde prospexerit.

Obiit Præsul, meritorum plenus, hoc ipso Anno MCCLXXXIII. XIII. Kalend. Martii; sepultus in Ædium sacrarum maxima, juxta Fratrem germanum, suumque in sede Wormatiensi prædecessorem.

SIMON

SIMON
DE SCHOENECK,
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
XXXII.

Firmum, ac probe instructum regimen successori suo SIMONI de SCHOENECK, reliquerat FRIDERICUS, quod utinam! & invictum in adversis animum simul potuisset relinquere. Equidem, quæ RUDOLFUS Rex Anno MCCLXXXIII. in Comitiis Brisacensibus, de Procerum consensu, circa rem monetariam decreverat, cum Wormatienses minime probarent, novam tumultuandi materiam inde quæsivêre, jamque fidei omnis immemores, in eo erant, ut, facta conjuratione, novum suum Præsulem opprimerent, quando hic circumstantium metu periculorum hauddubie adactus, ortam seditionem ignobili pacto redemit, in durissima, & a majoribus inaudita postulata consentiens, secundùm quæ monetarii, nonobstante illo Cæsaris Edicto, in prætensis juribus suis fuêre conservati: Cives vero sublatum ipsis jus angariarum, seu exactionum recuperarunt, quin & simul privilegiorum suorum quorumcumque confirmationem, & quidem hæc inter facultatem adsciscendi rursus in concives quoscumque vellent, etiam ipsos Ecclesiæ ministeriales. Præterea, soli Senatui reservata pacis publicæ dijudicandæ potestas; tum, circa Prætoris Urbani officium specifice convenit inter partes, ut ultra certi cujusdam annui census præstationem, ab Episcopo non gravaretur. Demum, quæcumque Prædecessores ejus EBERHARDUS, & FRIDERICUS, a civibus suis tam christianis, quam & judæis nisi fuissent præter jus & æquum exegisse, hæc in nullius cederent præjudicium.

ANN. 1283.
Prob. 167.
Prob. 169.

Verum, extortas illas improbæ pacis conditiones, in quarum observantiam Episcopus se se dumtaxat, quà privatus obligaverat, reservato sibi insuper jure meliore, quoties de eo constare faceret. Collegium princeps alte rejecit, fœderique, quod interea cum reliquis Canonicorum Ecclesiis contraxerat, etiam per novum decretum quotannis in Vigilia S. Thomæ deinceps roborandum, firmiter inhærens, utrobique tam adversus proprium Episcopum, quam & cives, utpote, qui cunctis legibus pessumdatis, singulorum fortunas perdere molirentur, se se valide præmunivit.

Prob. 168.

Sic publico vulneri domesticum malum ex hac Episcopi cum Clero suo dissensione superadditum est, exstititque tanto utrique funestius, quod eam Rudolfus in commoda sua vertisse videtur; siquidem Anno MCCLXXXIV. Wormatiam adveniens, *cives Reni civitatum illuc convocavit, & juramenta primo facta, secundario per juramenti vinculum confirmavit*, fine haudquaquam alio, nisi ut ipsos in dominorum præjudicium arctius sibi devinciret; quamobrem & Wormatiensibus auctor fuit, ut quos ex concivibus suis, juxta pacis publicæ leges proscripserant, hos nunc revocarent.

ANN. 1284.
Annal. Colmar.
Ludwig. reliq. M.S.S. Tom. II. pag. 239.

Renovata hoc modo in civibus assequendæ libertatis cogitatio, novis etiam turbis simul occasionem præbuit, quas dum Simon noster, ex concilio,

quod

ANN. 1287. quod JOANNES Card. Tusculanus Anno MCCLXXXVII. celebraverat, redux, aut lenitate componere, aut patientia devincere satageret, omnis ejus cum autoritate dignitas apud ipsos cœpit vilescere; jamque metuendum erat, ne, quemadmodum in juribus, sic antiquis Ecclesiæ suæ possessionibus tuendis, eadem duceretur vecordia, quando animum addidêre Canonici majores, effeceruntque ut instituta aliquando Moguntiæ coram Rudolfo, cæterisque Imperii Ordinibus lite, forestis Otenwalt simul cum universis suis utilitatibus ex usurpatorum manibus recuperatus fuerit; cumque dissoluto hoc conventu, idem Rex pervenisset Wormatiam, iteratis apud eum precibus egêre tam Episcopus, quam & supradicti Canonici, quatenus bannum in sylva altera Forahi, aliàs Forholz dicta, juxta quod olim ex prædecessoribus ejus Henricus II. & Conradus II. Reges fecerant, novo probatum præcepto, sibi confirmare dignaretur. Annuit petitis Rudolfus, & quidem tanto facilius, quod non leve commodum a Wormatiensi Ecclesia in domum Palatinam sibi affinitatis vinculo conjunctam, recenter adhuc redundarit.

ANN. 1288. Prob. 171. Prob. 172. Vid. supra Part. II. in Client. Worm.

Commendatur de cætero Simon noster potissimum a pietate, ut qui sui temporis *religiosorum speculum* audierit. Episcopus hauddubie melior quam Princeps. Ejus regimen Trithemius producit usque in annum MCCXCIII. at major in hoc fides tribuenda est veteri Necrologio S. Martini Wormatiæ, ubi hæc sequentia leguntur:

Helwich. Prodr. annal. Worm. p. 33. Chron. Hirsaug. nov. edit. Tom. II. pag. 61.

Anno MCCXCI. XI. *Kalend. Novembris Ob. Reverendus in Christo Pater Dominus* SIMON *de* SCHONECKEN *Episcopus Worm.* cui Epochæ passim consentiunt scriptores reliqui.

ANN. 1291.

Pepegerat idem Antistes noster, paulo ante obitum, fœdus cum vicino Palatino Duce, de mutuis, adversus quosvis impetitores, auxiliis, sibi invicem præstandis, prout ex sequenti charta constat fusius:

„Nos SIMON, Dei gratia Wormatiensis Episcopus, notum facimus præsentium Inspectoribus universis: quod volentes terminos nostri dominii, seu districtus ex altera parte Rheni in amœnitate pacis (cum jam circum circa oriantur discordiæ & videantur undique bella fremere) conservare; illustri viro, Domino LUDOVICO, Comiti Palatino Rheni, Duci Bavariæ, ab hinc usque ad Mariæ Virginis, & abinde per continuum biennium Nos adstrinximus, & adstringimus, & ad id præsentibus obligamus; quod si infra eundem terminum in illis partibus, in quibuscunque locis nostræ, & Ecclesiæ nostræ Wormatiensis, aut ipsius Ducis, jurisdictioni suppositis, clamorem aliquem contra pacem juratam excitari, aut violentiam aliquam injuriose illatam, & notorie inferri contigerit; sibi, & suis, cum omni potentia nostra, & speciatim cum Oppido nostro Laudenburg, aderimus; & ipse nobis, & nostris, per se, & suos quos habet in iisdem partibus, & specialiter cum Oppido suo in Heidelberg aderit vice versa, ad clamorem hujusmodi compescendum, & qualemcunque injuriosam violentiam & notoriam propulsandam, & ad retinendum in pacis pulchritudine in partibus prædictis, utriusque nostrûm, & Ecclesiæ Wormatiensis terminos, sive metas.

„Datum, & Actum Anno Dom. MCCLXXXXI. Feria III. prope assumptionem B. Virginis.

EBER-

EBERHARDUS II. DE STRALENBERG, EPISCOPUS WORMATIENSIS. XXXIII.

DE Simonis Successore anxii aliquantum hæsere Cives Wormatienses, non ignari, rem suam alio inclinaturam, si altioris animi Præsul Jura Ecclesiæ suæ repetitum iret. Et certe jam in eo erant rursum, ut experirentur ex Hirsutis Comitibus ortus quid posset Gerardus, quem indictis habitisque Comitiis Collegium Princeps ad dignitatem illam promoverat, quando subita ac impræviſa mors Electum hunc è medio sustulit. Ann. 1291.

Alia itaque, ad novum eidem surrogandum Antistitem, die constituta, studiisque omnium in Eberhardum de Stralenberg conversis, Vangionum Episcopus renuntiatus est; verum, seu genuina ductus virtute, alta refugeret, seu præsagus animus virum terreret, oblato oneri non nisi ægre admodum humeros supposuit, & ad Concilium Provinciale, quod Gerardus Archi-Præsul Moguntinus Aschaffenburgum Anno MCCXCII. indixerat, profectus est. Collect. Concil. Genn. inedit.

Optaverat certe ardenter Eberhardus, in uno pacis religionisque otio cœptum jam regimen traducere; atque, ut moderati erat animi, & tranquillus, nihil agere festinanter, aut turbate, sed Diœcesim haud mediocriter afflictam, sensim in meliorem statum componere, Clerique simul libertatem ab injusta usurpatorum oppressione liberare studebat impensius, effecissetque etiam utrumque feliciter, ni Civibus suis, quos temporum licentia, luxusque corruperant, aliquando invisus, majora ipsi facessivissent negotia, quàm iis complanandis par esset.

Dissidii causas haudquaquam difficile fuit arcessere; Nam quoties Eberhardus jura majorum repetitum ibat, toties adversus eundem retinendi qualiscumque juris sui causâ, Wormatienses, pacti cum prædecessore ejus Simone haud ita pridem initi formulam obtendebant; cumque id omne, ceu violenter, ac per injuriam extortum, rescindi ac irritum declarari vellet Episcopus, ipsi totis viribus contra niti cœperunt.

Ex hac mutua animorum dissensione primùm lis orta est; inde bellum intestinum multo infelicius quam antea recruduit; sed cui tandem Anno MCCXCIII. per nova pacta, in quæ Eberhardus amore pacis, & ad instantes Civium suorum preces benigne nimium consensit, finis impositus fuit. Quanquam nec sic optata quiete diu frui licuit, quandoquidem anno proxime sequenti novis Præsul noster circumsessus factionibus, iisdem mortuus est; sepulturam accepit in Schonaugiensi cœnobio, quo cadaver suum deferri jusserat. Prob. 175. 176. & 177. Ann. 1294.

EMICHO
EX COMITIBUS HIRSUTIS
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
XXXIV.

Laboranti Ecclesiæ Wormatiensi quò tandem efficaciter subveniret Clerus primarius, vota sua, post EBERHARDI Antistitis obitum, contulit in EMICHONEM illustri Hirsutorum Comitum, quibus arx Beinburg tunc sedes erat, ortum prosapia; proindè, quem multa majorum suorum præclare gesta, ante alios commendabant.

ANN. 1294. Designatus itaque die altera S. Thomæ Ap. Anni MCCXCIV. omnium applausu Episcopus, misit Romam, qui electionis decreto adhibitam solemnem Pontificis approbationem referrent; qua impetratâ Jus Sacrorum ipsa ANN. 1295. mox vigilia Paschæ, anni proxime sequentis, a GERARDO Archi-Præsule Moguntino, ritu perquam solemni suscepit, cumque regimen aggressus esset, simul turbis ac contentionibus se se implexum sensit; duorum enim ex prædecessoribus suis lenitate, seu potius socordia Cives abusi, usque adeo jam cœperant insolescere, ut ipso nunc etiam spreto Magistratu, ejus universa dicta, factaque carperent, insuper peculatum exprobrarent, exaggerarent onera; quin, tam servitii, quam & imperii omnis impatientes, jussa ejus palam contemnerent.

Hæc inter, Emicho, ut erat vir insigni præditus sapientia, difficultatem illorum temporum, quibuscum res sacra pariter ac civilis conflictabatur, maturo judicio perpendit, cumque advertisset in Classibus, seu Tribubus, in quas universa Civitas distributa erat, nonnullos, imò multos reperiri, quibus a tumultuantium illa societate divulsis, facile foret reliquos compescere, ac simul in suam habere fidem ac sententiam, huc curas omnes convertit, nullus dubitans, quin ad Ecclesiæ suæ tum vetera jura sarcienda, tum Præsulum ejus auctoritatem, multimode labefactatam, penitus instaurandam conferrent plurimum. Verum dum sic feliciter satis pergit in proposito, quod & vetus autor, in hæc verba interpretatus est: *Consulibus & melioribus cum popularibus in Civitate altercantibus, & aliquibus hinc inde occisis, populares & communitatem sibi attraxit* Episcopus, *ut Consules eo melius domaret*; novæ in Imperio turbæ subortæ sunt, quæ Emichonis nostri animum aliò evocarunt.

Chron. Kirsgart. apud Ludwig. reliq. M. S. S. tom. II. pag. 141.

Fuerat haud ita pridem elevatus in Regni Germanici solium ADOLFUS Nassovius, quo cum Præsul noster anno superiore transactionem, Ecclesiæ Wormatiensi haud ita proficuam, inierat. Huic, quod optimatibus quibusdam displicuisset, sceptrum adimere, illudque ALBERTO austriaco tradere placuit, jure, an injuria hìc non disquirimus. Armis itaque jam late circumfrementibus ac in bellum utrimque expeditis, Wor-

Prob. 180.

Wormatia, licet intestino suo adhuc laboraret dissidio, mutuum nihilominus cum Alberto Rege fœdus iniit, eum adversus quemlibet, ne Episcopo suo quidem excepto, tutari ac defendere adpromittens; Quo circa novum, (ut certe videbatur) privilegium ab eodem retulit, videlicet: de non evocando ad judicium Cameræ Imperialis, nisi in casum protractæ, aut denegatæ justitiæ; cum tamen ad hoc ipsum Episcopi supremum Tribunal Wormatiæ jam dudum staret erectum, cujus & ad nostra usque tempora constans usus obtinet; ast ubi Anno MCCXCVIII. victus superatusque juxtà Geilenheim oppidum, simul in prælio occubuerat Adolfus, Wormatienses ad demerendam sibi amplius Alberti regiam protectionem nihil non egêre, dum simul jura Episcopis suis debita, aut per injuriam abolere, aut per vim sibi vindicare conati sunt. Lehman. Chron. Spirens. nov. edit. p. 583. Ludwig. reliq. M. S.S. tom. II. pag. 243. Ann. 1298.

Stitit hanc factiosorum hominum audaciam Emicho, altosque trahens spiritus quos natalium ortus ipsi indiderant, male quietis animis terrorem incussit, & ab ulteriori attentato abstinere docuit, dum curis sibi aliunde incumbentibus non minus intentus, ea quæ ad disciplinam, religionis cultum, ac rem-familiarem instaurandam deesse videbantur, promovit sedulo; nam, præterquam quod summæ Ædis Canonicis Parochialem Ecclesiam in Waltorf cum omni concessione juris patronatûs & proventuum in præbendarum suarum augmentum addixit, hoc, quod Gudelmannus Prætor, Sororibus Divi Augustini regulam professis domicilium in Urbe nuper concesserat, sua auctoritate stabilivit; insuper vetus S. Mariæ Oratorium, deforis ad Rheni littus situm, ut ornamentis & cultu magis magisque efflorescerct, in Ecclesiam Collegialem, de consensu Henrici majoris Præpositi, nec non loci ejusdem Archi-Diaconi, erexit; demum Fratribus Ord. beatæ Mariæ de Carmelo, aptas commodasque sedes indulgens, variis eos cohonestavit gratiis ac privilegiis. Prob. 178. Ann. 1298. Prob. 182. Ann. 1299. Prob. 183.

A pietatis operibus ad publica rursum abstractus negotia Emicho, Norimbergam se se contulit, quo Albertus Rex Anno MCCXCIX. mense Novembri solemnia Principibus Comitia indixerat illic, cum forte orta fuisset de proëdria contentio, idem Præsul noster jus suum veteri consuetudine, nec non ipsiusmet Archi-Præsulis Moguntini suffragio firmatum adversus Conradum Eystettensem Episcopum summa cum æquitate, & animi moderatione propugnavit: Sed, dissimulante Rege, Comes Hirspergensis, prædictæ Eystettensis Ecclesiæ Advocatus, valida suorum stipatus manu rem facile diremit, non tamen evicit. Rebdorff. Annal. apud Freher. tom. I.

Gravis Emichonem, inde reducem, morbus infessit, quo cum diutius conflictatus, tandem hoc præsenti Anno MCCXCIX. ipsa Vigilia S. Jacobi, diem supremum obiit. Cadaver, juxta morientis votum, monachica indutum cuculla, in medio chori majoris Ecclesiæ, tumulo illatum fuit.

EBERWINUS DE CRONEBERG, EPISCOPUS WORMATIENSIS XXXV.

PUblicis in Imperio rebus ſat tranquillis, necdum quieſcere didicerat Wormatia, quin potius, mortuo EMICHONE, viſa eſt in flammas erumpere diſſenſio, quæ hactenus dumtaxat intra mutua odia ſerpſerat; quando EBERWINUS nobili CRONEBERGIORUM ortus ſanguine, vacantem Sedem Epiſcopalem, de communi ſuffragantium Canonicorum voluntate, occupans, reſtinguendo fatali hoc incendio, negotiisque ſimul ſtrenue gerendis, ſe ſe incunctanter accinxit. Nam, ut erat jurium ſuorum ſedulus exactor, nec non ſi-
ANN. 1300. mul læſæ libertatis eccleſiaſticæ vindex acerrimus, priſca hæc deceſſorum ſuorum ornamenta diutius obteri non eſt paſſus, ſed univerſo Senatu unâ cum Civibus in jus vocato, de reſcindendis actuum pactis illis agere cœpit, quæ ipſis invitis haud ita pridem fuerant expreſſa; nec alias pacis, aut compoſitionis leges admiſit Eberwinus, quam quibus ſupremæ ſuæ in omnibus poteſtati, ſanctè ſimul in futurum cautum eſſet, nihilque ei derogaretur.

Prob. 185. Itaque, de inſtaurando ante omnia Ærario Publico tractatum fuit, ut, quod civili bello variè diſtractum, quin & multis inſuper nominibus obſtrictum, Rempublicam in maximas redegerat anguſtias. Quapropter aucto jam Magiſtratu, placuit ex ordine Senatorio duos ſeligi, qui probæ notæ viris IV. ex totidem urbis Parochiis aſſumendis, conjuncti, jam dicto ærario, per vices, integro trimeſtri præſiderent, ſimulque pecunias inde depromendas in mœniorum, ac turrium inſtaurationem, aliaque publica opera, ſeu commoda, bona fide converterent; dein, ordinatis iis, quæ ad communem Eccleſiæ Wormatienſis, nec non ſimul Epiſcopi tutelam, tum & Civitatis honorem ſpectare videbantur; de cuſtodiendo impoſterum in arcâ, quatuor ſeris munitâ, Civitatis Sigillo, ejusque recto ac licito uſu; tum, de Pace publica ex autoritate Epiſcopi inprimis dijudicanda, vindicandavè; denique, & de eo, qui Jus Civitatis quovis modo a ſe abdicaret, ſeparatis capitibus actum fuit, Litterisque conſignatum. Nam, quoad integram abſolutamque Cleri Wormatienſis exemptionem, ſeu libertatem, hæc in compoſitionis initæ præliminaribus hauddubie ex voto eorum, quorum tunc intererat, ſtabilita fuerit; ſiquidem ejusdem
Prob. 184. Cleri membra, videlicet: Wimpinenſis Eccleſiæ Canonici, quos loci Magiſtratus, hoc ipſo tempore, in juribus ſuis pariter moleſtaverat, ab ejus impetitionibus per ſimplex compromiſſum fuere in totum liberati. Quod ſi quæ ipſis ſors in hoc melior fortaſſis obtigit, id genio Oppidi tribuendum erit, tot
Ludwig. reliq. M.S.S. tom. II. pag. 251. revolutionibus neutiquam obnoxio, quantum Wormatia, ubi populus, armis opibusque ſubnixus, quin & Alberti Regis recenti fœdere tutus, veteribus odiis jam anno ſequenti cœpit implicari.

ANN. 1308. Acceſſit in non leve mali incrementum ipſius quoque Wormatienſis Cleri Secundarii adverſus proprium Epiſcopum tacita conſpiratio, velut ſi eccleſiaſticam ſuam, civicamque ſimul libertatem eſſet aliquando propugnaturus, cum

cum tamen ex alio capite invicem dissentirent. At, Præsul noster, quò facilius utriusque adversæ partis disceret consilia, de fida Vasallorum suorum quos potentiores noverat, ope, promptoque auxilio sibi mature prospexit, prout ex pluribus id nos docent Litteræ sequentes:

„ Nos EBERWINUS, Dei gratia, Wormatiensis Episcopus. Litteris
„ præsentibus recognoscimus, nos nobili Viro, FRIDERICO de LININGEN,
„ Comiti Seniori, Feuda, quæ ab Ecclesia nostra de jure obtinet, liberaliter
„ concessisse, & quod idem Comes nobis, & Ecclesiæ nostræ præstitit corpo-
„ rale juramentum fidelitatis, quod ipse nobis, & Ecclesiæ nostræ præstabit
„ auxilium & juvamen, quandocumque fuerit per nos requisitus, secundùm
„ exigentiam debitum sui juramenti; specialiter tamen, quod ipse nobis, &
„ Ecclesiæ nostræ contra CIVES Wormatienses, & CLERICOS Ecclesiarum,
„ NOSTRÆ CIVITATIS, si qui (quod absit) nobis, & Ecclesiæ nostræ se op-
„ ponere præsumerent, & jura, libertates & privilegia nostra impetere, mi-
„ nuere, & turbare conarentur, communiter vel divisim, consilium, opem &
„ juvamen etiam manu militari promisit, sub vinculo dicti sacramenti, & si-
„ cut in litteris suis expressum est &c. Datum Anno Domini MCCCVIII.
„ idus Aprilis.

Civitas interea, vix non apertam illam Cleri cum Episcopo suo dissensionem in commoda sua ulterius vertere fatagens, variis cum finitima tum concive Nobilitate Sacramentis se se obstrinxerat, ut optatam libertatem, quaqua demum posset via, aliquando assequeretur; verum labor omnis invanum cessit, dum ex adverso Eberwinus jura sua sarta tectaque ad obitum usque servavit, qui tandem in præsentem annum MCCCVIII. incidit, ut ejus testatur Epitaphium, quod in choro summi templi non erronée, prout â quibusdam exscriptum fuit, legebatur olim in hæc verba: Helwich. Prodrom. Annal. Worm. pag. 35.

ANNO MCCCVIII. IN VIGILIA GEORGII
OB. EBERWINUS EPISCOPUS WORMATIENSIS.

Eo sedente, Parthenonis in Liebenaw jacta fuêre fundamenta; cumque loci Sacri conditor munificus, JACOBUS ENGELMANNI, morte præpeditus, operi extremam manum admovere nequisset, illud Præsul in se suscepit consummandum. Prob. 184

Exstat de cætero Præsulis Decretum jussu GERARDI II. Archiepiscopi Moguntini, suique Metropolitæ promulgatum, quod hic pro coronide integrum lubet adjicere.

„ EBERWINUS Dei gratia Episcopus Wormatiensis Decano, & Capitulo
„ Ecclesiæ nostræ Worm. prædictæ, salutem & sinceram in Domino Chari-
„ tatem.

„ Cum nuper Reverend. Pater Dom. noster GERARDUS Dei gratia Ar-
„ chiep. Moguntinus, auctoritate Metropolitica, in dicta nostra Ecclesia exer-
„ cens sacræ visitationis officium, inter cætera, defectum, sive excessum hu-
„ jusmodi notorium invenerit corrigendum, sive reformandum, vide-
„ licet: quod eo tempore, quo divina officia in eadem Ecclesia non ha-
„ bentur, sive Ecclesiasticum servatur interdictum, quotidianas distri-
„ butiones sive præsentias, quæ non solent nisi præsentibus in Divinis Offi-
„ ciis certis temporibus ministrari, absentes tamen eam recipere, & requirere
„ non verentur, contra statutum sanctissimi Patris nostri BONIFACII VIII.

„ quod incipit, *Alma mater*; super eo dictus Dominus noster Archiepiscopus „ in corrigendis, & reformandis hujusmodi & aliis defectibus & excessibus, „ nobis commiserit vices suas, vobis universis & singulis, auctoritate prædi- „ cta, in virtute sanctæ obedientiæ præcipiendo districtè mandamus, quate- „ nus: in hujusmodi quotidianis proventibus, sive præsentiis certis tempori- „ bus, sicut præmissum est distribuendis, secundum formam constitutionis su- „ pradictæ, observetis & observari faciatis inconvulsè, si canonicam volueri- „ tis effugere ultionem.

„ Datum Wormatiæ Anno Dom. MCCCI. XIV. Kalend. Februarii.

EMERICUS
DE SCHÖNECK,
EPISCOPUS WORMATIENSIS
XXXVI.

MOrtem Eberwini haud leve dissidium excepit; dum enim in eligendo novo antistite discordes summæ Ædis Canonici, divisis nihil agunt studiis, sedes vacua remansit; convenêre quidem deinceps in hanc ipsam rem sæpius: at irritis semper comitiis discessum est. Hinc, postquam aliquanto
Ann. 1309. tempore Wormatiensis Ecclesia jacuisset pastore destituta, Clemens V. Pont. veritus, ne quid exinde detrimenti caperet, eam Balduino, Trevirensium Archiepiscopo commisit, administratorio nomine, regendam; donec tandem, jure comitiorum in integrum restituto, rogarunt, qui hactenus intestino dissiduo fluctuantes fuerant Canonici, Pontificem, velit Emericum de Schöneck,
Ann. 1310. a se concordibus votis recenter electum sua probare auctoritate; annuit justis postulatis Clemens, sicque recto dignitas, vis sua Legibus, & Ecclesiæ pax rediit.

Probata prioribus comitiis jam aliquoties fuerat Emerici virtus ac modestia, simulque multorum animos in se excitaverat; unde, postquam omnium nunc tandem retulisset suffragia, communis quoque omnium fuit applausus, quod magnam felicis regiminis spem de se faceret; nam Fratri, simulque Prædecessori quondam suo Simoni, ut plurimum dissimilis Emericus, jura ac autoritatem suam ingenti animo propugnare aggressus est, dum Ecclesiæ suæ res, crebris illis diuturni interregni motibus accisas, quantocyus resarcire studuit.

Hoc in proposito, dum utrobique pergit feliciter; Judæi, nescio quibus seducti consiliis, rebellionem tentare ausi sunt, ea denegando ad quæ præstan-
Ann. 1312. da antiquissimis majorum suorum pactis tenebantur. Turpe facinus pœnas exigebat promeritas: verum ea Præsulis nostri in gentem perfidam fuit clementia, eaque tunc simul in urbem suam Wormatiam humanitas, ut interveniente cum Senatoribus universo Magistratu, rem, ex se æquissimam, arbitrorum nihilominus judicio submiserit.

Re-

Recognita itaque, non autem a novo quæsita fuêre vetera Episcoporum Wormatiensium in Judæos jura; siquidem, ex unanimi quinque ad hoc delectorum arbitrorum sententiâ, Anno MCCCXII. publice prolata constitit: Judaicum Senatum ex XII. huic sectæ addictis viris, quemadmodum & qui inter ipsos Præsidis officio fungitur Judæorum Antistes, vulgo *Juden-Bischoff* dictus, â solo Episcoporum Wormatiensium arbitrio ac delectu hucusque dependisse semper, prout & dependet etiamnum; proinde ipsos ultra certa donativa, assueto fidelitatis & obsequii sacramento toties quoties præstando, seu innovando, teneri, nec non perpetuum remanere adstrictos. Et hæc quidem præcipua fuêre totius controversiæ capita, quæ, dum unà cum reliquis, juxta æquitatis leges, sigillatim expendi ac ordinari placuit, non levem in ipsorummet Civium Wormatiensium animis invidiam, simul & concupiscentiam excitarunt. Prob. 188.

Vigebat tunc forte in Imperio perniciosus quidam abusus, in Episcoporum inprimis præjudicium excogitatus, videlicet: ut quando plebs aliqua se se in libertatem asserere nitebatur, viros potentes in urbem adscriberet, quorum auxiliis atque auctoritate suffultus, opes suas inferiores pro virili stabiliret; porro, qui ita Civitate donabantur, non domicilium modo in eadem erigebant, sed & insuper vectigal seu stipendium annuum præstabant; Quapropter, dum ortâ Anno MCCCXIV. inter LUDOVICUM Bavariæ, & FRIDERICUM Austriæ, Duces, super vacante tunc Imperio adipiscendo, gravi contentione, prior ex ipsis, præcipuas Rheni urbes circumit, earum fide ac concordia, potentiam suam adversus æmulum obfirmaturus, sicque aliquando pervenisset Wormatiam, rogarunt novum Cæsarem incolæ, quatenus sibi liceret Judæos, modo præmemorato, in concives adsciscere; nam hos auri, argentique pondere in civitatem recipere decretum fuerat; dum Nobiles ea dumtaxat lege admittebantur, ut viris, equis, armis suppetias ferrent, ubi necessitas istuc postularet. ANN. 1315.

Annuit Ludovicus Wormatiensium postulatis, quò eos sibi magis redderet obnoxios, effecitque hac sua indulgentia, ut pecuniario illo recreati subsidio, se se deinceps aliquantum insolentius efferre præsumpserint; obstitit quidem pravis eorum conatibus Emericus noster, curasque suas omnes hìc potissimum convertit, ut ejusdem Cæsaris Edictum de publica servanda pace recenter emanatum, in pleno suo vigore servaret, dum aliunde, ex ratione jurium sibi, suæque Ecclesiæ in Ladenburgensi territorio adversus REINWARTUM de STRALENBERG competentium, ortam controversiam, feliciter terminavit per compromissum; ita, ut hanc litem mox exceperit contractus, vigore cujus idem Præsul arcem Waldecken, cum universis attinentiis suis, a supradicto Reinwarto pro mille argenti marcis acquisivit. Prob. 189.

Jacta interea per Diœcesim Wormatiensem vitiorum semina jam prope adoleverant, quæ dum multis locis erumpere cerneret Emericus, priusquam magis Ecclesiam læderent, rescindenda ac evellenda proposuit. Indictâ itaque in Annum MCCCXVI. solemni Synodo, Clerum ad meliorem frugem revocavit, & monasteria utriusque sexus, arctioris disciplinæ legibus simul imbuit; dein sacrorum templorumque cultum instaurare aggressus, Oratorii Palatio suo adhærenti curam præprimis habuit, eique cunctos Ecclesiæ Parochialis in Huchelnheim proventus univit; postquam æs campanum ponderis sexcies centum millium librarum, turri summæ ædis jam intulerat. ANN. 1316. Collect. Concil. Germ. inedit. ANN. 1318. vid. supra Part. I. in Diœces. Worm.

Obiit,

Obiit, probata morum ſanctitate Præſul, & in omni vitæ curſu, religionis & prudentiæ ſingularis, Anno MCCCXVIII. die X. Februarii. Hoc dignum promeritus Epitaphium, quod in ſummi Templi choro exſtabat:

PRÆSUL EMERICUS, VIGIL IN PRECE, PACIS AMICUS,
SUBJECTIS GRATUS, STUDUIT VIR ESSE BEATUS,
MENS SIBI DEVOTA FUIT, ET SACRA LECTIO NOTA;
DAT VITÆ METAS, SENII VENERABILIS ÆTAS.

HENRICUS III.
EX DYNASTIS DE DUNA.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
XXXVII.

ANN. 1318. EMERICO, è vivis erepto, vota & ſuffragia ſua promptius inter ſe compararunt, tuleruntque, nobiles ſummæ Ædis Canonici, quàm antea fecerant, concordique omnium ſententia, ad vacantem Epiſcopatum evectus eſt HENRICUS de DUNA, Majoris nec non Wimpinenſis, Eccleſiarum tunc Præpoſitus, quem natalium conditio illuſtris, egregia inſuper animi ornamenta, raræque ingenii dotes, hactenus longè conſpicuum reddiderant.

Verùm, Wormatienſibus Principem hunc Deus oſtendit dumtaxat; felices futuri, ſi hoc ſuo dono ipſis frui licuiſſet diutius. Nam ſtabiliendi honoris ſui munia vix expleverat Henricus, cum immatura morte ſublatus fuit, anno regiminis ſui primo necdum integre revoluto; depoſitus in ædium ſacrarum maxima, juxta aram Divo Martino ſacram. Corrigendus eſt itaque Trithemius, qui electionem ejus refert ad annum MCCCXIV.

ANN. 1319.

Annal. Hirſaug. tom. II.

Exſtat ex Præſulis hujus chartis una, a ſe Anno MCCCXVIII. edita, ubi *Electi*, & *confirmati Worm. Epiſcopi*, nec non ſimul *majoris Præpoſiti* titulos præfert; hacque poſtrema qualitate, Parochiam S. Amandi Collegio Canonicorum S. Mariæ attribuit.

CONRADUS IV
DE SCHÖNECK,
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
XXXVIII.

IN Senatu, quem ſtatim ab HENRICI morte habuerunt Wormatienſes Canonici, ſic de futuris comitiis decretum fuerat, ut per compromiſſum novus de-

designaretur Episcopus; Quam Sententiam licet probassent ad unum omnes, tempus nihilominus adhuc aliquod effluxit, antequam CONRADO de SCHONECK, duorum jam ejusdem nominis Wormatiensium Præsulum nepoti, hos honores deferri contigit.

Conjunxerat is cum natalium splendore, non mediocrem divinarum, humanarumque rerum scientiam, atque ut erat veterum Institutorum observantissimus, suum in urbem adventum magnifico prorsus adparatu instruxit; quo splendide peracto, in Æde Summa, a GODEFRIDO Mindensi, EMICHONE Spirensi, nec non DIETMARO Gabulensi, Episcopis, exquisitissima cæremonia, totius Cleri, populique circumfusa multitudine, consecratus est, die festo Cathedræ S. Petri. Anonym. Chron. Worm. M.S.

Has solemnes functiones, lætitiæ ac jucunditatis plena, ea mox subsecuta sunt tempora, quibus ultimum discrimen, etiam sacrorum, merito videbatur timendum. Nam, orto inter Cæsarem, & Pontificem gravi schismate, scissisque in diversas factiones Imperii Optimatibus, quin & collisis, quassatisque inter se Civitatibus, nec non Populis finitimis varie diffidentibus, dum in mutuam euntes perniciem, aut injurias inferunt, aut illatas propulsant, omniaque civili bello ardere visa sunt; facile est perspicere, quæ tunc rerum facies Wormatiæ exstiterit.

Auxit communem hanc temporum calamitatem infinita propemodum per rapinas & latrocinia sævientium hominum multitudo, quæ dum, absente præsertim Cæsare, ac in Italiæ partibus occupatissimo, publicæ itinerum, ac mercimoniorum securitati utplurimùm officeret, unicum in mutuis fœderibus superesse visum est remedium. Hoc amplexi, pro suo quisque in tuenda Republica studio, tum Principes, tum Civitates, Wormatia has inter non postrema fuit, quæ, datis ad invicem dextris, sese adversus immanem illam grassatorum colluviem defenderunt; & factum bene; dummodo socialibus armis ad vim externam, facinorosorumque impetus repellendos, non vero ad Cleri immunitatem oppugnandam usa fuisset, ut eventus postmodum demonstravit. ANN. 1325. Lehman. Chron. Spirens. vov. edit. p.675.

Hinc Antistes noster, quò præsens malum ab Ecclesia sua depelleret, omniaque sibi adversa cogeret ad officium, novis viribus institit, felicique simul in his usus est industria, quam dum ulterius in effectum redigere studet, communem omnibus mortalitatis Legem subiit Anno MCCCXXIX. die vero xxv. Junii. medius inter duos patruos suos sepulturæ traditus. ANN. 1329. Helwich. Prodrom. Annal. Worm. p.37.

GERLACUS
EX PINCERNIS DE ERBACH
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
XXXIX.

Ann. 1329. DUrante adhuc gravissima illa inter Sacerdotium & Imperium dissensione, Gerlacus, generosa Pincernarum de Erbach natus prosapia, vix in defuncti Conradi locum surrogatus fuerat, cum tantæ dignitatis fortunam ipsi præripere visus est Salmannus Waltpotius; siquidem hunc Joannes XXI. Pontifex, (quod animo constitutum habuisset Wormatiensi sedi provisione Apostolica dare Antistitem) nominaverat, datis ad universum Clerum, ac populum litteris, quatenus ei, tanquam membra capiti, debitum honorem exhiberent, ac reverenter obtemperarent.

Tulerunt factum summæ Ædis Canonici ægerrimè, negabant Episcopum & Principem, jure dici posse, quem suis ipsi suffragiis non creassent, dum vicissim eorum Electus, ut erat ardentis spiritus, nec non domestica potentia suffultus, hanc suam dignitatem, pro eligentium voto, tueri, efficereque, ut novus ille Episcopus nunquam, se invito, urbem ingrederetur, modis omnibus conatus est: quapropter, à Metropolitano suo in dignitate confirmatus, illico in Ludovici Imperatoris partes secessit, eâque in cunctis usus est industria, ut non modo Jura regalia suscipere, sed & ob exhibita obsequia, simul mille Prob. 190. ducentarum Librarum Hallens. præmium ab eodem referre promeruerit.

Ann. 1331. Verum, ubi Gerlacus, pro munere sibi incumbente, generalem totius Dioe-Collect. vet. cesis suæ lustrationem aggressus est, ac Synodo indictâ, severius in Clerum Concil. utrumque inquirit, quam dissoluti eorum mores patiebantur: nam qui prius Germ. inedit. uno ad cibum cœnaculo, uno ad somnum dormitorio utebantur, pristinam in his pertæsi disciplinam, descriptis in æquas portiones vectigalibus, sua singuli ratione, sensuque vitam agebant, omnium fere odia in se concitavit; cumque, gliscente jam in dies magis, suâ causâ, seditione, Clerus in gravissimos abiisset factiones, ita ut evocatum ad se Balduinum Trevirensem Archiepiscopum, eum Wormatiensis Ecclesiæ Administratorem ac Patronum deligere non formidarint, perrexit nihilominus in proposito Gerlacus, illudque eâ, qua cœperat, constantia prosecutus est.

Ann. 1332. Adfuit quidem Balduinus, oblatumque sibi munus tantisper sustinuit, quoad discussis incommodi gravioris metus abscessit, & Clerus Gerlaco suo conciliatus est; perfectam enim inter ipsos unionem ac concordiam evidenter jam demonstrat Cæsareum Ludovici IV. diploma, datum Francofurti Anno Prob. 191. MCCCXXXII. per quod ad utriusque partis petitionem, vetera Ottonis I. nec non Henrici II. Regum præcepta, in gratiam Wormatiensis Ecclesiæ quondam edita, a novo stabiliuntur; quin & spes etiam affulgere cœperat Regiminis ut diu-

diuturni, sic tranquillioris, quando mors Præsulem ex humanis abripuit, ac in summo Templo juxta aram S. Martini eidem quiescere dedit, hac tumuli inscriptione:

ANNO DOMINI MCCCXXXII. XV. KALEND. JANUARII OBIIT DOMINUS GERLACUS DE ERBACH, ELECTUS ET CONFIRMATUS WORMATIENSIS EPISCOPUS.

SALMANNUS
A WALTPOT.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
XL.

PErcepta æmuli morte, SALMANNUS, graves illico ad princeps Canonicorum Collegium litteras dedit, quibus recipi ab ipsis, & ad denegatos catenùs honores, nunc tandem aditum sibi fieri enixè postulabat; quando illi, in suscepto semel consilio tenaces, eundem pari constantia non modo repudiarunt, sed juribus usi suis, tres ex se, videlicet: FRIDERICUM de ISENBURG, JOANNEM de LUMMERSCHEIM, & HERMANNUM de SCHONECK, concordi voce denominarunt, qui, sede vacante, totius ditionis administrationem cum suprema potestate gererent, quoadusque novus crearetur Antistes. ANN. 1332. vid. Prob. 195.

Iteratam itaque passus repulsam Salmannus, nullum ambitioni suæ modum, nullum turbandæ Reipublicæ, aut Cleri vexandi finem fecit, dum interea Civitas ipsa intestino dissidio laborare, tetrumque schisma in usus suos convertere statuit; eò enim incolarum, ex tot recenter contractis fœderibus, jam excreverat insolentia, ut, contra quod jam alias RICHARDI Regis singulare Edictum vetuerat, ipsi angarias & exactiones proprio nomine instituere præsumpserint. Hinc, ad LUDOVICI Cæsaris auctoritatem recurrendum fuit, cumque simul in externa Salmanni vi propulsanda laborarent Canonici, expetitus rursum ab ipsis BALDUINUS Trevirensium Archipræsul in auxilium properavit, & Wormatiensis Ecclesiæ salutem ac dignitatem non minore industria, curaque, quam propriam sedem complexus est: quanquam in rerum administratione, desumptos ex primario Collegio THEODORICUM de MECKENHEIM, & THEODORICUM de RORBACH ipsi adjungere lubuit. ANN. 1333. Prob. 192. Vid. Prob. 195.

Contractis itaque copiis, munitionibusque per totam Diœcesim probè instructis, quibus & arx Schadeck, ex contractu cum BLICKERO & THEODORICO de STEINACH inito, recenter accesserat, SALMANNI ulteriores conatus Archipræsul non modo stitit, sed & simul prædonum, in his quoque partibus tunc sævientium licentiam coercuit, ac demum Wylensteinio, communi eorum receptaculo feliciter expugnato, in ordinem redegit. Verum, ubi sumptus, & graves expensæ, quas bellum hoc continuò exigebat, non nisi parcè admodum subministrarentur, jamque inter Canonicos, ac Balduinum quæstio desuper non semel orta fuisset; maluit hic officio cedere, quam suo periculo eodem fungi diutius; Quapropter, valedictâ Prob. 193. vid. Prob. 195.

ANN. 1335. Wormatiâ, & ad suos se recipiens, Oppenheimii aliquantum substitit, ut amicabili compositione, quam illic cum Salmanno iniit, ab hujus quoque perquisitionibus, sibi præcaveret, ac prospiceret.

vid. ibid.

Urgebat interea Salmanni admissionem etiam BENEDICTUS XII. qui Joanni in Sede Romana recenter fuerat surrogatus, eoque fine DYNUM, Januensem Archiepiscopum Wormatiam ablegavit, quo tempore, continuata inter nobiles Canonicos serie, regimen tenebant EBERHARDUS de HIRSCHORN, & JOANNES BUBE; sed, cum nec sic quidquam profecisset, offensus hac constantia Pontifex, in Clerum omnem excommunicationis protulit sententiam, ipsique etiam civitati sacris interdixit.

ANN. 1336.

Novo hoc malorum turbine impetiti Canonici non vero dejecti, se, suaque, in Ludovici Cæsaris, qui cum Pontifice vehementer dissentiebat, commisère protectionem; hinc ille selectorum ex Ordine Equestri virorum ad hoc usus opera, JOHANNEM de BOPPARDIA, & CONRADUM de ERBACH, Steinensi; BOEMUNDUM de DALHEIM, & MENGOTUM BUBE, Dirmsteinensi; JOANNEM de HIRSCHORN, Schadeckensi, arcibus præfecit: Ladeburgum vero, oppidi hujus incolis tradidit incolendum; dum Ecclesiæ vasallos ac subditos simul omnes abjurare Salmanni imperium coegit.

vid. ibid.

Hæc erat rerum facies, quando demum & a CLEMENTE VI. Benedicti Successore confirmatus in collata sibi olim dignitate Salmannus, Pontificis illius litteras hortatorias præmisit ad collegium princeps, reliquumque Clerum, additis simul suis, quibus significabat, se non alio consilio Episcopatum Wormatiensem eatenùs ambivisse, quam ut bono hujus Ecclesiæ, pacique publicæ consuleret. Tam insolita fiducia victi tandem, flexique Canonici primores, ne sua culpa diutius Respublica videretur turbari, eò se adduci passi sunt, ut quantum in ipsis esset, perniciosæ jam in multos annos discordiæ finis aliquis imponeretur.

ANN. 1343.

Horum itaque sententiæ postquam & reliquus Clerus accessisset, itum utrimque in compromissum, & HENRICO Archipræsuli Moguntino, ejusdem Ecclesiæ Decano JOANNI, nec non WOLFRAMMO de NELLENBURG Ordinis Teutonici supremo tunc Magistro, tanquam arbitris ac mediatoribus, causa demandata fuit.

vid. ibid.

Habitis igitur multis ultrò citroque colloquiis, res ex æquo & bono ad pactionem venit, transactumque Anno MCCCXLIII. in has præcipue leges: ut Clerus, & populus Salmanno, ceu Antistiti ac Domino suo debitum obsequium, fidemque adpromitterent: Salmannus è contra privilegiis & jure concesso Clerum ut antea frui sineret, eumque a ferali censura absolveret.

Sublato in eum modum diro schismate, non adeo facile fuit Cives ad pristinum reducere officium; siquidem per has turbas, commune illud adagium: *inter duos litigantes, tertius gaudet*; in usus suos oportune verterant, dum quos permittente haud ita pridem Ludovico Cæsare, judæos in concives adoptaverant, hos nunc ut servos sibi ab ejus successore CAROLO IV. donari obtinuerunt, per diploma datum Spiræ Anno MCCCXLVIII.

Quanquam hæc concessio, nullo Principum Imperii accedente consensu, quem tamen ad hoc requiri moris erat, facta, poterat facile in irritum vocari, si modo Salmannus, cui Episcopalis dignitas demum ex integro obvenerat, majo-

majorem tunc sibi adpromittere auctoritatem præsumpsisset. At is turbidus adhuc erat rerum suarum status, ut ne protectoriis quidem Caroli litteris adversus illos cives suos tutum se se, ac securum satis crederet, ni simul ex circumvicinis Principibus nonnulli, sibi per eundem Imperatorem designati fuissent, ad quos recursum haberet quoties de vi, aut injuria, quæstio esset, quemadmodum ex hoc eodem capite sibi jam prævie prospexerat etiam Collegium Canonicorum majus. Ann. 1349. Prob. 199. & 200.

Reliquum erat, ut mutuæ concordiæ ac defensionis ergò, tam Episcopus, quam & Clerus, cum vicino Comite Palatino Ruperto Seniori, in fœdus simul coirent, vigore cujus, alter alteri adversus quosvis se se obligaret, sibi vero invicem damni nequidquam inferret; quæ res ubi partium communi excepta fuit applausu, etiam Anno MCCCXLIX. in publicas tabulas relata est, quibus anno mox sequenti, qui ipsi omnium postremus exstitit, suas quoque adjecit Episcopus; hinc falluntur, qui obitum ejus jam in anno præcedenti collocant; nec eorum testimonio inducimur, ut Stephanum quendam Salmanno in schismate oppositum fuisse, credamus. Prob. 201. & 202. Ann. 1350. Prob. 203. Helwich. prodr. Annal. Worm. p. 38. Item Bruschius &c.

TEODORICUS I.
EX BAVARIS DE BOPPARDIA,
EPISCOPUS WORMATIENSIS
XLI.

Lacera multisque insuper debitorum oneribus pressa, squallebat post Salmanni obitum, Wormatiensis Ecclesia; hinc qui eam ambiret Candidatus vix aliquis adfuit. Itum nihilominus ad sacra comitia, & de creando novo Antistite liberis suffragiis agi cœptum; quando Theodoricus de Boppardia, mira animorum consensione, vel invitus ac reluctans ad dignitatem illam promotus fuit. Ann. 1350.

Egregia Electi indoles, quam ex avita stirpe hauserat, nec non multo rerum usu obfirmatus ejus animus, magnam passim de ipso spem fecerant; Verum inter faustas acclamationes subortæ graves turbæ, nascentem felicitatem non parum attriverunt, cum enim ad extinguenda, quæ Prædecessor ejus multipliciter contraxerat, debita, exactiones in Clero præsumeret, hic autem, vigore pacti jam aliàs conventi, quicquam dare recusaret; collisi inter se, magnum excitavêre dissidium, parti utrique tanto funestius, quod eo in rem suam usi Cives, non modo sacram Theodorici Jurisdictionem, sed & quam Principis nomine habebat in urbem, cœperunt impetere. Vid. Prob. 126.

Monuit quidem factiosos Theodoricus, ut fidei, obsequiique memores, finem imponerent audaciæ; Verum, ubi se nihil hac ratione obtinere videret, universum cum populo magistratum anathemate percutere non dubitavit; dumque Clerum omnem unà secum ex urbe rebelli abducere pararet, restitit hic, simulque in Caroli, qui tunc forte Norimbergæ morabatur, Imperialem tutelam se se committens, rogavit: quatinus Episcopo autor esse Ann. 1355.

velit, ut pacis potius quam belli consilia agitaret totique Diœcesi restitueret tranquillitatem, quam sua culpa turbasset.

Prob. 204. Lehman. Chron. Spirens. nov. edit. pag. 706. Cæsar nimis credulus, nimisque in alienam invidiam facilis, non solum Cleri Wormatiensis postulatis benigne annuit, sed & urbem ipsam, cum qua haud ita pridem intimo se se fœdere junxerat, protectione sua, nec non singulari etiam favore dignatus est, varia ipsi tum concedendo, tum innovando privilegia, quæ falsis plerumque narratis subnixa, non poterant non vergere in damnum tertii. Ast ubi idem Princeps advertit malum hoc erescere in dies, jamque altius in intima Reipublicæ viscera se se abdidisse, quam ut facili negotio inde erui expellique posset, inhærente præsertim proposito ac juribus suis firmiter Episcopo, graviora veritus, totius controversiæ statum ad se Reutlingam deferri jussit, eumque illic in publicis Imperii Comitiis, de communi partium consensu, ipsemet arbiter constitutus, diremit, has simul Leges utrique præscribens, nimirum: ut Episcopus, nullum quidem in Magistratus ordine deinceps collocet, qui alterius præterquam Imperii, aut Wormatiensis Ecclesiæ, existeret Vasallus; è contrà vero, Senatus, Populusque Wormatiensis universa & singula tam Episcopi, quam & Collegii-Principis jura, libertatem, immunitates, & consuetudines, pro debito more, quemadmodum olim fecerant, sic & deinceps fideliter colant & promoveant, quin & adversus vim omnem strenue defendant, nisi forte cum Cæsare & Imperio ipsos invicem collidi contingeret. Præterea, populo sua restituat Episcopus, dum tamen interea arcem Stein, quæ ad belli hujus intestini sumptus faciendos oppignorata fuerat ab Episcopo, idem populus è Comitis Walrami de Spanheim, ære proprio redimat, Ecclesiæ Wormatiensis dominio reannectendum.

Ann. 1360. Prob. 205.

Pace in hunc fere modum composita, simulque sacris plene iterum instauratis, Præsul noster a creditorum molestatione haudquaquam exinde liber extitit; hinc grave æs alienum domesticâ parsimoniâ diluere aggressus, quod hæc non sufficeret, necesse habuit medietatem oppidi Ladenburg cum altera medietate arcis stein, supradicto Comiti de Spanheim in pignus extradere, donec de Summa XX. millium flor. ipsi fuisset satisfactum; probavit quidem contractum Clerus primarius, sed ita, ut nihil quidquam damni ex duobus illis locis perciperet, casu quo partes aliquando in mutuas inimicitias inciderent.

Prob. 206. & 207.

Ann. 1364. Prob. 208. Poterat Theodoricus ex hoc capite facile stare securus, dummodo ab intestinis motibus idem sibi ausus fuisset adpromittere. Verum, quo tempore, subditorum suorum saluti studens, villam Lummerscheim in oppidum erigere meditatur, diuturnam quasi exosa tranquillitatem Wormatia, rursum tumultuare cœpit; cum enim inter præscriptas compositionis leges, quædam non satis explicate relata fuissent in Tabulas, novi dissidii causas non difficile fuit vel ex hac saltem formula arcessere, per quam Imperator jusserat: Populo sua restitui; ablata spolia hauddubie subintelligens, prout in ejusmodi conventionibus non semel stipulatum legimus; quod si id Cives de surreptitiis privilegiis suis forsitan interpretati sunt, quomodo simul videri poterant, juxta ejusdem Cæsaris præceptum, jura tam Episcopi, quam & Cleri, colere & venerari?

Nova igitur hac provocatus injuriâ Theodoricus, dum arbitrio suo fieret satis, urbem totam excommunicationis sententia notavit; tum, iter arripiens in Bohemiam, illic Carolum convenit, petiitque ab eo instanter, velit cuncta

cuncta privilegia ac rescripta, quæ Prædecessores ejus Henricus, & Richardus Reges, perturbatis temporibus Ecclesiæ Wormatiensi concessisse ostendebat, nunc sua quoque autoritate rata habere, singularique diplomate a novo stabilire. Annuit juste postulatis Cæsar; quin simul ob præclara ac multiplicia Antistitis in se obsequiorum merita, prioribus novas gratias super adjiciendo, Ecclesiam Wormatiensem non solum in protectionem suam recepit, sed & universis per Imperium Principibus, Comitibus, aliisque præpotentibus Dynastis injunxit seriò, quatenùs tam Episcopum, quam & Clerum Wormatiensem contra adversa omnia, nec non quorumcumque impetitiones strenuè defenderent, ac tuerentur. Prob. 209. & 210.

Verum Theodoricus, excelsi quantumvis animi vir, ceu mala jam superaverant, ceu eorum plane pertæsus, Ecclesiam tot curis ac molestiis obnoxiam a se abdicare cogitavit; dumque hæret in proposito, ad Metensem, tunc Ann. 1365. oportune vacantem, sorte meliore, translatus est, Anno MCCCLXV. spectavitque deinceps è longinquo, quamvis non sine quodam animi sensu, miseriam Ecclesiæ derelictæ. Obiit vero Anno MCCCLXXXIV.

JOANNES I. SCHADLANDT, EPISCOPUS WORMATIENSIS. XLII.

NOtior erat URBANO V. Pontifici afflictus Ecclesiæ Wormatiensis status, quam ut eum dissimulando præteriret; quapropter, suprema sua usus potestate, nec non paterna simul motus solicitudine, moribus ac consiliis providum ipsi pastorem quærens, alium JOANNE SCHADLANDIO, ad munus hoc obeundum, aptiorem nullum reperit, quod is, Ordinem S. Dominici Professus, haud alio duce, quam virtute ac ingenio ad varias Ecclesiasticas dignitates sibi gradum jam fecisset.

Fama ubi pervolavit Wormatiam, venire nullis lectum suffragiis, sed uno Pontificis judicio creatum Episcopum, subiit mox Canonicorum animos gravis indignatio, ereptum sibi, nunc vice altera, antiquum jus comitiorum conquerentes; insuper virum sibi obtrudi, cujus ignoti, aut certe obscuri natales; nec enim in hoc attendi meretur Trithemius, qui ex inverso SCHADLANDII Chron. nomine, LANDSCHADIUM procudit, atque adeo hujus stemmatis Nobilibus, Hirsaug. qui tunc temporis arcem Steinach ad Nicrum insidebant, ut perperam, sic te- nov. edit. mere, eundem Præsulem nostrum adscripsit. tom. II. pag. 249.

Verum; seu sponte, seu coactè, seponenda fuit proposita Electio, & reci- Ann. 1365. piendus in Antistitem, quem Litteræ Apostolicæ designabant, hoc infeliciore omine, quod Schadlandius Hildesheimensem Ecclesiam, ad quam simili modo haud ita pridem fuerat promotus, Panico quodam timore correptus, deseruisset;

fuisset; illius enim Regimen auspicaturus, dum ubi bibliotheca servaretur, inquirit; deductusque a Canonicis ad armamentarium, audiisset asservatas illic omnis generis machinas bellicas, Bibliothecam illam, & Libros esse, quibus cum hactenus eorum Præsules Civitatem ac Diœcesim suam in fide & subjectione debita servassent, noluit Præsul, pulverem scholasticum, quàm militarem, ferre assuetior, dignitatem tot curis ac anxietatibus expositam, sibi retinere diutius, sed propriæ quietis amantissimus, hanc alibi censuit investigandam; Quod utinam? non Wormatiæ; ubi convulsa ac prope attrita Episcopalis autoritas, virum postulabat animi imperterriti ac excelsioris, qui eandem in pristinum statum componendo, non impune sic abire passus fuisset tumultuantis oppidi insolentiam.

Verum aliter jam erat in fatis; & Joannes noster, multum sibi visus est fecisse, dum lassatis diuturno dissidio animis, atque in mutuam concordiam ultrò inclinantibus res citra armorum extrema, ad arbitros, de communi consensu, delata fuit; cœptum itaque pacis negotium RUPERTUS Palatinus junior, Bavariæ Dux, nec non unà cum ipso MOGUNTIÆ & SPIRÆ Civitatum
ANN. 1366. LEGATI, in se susceperunt, ac demum Anno MCCCLXVI. his ferè con-
Prob. 211. ditionibus ad exitum perduxêre: Penes Episcopum, aut ejus substitutum, potestas esto, cooptandi in Senatum, viros ex Ordine Equestri VI. Sed qui simul Civitate donati sint. Item; deligendi quotannis die Festo S. Martini, Prætorem Urbanum, reliquosque huic adjunctos judices, quemadmodum & Cives XVI. ex XXIV. ad hoc propositis, nec non Cives alios probæ notæ IV. quibus omnibus inter Senatores, cum notissimis aliàs novem-viris, locus detur; Quoties autem Magistratus, pro more recepto, innovandus esset, si Episcopus absens sit, id faciat per delegatum suum, sive is Clericus sit, sive Laicus; si sede vacante, rem procuret Collegium-Princeps. Præterea conventum fuit, ut fœdera, seu armorum societates a Civibus Wormatiensibus initæ, seu deinceps ineundæ, nunquam tendant in præjudicium Episcopi, aut Ecclesiæ suæ, sed excipiantur singulatim ubique, notanter in perpetuo illo fœdere quod Moguntia, & Spira, Civitates, cum Wormatia nuper contraxerant. Stipulata deinde in favorem Episcopi, nec non Cleri universi publica securitas tam realis, quam personalis, quin & a Teloneis & oneribus exemptio, dummodo fruges suas, & agrorum proventus, annuosque redditus ad usum habeant, non vero ad quæstum negotiationis aliunde sibi comparent. Actum insuper de Jurisdictione utraque, Sacra & Civili, ex æquo bonoque regenda, deque Emunitatum libertate illæsa semper servanda. Denique eadem hac Transactione, plena omnium offensionum, damnorum, ac injuriarum sancita fuit oblivio, & publicus sacrorum cultus simul instauratus, videlicet: posteaquam idem supradictus Præsul Magistratum unà cum Civibus, ritu solemni, ab Excommunicationis Sententia absolvisset, in quam occasione litium, ipsis per THEODORICUM, *tunc Wormatiensem, nunc vero Metensem Episcopum*, motarum, & deinceps, *continuatarum*, nec non *injuriarum Ecclesiæ Wormatiensi, & Clero, illatarum,* inciderant; ut habent ipsius Tabulæ desuper in suburbano vico Neuhausen editæ, ad diem ultimam mensis Januarii, Anni MCCCLXVI.

Prob. 212. Rebus in eum modum, ipso quin etiam probante CAROLO IV. Cæsare, compositis, alia mox imminere cœpit tempestas, sed quam implorata ejusdem Principis justitia dissipavit: dum enim, vigore certi cujusdam privilegii, RUPERTUS Senior

Senior Dux Palatinus, multa ſibi præſumeret, quæ in non leve Wormatienſis Eccleſiæ præjudicium tendebant, nec a propoſito facile videretur dimovendus, medium ſe interpoſuit Carolus, & jura utriusque partis elucidando, eas ab ulterioribus attentatis abſtinere juſſit. Prob. 213.

Sic ab externo illo metu liberatus Præſul noſter, domeſticam quietem pariter obtinere ſategit. At labor omnis in vanum ceſſit: nam Clerus, qui pertinaci hactenus diſſidio ſe ſe ab eo ſejunxerat, fiduciam ſuam omnem in ſupradicti Ruperti Ducis patrocinio collocavit, dum ex adverſo quæſita ab inquietis civibus nova litis materia, univerſum urbis ſtatum denuo turbare, nedum invertere videbatur; hinc ille, viribus ſuis diffiſus, noluit, ætate præſertim ad interitum vergente, novis moleſtiarum fluctibus ſe ſe committere, ſed Deo & ſibi extrema reſervans, Wormatienſem Epiſcopatum An. MCCCLXX, quemadmodum de reliquis fecerat, ultro abdicavit, mortemque Confluentiæ, quo ſe recepit, haud diu poſt, nimirum An. MCCCLXXIII. oppetiit, ſepultus ibidem in ordinis ſui cœnobio, hac tumuli inſcriptione: Ann. 1367. Prob. 214. Ann. 1370.

Hic jacet Dominus Joannes Schadland de Colonia Magister Theologiæ, Inquisitor Hæreticorum, Episcopus Ecclesiarum Culmensis, Hildesheimensis, Wormatiensis, et Augustensis, Ordinis Prædicatorum, qui Obiit Anno Dom. mccclxxiii. Kalend. Aprilibus.

ECHARDUS
A DERS,
EPISCOPUS WORMATIENSIS
XLIII.

Wormatiam vix reliquerat Schadlandius, cum nova de ſucceſſore ipſi ſubſtituendo indicta fuere comitia, in quibus poſtquam de præſenti Eccleſiæ ſtatu multum diuque diſſeruiſſent inter ſe Nobiles Canonici, tandem communibus ſuffragiis Echardum a Ders, avita illuſtrium majorum ſtirpe conſpicuum, nominarunt Antiſtitem, eumque Gregorio XI. Pontifici ſubmiſere probandum. Ann. 1370.

Commendabant inprimis Electum inſignes ac præclaræ animi dotes, quæ cum per omnes ætatis gradus, tum in ipſo novæ ſuæ dignitatis aditu vel maxime in eodem reſplenduerunt: cunctis enim ad ſolemnem inaugurationem rite diſpoſitis, dum ſibi contrarium expertus fuiſſet Senatum Urbicum, qui clandeſtinis cœtibus eò rem vix non perduxerat, ut antiquis illis prærogativis Epiſcopos ſuos deinceps exueret; non tulit injuriam Echardus, ſed eam condignis modis vindicare cogitavit. Verum, orto ſub idem tempus inter Rupertum Ducem Palatinum, & Walramum Spanheimenſem Comitem ex ratione juris pignoratitii in Oppidum Ladenburg, gravi diſſidio, Præſul noſter lenitate Rempublicam ſanare, quam ſeveritate exulcerare maluit, ne belli vis è vicinia, in univerſæ ditionis ſuæ gliſceret perniciem. Ann. 1371.

Turbidam diversis factionibus urbem haud parum recreavit hæc Principis sui in pacem propensio, statimque designati è civibus, qui eam peterent, nec redirent nisi impetrata; biduo disceptatum est Neuhusæ, tandemque
Prob. 215. conditionibus in Tabulas, utriusque partis consensione, relatis, Echardus Populum cum Senatu in fidem, eà dumtaxat lege, recepit, quæ juri successorum nihil derogaret. Sic optata tranquillitas rediit quidem, at simul evanuit: nam suo nunquam contenta plebs, quæ hoc se se effert magis, quo plura, eaque minime debita ei conceduntur, ubi primùm novi sui Præsulis animum probe perspectum habuit, liberius quam antea agere cœpit, eaque
Prob. 216. tum apud CAROLUM Imperatorem, tum & hujus Filium WENCESLAUM Regem privilegia identidem surripere, quæ Posteris irreparabili damno esse
Prob. 217. poterant; stabat enim Wormatia a summo Pontifice URBANO VI. adversus CLEMENTEM VII. in schismate electum, gratiamque Cæsaris & sensum inde assecuta, dissidere palam cum Episcopo, & ejus jurisdictionem modis omnibus convellere vix amplius formidabat.

Præterea; necdum in his circum Provinciis cessatum fuerat a tumultuariis armis; ita ut non Wormatiæ solùm, sed passim in urbibus seditio regnaret, deforis vero in agro cædes, & latrocinia impune quotidie patrarentur. Hæc ut ut magna calamitas, quæ omnes æque singulorum ditiones in certum trahere videbatur exitium, nihilominus prolusio dumtaxat fuit ad majorem: dum enim hinc Principes, Comites, & Nobiles, inde Civitates & municipia, icto inter se fœdere, de exstirpandis prædatoribus, publicaque securitate restabilienda consilium capiunt, & quæ verbis adinvicem sancte juraverant, factis probant; multi ex illis communi hac armorum societate abusi, non tam Patriæ vindices, quam ejusdem hostes evaserunt, ipsis prædonibus in hoc etiam pejores, quod arma subinde in proprios dominos vertere, ac ab ipsis per vim extorquere ausi fuerint, quæ æternum illibata remanere debuerant.

ANN. 1382. Talis & rerum Wormatiensium tunc temporis status erat, hoc magis deplorandus, quod impetui plus quam legibus tribuebatur. Unde posteaquam
Prob. 218. & 219. sanctissimo fœdere invicem adstricti summi Collegii Proceres, in tuenda libertate ac juribus suis strenue aliquamdiu adversus exteros desudassent, regia ad hoc Wenceslai autoritate potissimum usi, qui, ut faciliore negotio
ANN. 1384. rem gererent, etiam vicinorum Principum, ac Comitum auxilium ipsis prom-
Prob. 220. ptum esse mandaverat, graviora domi pericula experti sunt; quandoquidem Senatus, populusque Wormatiensis, turpis invidiæ stimulis agitatus, non solum primarii, sed & secundarii Cleri commodis palam obsistere, privilegia infringere, jura & libertatem omnem subvertere, quin & simul Episcopi jurisdictionem circumscribere, autoritatem aspernari, omniaque alia facere visus est, quæ apertam seditionem innuebant. Dissidii autem totius causa potior hæc obtendebatur, quod Clerus, cui præcipuus est ex vite census, vinum immune liberumque promeret, & quidem juxta mensuram antiquam, sibi a majoribus assertam, nec ullum, prout cives, vectigal inde Magistratui penderet. Verum, ut facile, Clerum ab his, cæterisque Reipublicæ oneribus probare immunem, cum præter juris communis præsidia, tot retro sæculis firmata, inveteratamque consuetudinem, nec non usum longævum, idem incorrupta Regum ac Imperatorum præcepta aperte satis demonstrarent; sic difficile, nedum impossibile fuit exacerbatos civium animos ad saniora revocare.

Qua-

Quapropter Epiſcopus cum Clero ſuo, quem in nupera Synodo adverſus pericula obfirmaverat, datis ultro citroque dextris, ad præſidia mature ſibi comparanda circumſpicere cœpit, ut morienti in urbe, tum ſummæ poteſtati, tum Eccleſiaſticæ libertati oportunum ferret remedium; & ſiquidem Wormatienſes in tuendis, quæ ſibi adverſum fingebant, juribus, ad Privilegium Caroli IV. de augenda ſeu minuenda pro libitu menſura vini, ipſis ſolis conceſſum, & a Wenceslao Rege filio haud ita pridem, anno videlicet MCCCLXXVIII. Norimbergæ confirmatum, aſſidue provocabant; placuit Regem hunc, qui tum forte Moguntiæ agebat, adire per Legatos, atque ex ipſomet rei tunc maxime controverſæ veritatem ſciſcitari, expoſito ſimul periculoſo Eccleſiæ ſtatu. At ſurreptitium eſſe privilegium incunctanter teſtatus eſt per publicum diploma idem Wenceslaus, cum ſuæ mentis ac intentionis neutiquam fuerit, decernere aut largiri quidquam, quod in Eccleſiæ Wormatienſis præjudicium tenderet, proinde omnes ac ſingulas ejusmodi damnoſas conceſſiones, quas tam a ſe, quam & a parente, nec non cunctis eorum prædeceſſoribus, Romanorum Regibus, cives quocumque demum modo obtinuiſſent, irritas declaravit & inanes; datis inſuper tam ad ipſos quam & eorundem Senatum litteris reprehenſoriis, per quas ſerio utrosque ſimul adhortatus eſt, redirent ad officium, nec fœdo rebellionis crimine ſe polluerent, ni cunctis privari privilegiis, quin & ſua, imperiique gratia velint excidere.

Collect. Concil. Germ. inedit. Prob. 221.

Prob. 222. 223.

Poterat certe hiſce Tabulis Eccleſiæ Wormatienſi ſufficienter cautum videri: verum eò jam eruperat præceps factioſorum cœtus, omnia ut legum vincula, monita, & juſta imperia excuteret, nihil de contumacia remitteret; dum interea Magiſtratus, jure ſibi privatim conſtituto, publice edici juſſit: quandoquidem Clerus nollet ab antiqua vini menſura abſiſtere, & impoſitum perſolvere vectigal, ne quis civium, aut advenarum ſibi deinceps vinum ab eodem coëmat, dictata in contravenientes gravi pœna, quos & vaſis fractis, aut amiſſis, dura inſuper manebant verbera. Nec contumeliarum ſatis; ſed in cœpto pergens immoderatius Clero ſuas in faciem contradicere immunitates, quin & magno Germaniæ malo, pejoreque vicinorum exemplo, exilium eidem imperare auſus eſt, ni intra triduum proxime ſequentem ſibi fidelitatis Sacramentum dicat; quod poſtremum facinus ubi univerſæ plebi, ad æris campani ſonitum congregatæ innotuit, facies non abſimilis fuit captæ ab hoſtibus urbis, ſiquidem inſultare ordini ſacro, jam inter minima reputabatur.

Tantæ, tamque atrocis injuriæ dolor Epiſcopum fortiter quidem ad vindictam ſtimulabat, promptiorque in ea exequenda fortaſſis exſtitiſſet alius. Verum conſilia pro viribus capienda ſunt. Quapropter, ubi Echardus noſter civium animos in ſe, atque Clerum univerſum ita comparatos intellexit, ut legibus ad mitiora impelli, vel jure ab injuriis revocari vix amplius videretur poſſibile, trinam ex Canonum præſcripto, monitionem præmiſit, qua toties ſpreta ac neglecta, tandem toti civitati ſacris interdixit.

Accendit hæc ſententia civitatem magis, quin & perditiſſimis quibusque temeritatem addidit, ita ut, confuſa Religione & Templis abdicatis, non niſi horror vicos & compita occuparet, quando interea Bernæ, in judicio Cæſareo, lis inter partes deſuper agitata fervebat quam vehementiſſime; jamque unum, alterumve mandatum inde emanaverat, quibus juſſi cives omnia in integrum reſtituere, damnare novitates, ejectum, ſeu metu dilapſum Clerum revocare in urbem, & quæ alia ejusmodi plura cauſæ poſtulabat æquitas. Verum, cum hæc omnia obduratis animis, ac ſurdis auribus exciperent, ſub-

Ann. 1386.

Prob. 224. ſubſecuta eſt gravis centum millium marcarum auri mulcta, quæ pervicaces terruit quidem, non fregit, nedum effecit quominus perrexerint in ſeditione & tumultu, eum ſiquidem, ceu meditato clericalis nominis odio adducti, usque in ſuburbanum vicum Neuhauſen extendentes, locum Eccleſia collegiata inſignitum vix non deſtruxêre funditus. Rem totam, ejusque funeſtas ſequelas anonymi cujusdam Synchroni verbis hic juvat referre.

„ Anno Dom. MCCCLXXXVI. die prima Martii, quæ fuit Feria VI. „ante *Eſto mihi*, Wormatienſes cum vexillis & armis de portis erumpunt, & „inſultu magno invaſerunt Oppidum Eccleſiæ S. Cyriaci, omnesque Cleri„cos, quos invenerunt, peſſime tractaverunt, vulnerando, percutiendo, „captivando, omnibusque ſubſtantiis eorum ablatis, captos ad Worma„tiam viliter traxerunt, & turribus furum mancipantes eos aliquamdiu de„tinuerunt. Ex Prælatis, Canonicis, & presbyteris capti ſunt numero „XXXVIII. de poſt, magna cohorte armatorum per campos, villas, & „oppida, Clericos quæſiverunt, & quos habere potuerunt, quaſi malefacto„res Wormatiam duxerunt, inſuper Ruſticis pecuniam ſe daturos promitte„bant, ſi Clericos adducerent captivos.

Siſtere furentem usque & usque populum, ac ſimul frænum ei injicere
Prob. 225. jam dudum ſuaſerat juſtitia, quando hinc Urbani Pontificis, inde Wenceslai Regis mandata utrumque tandem effecere; verum quod reductus ſub ferulam idem populus haudquaquam docilis evaſerit, prout certe in votis fuerat, præmatura nimiùm Ruperti Palatini Comitis junioris commi-
Prob. 226. ſeratio, cauſa fuit: is enim, pro eo, quo erga vicinos Wormatienſes ſemper affectus exſtiterat animo, ut imminens averteret exterminium, ipſos non ſolum cum Epiſcopo conciliare ſtuduit, ſed & ſimul autor fuit, ut hic, unà cum Clero ſuo, pro perſecutoribus intercederet, quatenus a duplici proſcriptionis & excommunicationis nexu ſolverentur; pace interea ad ſexennium inter ipſos conſtituta, quæ, habitis ultro citroque colloquiis, tum & ſimul intervenientibus Henrico Comite de Spanheim, nec non Moguntiæ,
Prob. 227. & Spiræ Civitatum Legatis, in has præcipuùm leges coaluit: Commune Sacramentum, de ſervanda pace hac temporaria, utrique parti dictatum, quotannis die Feſto S. Martini Ep. innovetur. Quo toto tempore tam Epiſcopus, quam & Clerus, vinum ſuum amplioribus congiariis, ſeu juxta antiquam menſuram promendi, liberam habeant facultatem, idque annis ſingulis per VII. hebdomadas continuas, ordiendo a die Paſchalis, ultra quem terminum, amplioribus illis congiariis non niſi erga ſe invicem ac domeſticos ſuos, contractioribus vero, ſeu nova menſura erga quoscumque utan-
Prob. 228. tur, vectigal nihilominus inde perſoluturi. Præterea per Tabulas ſeparatas utrumque conventum fuit, quod Clero cenſus, bona, aliaque ablata ſpolia, Epiſcopo autem, notanter arx Dirmſtein cum attinentiis, reſtituerentur, aſſerta captivis etiam priſtina libertate abſque lytro.

Pacis hujus conditiones, licet Præſuli, jurium ſuorum ſervantiſſimo, minus arriderent, attamen tolerandæ fuerunt, ne forte ſua culpa videretur turbis locum feciſſe diutius; quin & ipſos inſuper initæ compoſitionis arbitros, novis beneficiis devincire oportuit. Cum enim Simon Spanheimenſis Comes acquiſitum aliàs a Walramo Fratre jus pignoratitium ſuper
Ann. 1387. Ladeburgo Oppido, nec non arce Stein, certis conditionibus in Rupertum Seniorem Palatinum Ducem tranſtuliſſet, adhibuit neceſſarium conſenſum
Prob. 229. & 230. Echardus, quà loci utriusque Dominus, idque viciſſim inde promeritus eſt, quod idem Princeps Eccleſiam Wormatienſem in ſuum receperit patrocinium,

nium, conveneritque simul, quo pacto de controversiis, si quæ inter ipsum, & Episcopum deinceps orirentur, per amicabiles compositores disceptari, cognoscique oporteret.

Huic singulari præsidio accessit & generale aliud, quo Respublica universa tutior imposterum stare videbatur. Nam communibus tam Cæsaris, quam & Optimatum suffragiis, certi quidam per diversas Germaniæ Provincias constituti fuêre judices, qui accepta a circumvicinis Terrarum Dominis potestate, horum Clientes ac subditos indiscriminatim omnes vocare possent in judicium, quoties de vi, aut injuria quæstio esset. Tali autem officio cum forte per universum Rheni tractum fungeretur EBERHARDUS ex Pincernis de ERBACH, accidit ut Cives Wormatienses Prymiam amnem, qui vicinum præterlabitur vicum Neuhausen, in suos usus totum vertere intenderint. At lite mox desuper pro parte loci hujus Canonicorum apud prædictum judicem contestata, ejusque simul implorato auxilio, Wormatienses a male cœptis desistere, cursumque rivo ordinarium, in quo juris nihil prorsus haberent, coacti sunt relinquere; sententiam probante ipsomet Wenceslao Cæsare, per præceptum datum in arce Carlstein An. MCCCXCI. ANN. 1391. Prob. 231.

Infelix ille successus non obstitit quominus Cives anno proxime sequenti ad ingenium redierint, verbisque ac opere in Clerum omnem debachati fuerint; hinc, ne nova exsurgeret tempestas, pactæ nuper cum ipsis in sexennium induciæ, patientius magis, quam æquius, juxta priorem compositionem, prorogandæ fuerunt. Etenim, tribus, & opificum collegia, discussa sæpius, tolerata demum, usque adeo viris, opibus, quin & numero inter se aucta, jam excreverant, eorum ut potentia non Episcopo solum, & Clero, sed & ipsi quoque Senatui esset formidini; quapropter, iis dejiciendis, nec non civici regiminis honoribus excludendis, novum sumptum fuit consilium; quod ubi palam innotuit, tantos in urbe motus excitavit, idem ut Senatus nihil habuerit propiùs, quam cum ipsis redire in gratiam; itaque, inter varias mutuæ reconciliationis conditiones, hæc fere præcipua fuit; videlicet: quod deinceps annis singulis die S. Martino sacra, delecti ex XXIII. Tribubus totidem probæ notæ viri, Episcopo, juxta morem antiquitùs præscriptum, exhiberentur, quos inter ipse pro arbitrio suo XVI. desumeret, in ordinem senatorium aggregandos. Prob. 232. Prob. 233.

Supererat; ut municipales hasce leges perpetuùm valituras, suo quoque calculo probaret Episcopus, siquidem, salva ejus in cunctis superioritate, conditæ fuerant; id quod ab Echardo nostro, utpote pacis togæque, non armorum amico, impetrare haudquaquam fuit difficile; fecit igitur quidquid in hoc Senatus populusque ipsum prece supplici rogaverat, quin & ejus exemplum, haud diu post, etiam Clerus imitatus est, dum ad sublevandam Civitatis inopiam, diluendumque æs alienum per tot bella & seditiones, in propriam licet perniciem excitatas, contractum, gratiose nihilominus indulsit in proximum sexennium, ordiendo ab Anno MCCCXCVI. ut extra ordinem, eadem qua ipse mensura, videlicet antiqua, solitus esset, vinum promerent. Quas autem malefida Gens, pro acceptis utrobique beneficiis, grates mox rependerit, audiamus. Diriguntur Legati anno proxime sequenti Pragam, qui a Wenceslao Rege peterent: siquidem Clerus juri suo circa mensuram, modumque vinum promendi, tandem ultronée cessisset, velit per præceptum statuere: ut Clerus idem, contractioribus congiariis, perinde atque cives, constanter deinceps utatur, ne novis contentionibus exinde locus aliquis fortasse detur; nec satis; sed insuper plenum Prymiæ amnis dominium, frustra hactenus tentatum, conarentur a Rege impetrare. Prob. 234. ANN. 1396. Prob. 235.

Prob. 236. 237. Curant utrumque sibi commissum legati sedulò, & fraude cuncta obnubilantes, Wenceslaum, tacite imo turpiter circumventum, inducunt ut postulatis annuat.

Ann. 1398. Prob. 238. Verum Cæsar, alia mox edoctus, factum Wormatiensium indigne tulit, & obreptitias illas concessiones, licet ipso jure nullas, singulari nihilominus diplomate rescidit, ac irritas declaravit, dum Clerus interea suum quoque indultum ab ingratis revocasse videtur; quandoquidem orta sub idem tempus inter nobiles Camerarios ex unà, & Senatum, populumque Worm. ex alterà, partibus, quæstione super antiqua mensura vini, seu amplioribus congiariis, quibus illi similiter, sed Feudi lege, gaudent, rem controversam Echardus, pro sua potestate diremit, & secundum Camerarios pronuntiavit. Prob. 239. Quin & summæ Ædis Præpositus major, ne quid suis quoque juribus aliquando decederet, ea quæ sibi specifice in Laniones, & macella publica, ab antiquo competebant, jussit per instrumentum tunc innovari; Prob. 240. quanquam jus hoc, cui ex simili dignitatis prærogativa, jus aliud in Pistores adnexum erat, nescio quo malo fato, successu temporis ad Magistratum translatum fuit.

Cæterum; quod Wenceslaus non spe solum, sed & intentione sua Wormatienses frustrasset, dum ipsorum secretas machinationes, quibus tam Episcopi, quam & Cleri juribus hucusque insidiari solebant, retexit, ac simul publice improbavit, factum est, ut data proxime occasione, ipso derelicto ac ejurato, in partes Ruperti Palatini, quem Germaniæ Proceres Anno MCCCC. recenter Regem constituerant, huicque etiam inter primos mutuo Ann. 1401. fœdere conjuncti adhæserint. Hinc altiores trahere spiritus, ac iteratis insultibus Episcopum suum lacessere ausi, dum in circumjacentes, ejusque jurisdictioni subjectas villas iram suam verterunt, quanquam mox facti pœnitudine ducti, Prob. 241. tum super his excessibus, tum super enata inde novi dissidii materia, in compromissum ultro venêre, & per arbitros invicem conciliati sunt.

Verum; hæ turbæ vixdum quieverant, cum vetus lis circa Cleri immunitatem, aliaque ejusdem privilegia, nonobstantibus tot majorum juratis Prob. 242. & 243. promissis, repetitis sanctionibus, statutis, legibus etiam publicis, quin & Cæsarum præceptis, recruduit; occasio nocendi apud invidos æmulosque semper in promptu est; unde eam quaquà via nacti Wormatienses, rursum in usus suos satagebant convertere: monuit quidem Episcopus, quin &, qui Heidelbergæ in proximo residebat Rupertus Rex, seriò & ipse hortatus est, velint quantocyus ab ejusmodi novitatibus, ac molestationibus abstinere; Ann. 1404. cumque nihil quicquam uterque sic proficeret, etiam mandata superaddere visum est haud certe contemnenda. At illi obstinatius hærentes in propo- Prob. 244. 245. sito, speciale è contra Anno MCCCCIV. in ipsa Christi nascentis vigilia Decretum tulêre, per quod omnibus ac singulis civitatis incolis, cujuscumque demum essent conditionis, vetitum fuit, aliud ante mensam, in mensa, & post mensam vinum propinari, quam ex quo vectigal prius pensum fuisset.

Echardus noster, cum vim ante Leges jam esse intellexit, eripere sese injuriis maluit, quam in oculis inimicorum obversari diutius; quare, sacris è rebelli urbe sublatis, ipse ad proximum vicum Neuhausen secessit, ubi tristem, ac ærumnosam vitam, haud diu post, Anno videlicet MCCCCV. die XIV. Maji, cum feliciore morte commutavit, sepulturam nactus Wormatiæ in Æde maxima.

MATHÆUS

MATHÆUS
DE CRACAW,
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
XLIV.

MATHÆUS, claris, ac nobilibus in Pomerania ortus parentibus, qui ab arce CHROCHOVE, aliàs CRACAW, Gentilitium nomen suum deducebant, studiis literarum, virtutumque apprime excultus, utrinque præstantes animi dotes retulerat, non minorem, quà sacræ paginæ doctor, in regendis tum Pragensi, tum Parisiensi, ac demum Heidelbergensi Academiis, laudem consecutus; cæterum, naturâ, & longo rerum usu factus ad negotia quævis fortiter regenda. Vid. Ludw. Script. Bamberg. Tom. II. p. 499.

His itaque argumentis spectata Mathæi virtus, ac industria, ECHARDO mortuo, Canonicorum Wormatiensium in se usque adeo convertit animos, ut, unâ omnes sententiâ, Antistitem eum postularint, quod primario Spirensi Clero tunc adscriptus esset, factum probante inprimis RUPERTO Rege, apud quem Cancellarii munere insuper fungebatur. ANN. 1405.

Certe, quam acri, vigilantique esset ingenio, statim sub Regiminis sui initia ostendit Mathæus; siquidem in INNOCENTIO VII. Pontifice, nec non RUPERTO Rom. Rege, æquos causæ suæ Patronos nactus, effecit ut dum ille, observatis prius per Joannem Wirceburgensem Episcopum quæ observanda fuerant, majoris excommunicationis sententiam profert, alter vero, juxta leges in Imperio receptas proscriptionem comminatur, fracti animo Wormatienses, quod solidam nullam rebellionis suæ causam producere valerent, in pacis conditiones, quas Rupertus ipsemet tulisset, se se tandem ultro submiserint. Lunig. Spicileg. Eccles. Contin. III. pag. 1302.

Rex, ut ut pacis omnis, ac concordiæ amans erat, litem totam cum suis instrumentis, ad se, de partis utriusque consensu, translatam, admisit quidem; ast ne quid nimium fortassis videretur hac in re præstitisse, si, quà summus in Imperio judex, simul arbitri officio functus fuisset, alium insuper controversiæ hujus peritum cognitorem sibi adsociari voluit; communi itaque voto venit pariter in compromissum JOANNES, domo NASSOVIA, ANN. 1407.
Moguntinus Archipræsul, totiusque controversiæ status amborum judicio relictus, hunc paulo post exitum habuit.

Actum primò de libera facultate invehendi, evehendi, quin & amplioribus congiariis promendi vina absque ullo tributo, quam Episcopus, & Clerus sibi ab immemoriali tempore vindicabant, eaque ipsis utrobique, juxta præcedentes sanctiones recognita, mansit in totum confirmata, nisi quod Senatus prece supplici obtinuit, ut quæ ipse circa vinum, contractioribus congiariis promendum, ordinaverat, hæc sibi per annos XXVII. continuos firma remanerent, abolito nihilominus ante omnia subreptitio illo, de quo superius egimus, Wenceslai Regis privilegio; sublata deinde ex simili immunitatis capite vectigalia, frumento, ac farinæ Clericorum imposita; tum, Prob. 246. Vid. ibid. Art. XXIIII.

quæ

quæ circa jus decimandi, nec non vineas, aliaque bona ſeu prædia, ſubortæ fuerant difficultates, ſimiliter complanatæ; quin & cives in exſolutionem cenſuum Epiſcopo, ſpeciali nomine debitorum, compulſi. Præterea Canonicorum ædes clauſtrales, & majoris Eccleſiæ immunitas, adverſus uſurpatores utrobique aſſertæ, ac ſuis, ut olim, limitibus circumſcriptæ. Inſuper conventum fuit, ut cives ædificia, quæ è latere ſummi templi erexerant, diruerent funditus, Epiſcopi nihilominus arbitrio ſtaturi, ſi ea ſic remanere aut dirui velit. Tum ſtipulatum ulterius, ut Epiſcopus poſt ſolemnem ingreſſum in urbem, Magiſtratui male uſurpatos honores indulgeat, ac confirmet hac vice dumtaxat; de reliquo ſacramentum tam ab ipſo, quam & civium univerſitate recipiat, præſtetque viciſſim juxta quod Prædeceſſor ejus Echardus noviſſime adhuc fecerat. Denique injuncta ſpoliorum reſtitutio, omniumque ſimul injuriarum oblivio.

Sic obrutus, non vero extinctus jacuit diſſidii illius, jam quaſi perpetui, fomes, quandoquidem ex ſubobſcuris, aut male intellectis pacti conventi articulis, quos deinceps non ſemel explanare oportuit, totidem ſcintillæ viſæ ſunt erumpere, quæ conglomeratæ invicem, nedum agitatæ fortius, novum poterant excitare incendium, ni illud Mathæi noſtri indeſinens cura præpediviſſet. Vigilandum itaque ipſi fuit, tum ut jus, libertatemque Eccleſiæ ſuæ ſervaret illæſam, tum ut Diœceſis ſuæ ſtatum, multiplici diſcordia haud mediocriter turbatum, ad quietem revocaret, priſtinoque nitori reſtitueret; quo in duplici opere dum fortiter deſudat, ad Concilium Piſanum a
Ann. 1409. Ruperto Rege ablegatus finit, ne Cardinales illic congregati in exautorando Gregorio XII. pergerent. Verum ubi Præſul noſter nihil quidquam profeciſſet, inde receſſit, facta prius ulteriore ad ipſum Gregorium provocatione. Cumque Wormatiam redux difficili regimini denuò manum admoviſſet, tandem Anno MCCCCX. proxime ſequenti laborum ſuorum metam reperit;
Ann. 1410. ſepultus, poſt obitum, in medio chori ſummæ Ædis, ubi in lamina ænea hoc ejus quondam legebatur Epitaphium:

Anno Domini mccccx. mensis Martii
Die v. Obiit venerabilis Pater Dominus
Mathæus Wormatiensis Episcopus, et Sacræ
Theologiæ Doctor insignis, cujus anima
Requiescat in pace.

Hinc erroris convincuntur, qui cum Onuphrio Panuino Mathæum noſtrum à Gregorio XII. in numerum Cardinalium cooptatum fuiſſe volunt, cum ejus Epigraphe nullam tantæ dignitatis faciat mentionem, nec ipſe uſpiam hoc titulo uſus fuerit. Falluntur inſuper, qui Trithemium, Bruſchium, aliosque plures Scriptores ſecuti, eundem Mathæum noſtrum natione Polonum, atque adeo Cracovia civitate oriundum contendunt; decepti in nomine Gentilitio, cujus originem ſuperius indicavimus; quin & Metropolis Trevirenſis adhuc Anno MCCCCXXX. majorem habuit Præpoſitum, Fridericum nomine, ex eadem hac nobili Cracoviorum gente progenitum.

Cæterum; varia exſtitêre Mathæi noſtri, ingenii monumenta, quæ interpaſſim recenſentur.

Dialogus de prædeſtinatione.
Dialogus inter conſcientiam & rationem.
Rationale divinorum operum Lib. VII.
De contractibus Lib. I.
De celebratione miſſæ Lib. I.
Epiſtolarum ad diverſos Lib. I.

JOAN-

JOANNES II.

A FLECKENSTEIN.

EPISCOPUS WORMATIENSIS.

XLV.

Laborabat graviore quam antea schismate Ecclesia; siquidem Conventus Pisanus, exautoratis GREGORIO, & BENEDICTO, Pontificibus, tertium, videlicet ALEXANDRUM V. ipsis substituerat, quando afflictum hunc rerum statum auxit utplurimùm Wormatiæ MATHÆI Præsulis mors; orto enim circa novi electionem periculoso inter Canonicos dissidio: duæ ANN. 1410. potissimum surrexère factiones, quarum una JOANNEM Moguntinum Archiepiscopum postulabat, altera THEODORICUM DUGIL, summæ Ædis Wormatiensis Præpositum efferebat; tandem in tertium vota ac suffragia feliciter conferentes, unus omnibus placuit JOANNES a FLECKENSTEIN, quod in ipsius Wormatiensis Ecclesiæ sinu educatus, multisque insuper tum corporis, tum animi dotibus conspicuus, majorem, quam reliqui, de se spem excitasset.

Præreptam sibi dignitatem ægerrime tulit Moguntinus, atque, ut erat ad vindictam proclivis, modis omnibus efficere conatus est, ne æmulus eâ quietè saltem frueretur; quapropter angustiatis Civium Wormatiensium conscientiis, ac si durante duplici illo schismate, quod tum ex recenti Regis RUPERTI obitu, tum ex continuata inter Pontifices pertinaci dissensione, Imperium, simul & Ecclesiam universam tunc affligebat, non liceret ipsis electum hunc suum admittere in Antistitem, utpote non confirmatum, nec rite a quoquam etiam confirmandum, prius quam utrobique restituta foret pax & concordia, eò rem perduxit, ut Joannes noster, licet GREGORIO XII. jam probatus, urbe sua, nec non juribus sibi in eandem competentibus fuerit exclusus.

Accersit coram se Magistratum Joannes, qui hæc inter, Neuhusam, Anonym. proximum vicum, secesserat, precibusque miscens imperium, hortatur ut Chron. omni ulteriore mora seposita, aditum sibi, pro veteri consuetudine, in ur- Worm. & bem patefaceret, nevè contra majorum instituta, & legum autoritatem Act. veter. quidquam præsumeret aut usurparet, verum ubi eum verba dare àdvertit Civit. Worm. Episcopus, nihilque interim agi, quin potius jussa sua palam contemni sen- M. S. S. sit, rei indignitate commotus, Cives cum Magistratu anathemate perculsos, sacris interdixit, clerumque omnem urbe jussit excedere.

Malum hoc, postquam aliquantùm longius processisset, quum Moguntinus Archipræsul fortassis præviderat, propriis nunc ipse agitatus conscientiæ stimulis, vicemque fluctuantis Ecclesiæ Wormatiensis simul miseratus, ei consultum ivit; interveniente enim unà secum LUDOVICO Palatino Duce, ANN. 1411. partes, quas dissidii tædere cœperat, ad concordiam hisce potissimum conditionibus redière. Spondent Cives pro se, simul & posteris, quod si quæ privile- Prob. 250. gia, litteras, decreta, aliasque ejusmodi chartas infra septennium proxime 251.

elapſum, a quibuscumque ſeu Regibus, ſeu Pontificibus, in Eccleſiæ Wormatienſis præjudicium forſitan impetraſſent, iis ſe ſe poſthac uſuros nunquam; promiſit vice verſa Epiſcopus, quod Magiſtratum illum novum, quem Cives, inuſitato prorſus violati juris exemplo, invehere ac conſtituere auſi fuerant, ratum habere velit, reſervato ſibi impoſterum jure, quo aliàs, prout hæc omnia Tabulæ deſuper Anno MCCCCXI. in vico Laudenbach confectæ, fuſius edocent.

Pace ſic reſtabilita, factioſisque in communionem Eccleſiæ receptis, Joannes ſolemni inaugurationis ritu, inſignique pompæ ſpectaculo in urbem introductus fuit. Aſt, quemadmodum in humanis fieri ſolet, plauſus hic,
Ann. 1414. ac gratulatio in alia omnia haud diu poſt abiit; nam quo tempore Præſul circa ſacra occupatus, numeroſam Synodum Wormatiæ celebrat, multasque in ea lites, aliosque abuſus laudabili conſilio tollit, religionis cultum è diverſo auget; cives à SIGISMUNDO, qui interea in Imperium ſublimatus fuerat, omnium privilegiorum, ac conſuetudinum, ſibi antiquitus, (ut quidem ajebant) competentium, confirmationem obtinuerunt; hac Cæſaris gratia ad res novas abuſi, quin & ſimul improborum adjuti conſiliis, litem movent Clero, poſtulantes: ut è vino, frumento, aliisque ſuis proventibus annuis vectigal civitati, perinde atque cives penderet; tum & in reliquis publicis oneribus cum his æquaretur. Prolata quidem ex adverſo fuêre, præter plurima Pontificum, Cæſarumque præcepta, etiam priſcæ novæque tranſactiones, & pacta, cum ipſis civibus inita, quibus de plena Epiſcopi, & Cleri libertate ac immunitate ſufficienter cautum videri poterat, ſed cum
Ann. 1415. hæc nihil quidquam efficerent, imploranda fuit Sigismundi juſtitia, quæ afflictis inceſſanter ſubvenit, quandoquidem Imperator non ſolum univerſa Eccleſiæ Wormatienſis jura, ac privilegia, edito in eum finem ampliſſimo diplomate, firma eſſe voluit; ſed inſuper LUDOVICO Palatino Duci in mandatis dedit, quatenus eorundem tenorem tueretur ac manuteneret pro viribus; denique etiam Prædeceſſoris ſui RICHARDI Regis ſingulare præceptum, novis Tabulis in eandem cum ipſo ſententiam confirmando Proconſulibus, Conſulibus, Civibus & Incolis Civitatis Wormatienſis, ſeriò idem inhibuit Sigismundus, ne abſque expreſſo conſenſu, licentia, ſeu voluntate Epiſcopi ſui, aliquas in prædicta civitate exactiones, ſeu angarias inſtituant vel imponant; dictata in contravenientes pœna quinquaginta marcarum auri puri.

(Chron. Kirſchgart. apud Ludw. reliq. M S S. Tom. II.) (Prob. 252. 253. 255.) (Prob. 254.)

Altero hoc animorum ardore in eum modum repreſſo, hæſit nihilominus adhuc in viſceribus malum, quin & pro re nata rurſum coëpit effervеſcere: nam Cives gravi iterum adverſus Epiſcopum concepta inimicitia, quod is jurium ſuorum, nec non Eccleſiaſticæ libertatis propugnator eſſet indefeſſus, foëdera externa arceſſere, viros nobiles perpetuis ſtipendiis conductos in Cleri perniciem acuere, munitiones publicas arbitratu ſuo etiam curare auſi ſunt, quando è contra Præſul noſter ſibi mature proſpiciens, tutiorem ſedem delegit Neuhuſæ, ubi nunc publicis litteris per Dioëceſim vulgatis, nunc tractatione partium inſtituta, nunc ſummi Pontificis minis & patrocinio cauſam ſuam conſtanter egit, cumque res nulla pro voto ſuccederet, in uno Ludovico Palatino ſpem ſuam deinceps repoſuit, & quidem tanto fidentius, quod circa notum aliàs juriſdictionis conflictum, nulla inter ipſos amplius verteretur quæſtio; hunc itaque Principem ut arctiore vinculo ſibi adſtringeret, non ſolum Comitum Spanheimenſium feudis inveſtivit, ſed & deſumptam ex S. Petri patrimonio medietatem locorum Dirmſtein, & Lummerſcheim, liberaliter ſuperadjecit.

(Prob. 255.) (vid. ſupra Part. II. in Client. beneſ.)

Hinc,

Hinc, in ulteriore proposito exequendo arctati Cives, remissius agere, ac demum pacis consilia, quæ CONRADUS III. Mogunt. Archipræsul, nec non supradictus Dux Palatinus, ipsis jam aliquoties suggesserant, cœperunt admittere, in quæ postquam & Joannes noster se se induci passus fuisset, de controversiæ summa factum compromissum, ut duobus illis ANN. 1424.
Principibus, tanquam arbitris causa mandaretur, qui ex æquo bonoque partis utriusque disceptata, transigerent; atque hoc modo optata rediit tranquillitas, pacisque Anno MCCCCXXIV. initæ opus, his potissimum conditionibus stetit: Wormatienses Episcopum suum fideliter colant, & tue- Prob. 256.
antur, ejusque commoda ac negotia provehant, juxta quod ipsis jam olim fuerat injunctum. Præterea, integrum eidem omnium suorum Teloneorum, vectigalium, censuum &c. usum ac perceptionem, nec non simul eorundem liberam dispositionem relinquant, idque per totum anni decursum. Insuper, sigillum rumpant ac annullent, quo ad negotia judicii sæcularis obfirmanda, perperam usi fuerant, abstineantque imposterum ab ejusmodi novitatibus. De reliquo, si quæ inter Episcopum, & ipsos, alia sint controversiarum capita, his per amicabilem compositionem modus imponatur, sin minus, supremo prædictorum arbitrorum judicio terminentur. Denique ad sopiendas Cleri, tam Primarii, quam & secundarii querelas, ex eo quod concordia per RUPERTUM Regem & JOANNEM Moguntiæ Archiepiscopum olim stabilita, magna sui parte eatenus remansisset absque effectu, injunctum fuit Senatui, populoque, ut omnia ac singula in eâdem contenta, sedulo ac incunctanter adimpleant, eorumque constantem observantiam, dicto ad hoc quotannis per singula opificum collegia sacramento, adpromittant.

His pactis denùo invicem conciliati Episcopus, & Cives, vix non in novas prolapsi sunt discordias: dum enim hi ad conventicula sua vastum moliuntur in urbe ædificium, ille vero, pro sua autoritate, id perfici vetat, exacerbati utrimque animi, mutuam nutrivêre diffidentiam, quæ sensim in odia degeneravit. Hinc factum est, ut Joannes noster invisam sibi Wormatiam posthàc vivus nunquam subierit, sed Ladeburgi sedem suam retinens, illic in ordinanda Diœcesi, quam pro temporum perversitate satis pacatam reliquit, dies suos insumpserit: evocatus inde ad superos Anno ANN. 1426.
MCCCCXXVI. die XVIII. Maji.

Huic Præsuli MARTINUS V. Pontifex per Bullam datam Anno Serrar. Rer.
MCCCCXIX. die XVI. Augusti facultatem commiserat vetus S. Albani Mogunt.
Monasterium juxta Moguntiam in Collegium Canonicorum sæcularium Lib. II.
commutandi; quod & rite perfecit.

EBERHARDUS III. DE STERNBERG. EPISCOPUS WORMATIENSIS. XLVI.

JOANNE fatis erepto, sedes haud diu vacua remansit, quandoquidem XI.
ANN. 1426. post obitum ejus die, qui in XXIX. Maji Anni MCCCCXXVI. incidit; communi suffragantium voto Episcopus Worm. renuntiatus fuit EBERHARDUS de STERNBERG in majoris Præpositi Spirensis munere tunc constitutus, qui præter generis nobilitatem, præclaris exornatus fulgebat virtutibus, cujusque electione Cives non minus, quam Clerus, læti, diuturnam sibi pollicebantur tranquillitatem, in illud potissimum retrospicientes regimen, quod ortus ex eadem hac illustri progenie CONRADUS, olim posteris commendabile reddiderat.

Anonym. Chron. Worm. M. S. vid. supra in Conrado II. num. XXIII.

ANN. 1427. Verum; oblatam curæ pastoralis sarcinam vix senserat Eberhardus, cum propriis diffisus viribus, eandem post evolutos menses fere VIII. in Collegium-Princeps devoluit, priore sorte sua deinceps contentus.

FRIDERICUS II. A DUMNECK. EPISCOPUS WORMATIENSIS. XLVII.

ANN. 1427. Quo die EBERHARDUS Episcopatum a se ultrò abdicavit, alia mox, pro successore ipsi surrogando, dies præstituta fuit, quæ ubi illuxit, frequentes rursum convenêre Ædis primariæ Canonici, votisque inter se collatis, FRIDERICUM a DUMNECK, majorem suum Decanum, ad vacantes Infulas promoverunt.

Hic, ut erat vir in cunctis providus, nec non modestiæ prorsus singularis, attente considerans, quanti momenti causa esset, ubi de dignitatis suæ prærogativis ageretur, quamque vetera, ut pace sopita gravamina resuscitare periculosum; ingressum suum in urbem, non tam splendide, quam pacifice adornare studuit, variis obstaculis prudenter remotis, ne sub ipso regiminis sui exordio, refricta veteri cicatrice, controversias, quæ antecessoribus suis cum Wormatiensibus desuper fuerant, denuo agitare fortassis opus esset, quodque aliunde tempus jam appropinquaret, quo Senatûs innovatio, ex inveterata consuetudine haberi consuevit; maximis itaque omnium votis, faustisque acclamationibus exceptus, deducente ipsum selecta ac florentissima nobilitate, cum ad summi Templi porticum devenit, equum, cui insidebat, de more reliquit, & laxatis ei habenis in confertam plebem immisit,

Chron. Worm. M. S.

immisit, præda futurus primi occupantis; inde ad aram maximam progressus, ritu perquam solemni sacris operatus est, reumque captivum vita simul & libertate donavit.

Ab his ad publica conversus Præsul noster, Civitatem sacramento sibi obstrinxit, nec non solemni, usitatoque ritu in fidem recepit, ac demum ex præstantioribus civibus Senatum de more constituit; cumque, haud diu post, ratione pacti conventi quædam circa jus Teloneorum suboriri videretur difficultas, maluit eorundem administrationem penes ipsum remanere Senatum, modica pecuniæ summa sibi exinde quotannis ad dies vitæ reservata; dummodo id absque successorum suorum fieret præjudicio. ANN. 1430. Prob. 257.

Indixerat interea CONRADUS Archipræsul Moguntinus provincialem Synodum, die XII. Novembris anni præsentis MCCCCXXX. Aschaffenburgi celebrandam; huic postquam & Fridericus noster adstitisset, strenuamque in discutiendis, quæ Ecclesias Germaniæ tunc premebant, incommodis, ut Basileam ad generale Concilium deferrentur, navasset operam; inde redux, pari zelo in Cleri sui mores ac disciplinam intendit, simulque status monastici passim prolapsi, emendationem ursit sedulò; quo in utroque opere dum utiliter aliquamdiu detinetur, nuntiatum est SIGISMUNDO Cæsari, universum Senatum Wormatiensem, a Præsule violenter, & per seditionem fuisse dejectum; sed sparsum rumorem, quem malevolorum quorundam fraus hauddubie concinnaverat, ut Rempublicam turbaret, idem ipsemet Senatus continuò destruxit, dum & in notitia desuper scripto edita, simul publice testatus est, suam se se creationem unice debere, & acceptam referre Episcopis Wormatiensibus, quorum etiam nomine ac auctoritate justitiam, juxta præstitum sacramentum, administraret. Joann. Script. Rer. Mog. Tom. I. pag. 744. ANN. 1431. Prob. 258.

Hunc sinistræ fortunæ ludum, gravis mox exceptura fuerat tempestas, ni & ipsam protinus discussisset Friderici nostri vigilantia, armati enim in judæorum interitum rustici, agmine facto, vexilloque expanso, jam ante Wormatiam consederant, quando idem Præsul, Conradum Moguntinum, aliosque circumvicinos Principes in socia arma trahens, fœdam hanc hominum colluviem dispersit, ac a proposito absterruit; raptoribus, nec non bonorum invasoribus, qui sub idem tempus Clerum molestare cœperant, non minus formidandus, hos siquidem Patrum Concilii Basileensis autoritate suffultus, acerrimis iris ac justis pœnis ad officium redegit, & ab alienis abstinere docuit.

Similem fere Fridericus deinceps successum habuit, quoties etiam pacificatoris munere functus est, dum enim circa Hocheimense, Kirschgartense, nec non Franckenthalense, Asceteria aliquando occupatus, fluxam sanctimonialium vitam ad veteris Religionis normam, cultumque revocare, parat, nascentisque è contra Fischbacensis Parthenonis initia strenuè promovet, invitatus Trevirim, illic quinquennali dissidio, quod RABANUS de HELMSTAT & UDALRICUS de MANDERSCHEIDT, Archi-Episcopalem sedem illam ambientes, excitaverant, finem imposuit, possessione ejusdem priori adjudicata; quin & paulo post ortæ inter THEODORICUM Archipræsulem Moguntinum, & LUDOVICUM Palatinum Comitem discordiæ, arbiter constitutus, eos invicem conciliavit, effecitque ut pristinam amicitiam jungerent. Hinc, si cui alteri, certè Præsuli nostro gratum fuit, ex ipsomet EUGENIO IV. Pontifice intellexisse, Ecclesiam vid. supra Part. I. Brower. annal. Trevir. Tom. II. pag. 276. ANN. 1435. Joann. Script. Rer. Mogunt. Tom. I. pag. 749.

 Græ-

Ann. 1439. Græcam in Concilio Florentiæ, Anno MCCCCXXXIX. celebrato, post
Prob. 259. tot, tantasque dissensiones, ac schismata, cum Romana matre tandem convenisse.

Continuabant nihilominus interea Basileæ suas sessiones congregati ibidem ex diversis Orbis Regionibus Patres, jamque AMADÆUM Sabaudiæ Ducem, pro EUGENIO, Pontificem crearant sub nomine FELICIS IV. cum Legati Principum Imperii, ad Eugenium fuêre directi, duo ab ipso postulaturi: aut Nationis Germanicæ tolleret gravamina, aut certè sibi imputaret, si unà omnes ad æmuli transirent obsequium; verum, in Comitiis Franco-
Ann. 1441. furti Anno MCCCCXLI. celebratis Eugenii fautores, quos inter & Præsul noster haud infimum locum obtinebat, rem eò deduxerunt, ut, mutato consilio, unà omnes eidem Pontifici adhærendum duxerint, dummodo vicissim promitteret se se universale Concilium tempore oportuno celebraturum.

Helwich. prodr. annal. Worm. pag. 43. Prob. 260. Tranquilla imposterum Friderici nostri sic ivêre tempora. Nam quod Anno MCCCCXL. in novas cum Civibus suis turbas incidisse dicatur, id unicus sat recens scriptor, nullo aliunde suffultus testimonio, prodidit; quod si meo standum sit judicio, dicam; Præsulem, nunc Ladeburgi, nunc Heidelbergæ, ubi commodas ac spatiosas ædes comparaverat, a successorum suorum nemine alienandas, reliquum vitæ spatium in otio, & secessu,
Ann. 1445. transegisse, usque in annum MCCCCXLV, qui ipsi supremus exstitit. Sepultus Wormatiæ in ædium sacrarum maxima, sub hac Epigraphe:

ANNO DOMINI MCCCCXLV. DIE I. MENSIS MAJI.
OBIIT REVERENDUS IN CHRISTO
PATER ET DOMINUS. DOM. FRIDERICUS
DE DUMNECK. EPISCOPUS WORMATIENSIS.

LUDOVICUS
AB AST.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
XLVIII.

Ad electionem novi Antistitis simul convenientes Canonici, non unà omnium fuit animorum consensio: dum enim inter Candidatos aliquamdiu
Ann. 1445. fluctuant, suffragiisque invicem decertant, negotium usque eò protractum fuit, ut scissi tandem in duas Factiones, pars LUDOVICO ab AST, majori Præposito, pars BERNOLDO de WITSTAT, majori Decano, vacantem Episcopatum detulerit.

Hinc rixæ, ac dissensiones non exiguæ, quas postquam THEODORICUS Archipræsul Moguntinus arbitrali sua sententia in favorem Ludovici terminasset, nec tamen æmuli quiesceret Factio; ille graviora veritus mala, noluit Ecclesiæ statum sua electione commutari in aliquo, aut convelli;
sed,

sed, ut erat honorum aliunde parum cupidus, eidem sponte renuntiavit, postquam dies jam prope XL. regimen tenuisset, priore sua sorte contentus.

Ejus obitum refert Necrologium S. Martini Wormatiæ, in diem IX. Kalend. Septembris, quod idem Ludovicus, hujus quoque Ecclesiæ collegiatæ exstitisset Propositus. Ipsum autem in vivis desiisse Anno MCCCCLV. nobis aliunde constat.

REINHARDUS I.
A SICKINGEN.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
XLIX.

LUDOVICO dignitatem suam abdicante, renovata fuêre Wormatiæ de Successore ipsi substituendo consilia; eminebat inter competentes BERNOLDUS de WITSTAT, unusque priore Factione sua jam omnia posse videbatur. Ann. 1445. Verum, ubi actum de suffragiis; ad compromissum inclinavit meliorum sententia, hanc dum reliqui secuti essent; demùm REINHARDUS, Illustri ac avito SICKINGIORUM ortus stemmate, quem & virtutum dotes eximiæ præcunctis commendaverant, Vangionum renuntiatus est Episcopus.

Is, postquam Ehrenfelsæ, à THEODORICO Archipræsule Moguntino sub diem XXVII. Julii Anni MCCCCXLV. currentis, exquisito cæremoniarum adparatu, consecrationis munus suscepisset, non minore pompa ingressum in Urbem suam instituit, utrobique tam a Clero, quam a civibus, magna animorum significatione exceptus. Verum alia mox fuit rerum facies quando Reinhardus regimen aggressus est; nam altioris animi Præsulum exemplum sibi imitandum proponens, jura sua, si quæ solutiora videbantur, continuo adstrinxit, dubia, aut amissa sedulo perquisivit, certa valide propugnavit, ac ab iisdem ne latum quidem unguem recessit, unde, postquam aliquando Consules Wormatienses seu tædio affecti, seu pudore suffusi, Mich. Gasse. quod laqueum ab Episcopo suo petere tenerentur, quoties reus aliquis su- Chron. spendio plectendus erat, catenas minutissimas patibulo affigi curassent, Worm. M.S. ut vel sic, debitum circa hoc, officium eluderent; re nuntiata vocat ad se Consules cum Magistratu Præsul, gravique comminatione territos, monuit, ne simile quid imposterum auderent, ac se inscio & inconsulto, novi moris in Republica adsciscere aut inducere quidquam præsumerent; de reliquo, nec se, nec Episcopatum existiment usque adeo depauperatos, quin delinquenti etiam Consuli laqueum subministrare possint. Hanc autem temerariam jurium suorum præteritionem, perstringere se posse credidit tantò acriùs, quod non solum quæ domesticæ pacis, ac quietis erant, sed quæ insuper in publica commoda facere, aut quovis modo redundare videbantur, promovere non desisteret.

Equidem; pro ea, qua Præsul noster apud FRIDERICUM III. Imp. Ann. 1447. pollebat gratia, ac autoritate, obtinuit, ut subditi sui, cujuscumque status aut conditionis a Rotweilensi, cæterisque per Germaniam Dicasteriis decla- Prob. 261.

rati

rati fuerint perpetuùm immunes, dum simul apud NICOLAUM V. Pontificem effecit, ut quæ Prædecessor ejus EUGENIUS IV. ex mente Concilii Basileensis in LUDOVICI, OTTONIS, & STEPHANI, Palatinorum Comitum, nec non universæ Nationis Germanicæ gratiam decreverat, rata manerent
ANN. 1450. ac firma. Ab his, ad res concreditæ sibi Ecclesiæ progressus, initium duxit a Lobenfeldensi, Neuburgensi, & Liebenawensi sanctimonialium claustris, quæ multimode deformata, pristino Religionis nitori restituit, EBERHARDI Abbatis S. Jacobi, nec non PETRI a GENGEBACH Ord. S. Dominici, notæ virtutis ac probitatis virorum opera, quin ipsius etiam FRIDERICI Ducis, qui pro PHILIPPO, LUDOVICI prædefuncti filio, Palatinatum administrabat, autoritate ad hoc usus, dum, quæ veteris disciplinæ legibus rite imbuta, ac probe administrata reperit, seu virorum, seu virginum cœnobia, variis donis ac beneficiis affecit.

ANN. 1456. Evocatus inde Norimbergam ad Imperii Comitia Reinhardus, decretam illic adversus Turcas expeditionem, suo non modo probavit calculo, sed & insuper pro virili urlit. Ast, reducem graviora excepêre negotia; orto enim Moguntiæ inter DIETHERUM ISENBURGICUM, & ADOLFUM NASSOWIUM fatali dissidio, nec non Friderici Palatini adversus circumvicinos Principes pertinaci bello, licet has inter concussæ Germaniæ turbas Præ-
ANN. 1460. sul noster partium se intactum, securumque semper servaverit, attamen militum, per rapinas & incendia indiscriminatim sævientium manus, in totum cohibere non potuit. Hinc, pace utrobique tandem restituta, cujus & ipse sedulus fuerat promotor, steterunt multis Diœcesis suæ locis ambustæ Ædes sacræ, & desolata monasteria, quæ dum incredibili cura, ac liberalitate instaurare aggressus esset, simul corruptos ac dilapsos in iis cœnobitarum mores, ad meliorem normam composuit.

Pastorali hac distentus solicitudine Reinhardus, in ea quæ Principis
Prob. 265. erant, zelo non minore incubuit; nam, quo tempore statum suæ Civitatis ordinat, vacavit ex HESSONIS, ultimi suæ stirpis Leiningensium Comitis
ANN. 1464. obitu, tota illa ditio, quam is, more majorum, eatenus ab Ecclesia Wor-
vid. supra in matiensi tenuerat in Feudum, cumque Præsulis vires ad hoc non sufficerent
Client. be- ut eam, ab usurpatorum potestate liberatam, suo jugaret dominio, id de-
nef. Worm. & mum victricibus Friderici Palatini armis adjutus perfecit, assignata huic in
Prob. 266. præmium medietate omnium, sed indivisim, nec non feudi lege, etiam a posteris tenenda ac possidenda.

His ità peractis, Præsul noster interruptum reformationis opus, majore quam antea vigore resumpsit; siquidem eliminatis unà cum eorum Abbate, Franckenthalensibus S. Augustini Canonicis, quod recto tramite am-
Prob. 267. plius incedere nollent, alios melioris frugi, a Windesemensi Congregatione impetratos, ipsis substituit; similem Religioni uberius promovendæ materiam nactus in Urbe metropoli apud sanctimoniales divitis Conventûs, quæ eatenus S. Francisci Regulam fuerant professæ; demum in mores ac do-
Prob. 268. ctrinam Joannis de Wesalia, concionatoris famigeratissimi, altius investigans, quod is tum scripto, tum viva voce quædam sparsisset in vulgus,
Mich. Gassen Chron. Worm. M.S. quæ ex Hussitorum sentina videbantur deprompta, ipsum Moguntiæ in manus Inquisitorum tradidit.

Ver-

Vergebat hæc inter ſenſim ad ſenium ætas Reinhardi, placidaque optabat impoſterum quiete frui; quando ille rogatus a FRIDERICO Palatino Coloniam ſe transferret, illic RUPERTUM Fratrem Archiepiſcopum, & Clerum Primarium, invicem graviter diſſentientes, ſua prudentia compoſiturus; aſſenſit Præſul, ac pro ſuo erga Sereniſſimam Domum affectu, nihil non egit ut demandatum ſibi opus ad deſideratum finem perduceret. Aſt ubi labor omnis in vanum ceſſiſſet; conſcenſa nave, reditum ſuum adverſo Rheno inſtituit; quo in itinere haud procul Rodenkirchâ a viris armatis ad ripam vertere juſſus, rebus omnibus ſpoliatur, & unà cum ſuo comitatu in captivitatem abripitur. ANN. 1472. Schaten. Annal. Paderborn. Tom. II. pag. 711.

Audax, ac temerarium facinus graviter tulêre Palatini Principes, illudque condignis modis ulciſci non deſtiterunt, donec pars adverſa in præſcriptas ſibi compoſitionis Leges deſcendit, quas inter, ſtipulata Reinhardi noſtri libertas, ſimul cum integra ſpoliorum reſtitutione, primum locum obtinuit. Suis itaque redditus Præſul, vitæ reliquum in ordinanda Diœceſi, componendoque Reipublicæ ſtatu inſumpſit; hinc, ut Tribunalia ſua litigantium uſibus, ac fortunis, magis magiſque accommodaret, ſupremum illud quod in urbe obtinebat, novis ad hoc ſtatutis inſtruxit; ea ubique ac in cunctis autoritate uſus, quæ tantum virum decet; cumque ex divite patrimonio facultatibus abundaret, acquiſita ab OTTONE Palatino loca Hempsbach, Laudenbach, & Sultzbach pleno Eccleſiæ ſuæ dominio adjecit, hoc laudis amplius promeritus, quod vetus Palatium Epiſcopale, magna ſui parte nuper collapſum, ac ulteriores ruinas minitans, anguſtiore mole inſtauraverit. Prob. 270.

Obiit Reinhardus, Ladeburgi, Anno MCCCCLXXXII. cadaver, lugubri pompa, Wormatiam translatum, quieſcit in Oratorio S. Ægidii, quod idem Præſul ſumptuoſo opere a fundamentis excitaverat. Sepulchrale monumentum ex ære fuſum, ſimul cum ſequenti Epigraphe, abſtulit inde temporum iniquitas. ANN. 1482.

ANNO DOMINI MCCCCLXXXII. DIE XII. AUGUSTI. OBIIT REVERENDUS IN CHRISTO PATER, ET DOMINUS REINHARDUS, A SICKINGEN NATUS, EPISCOPUS WORMATIENSIS, CUJUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE.

JOANNES III.
EX CAMERARIIS DE WORMATIA.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
L.

ECcleſia Wormatienſis, per REINHARDI obitum, ſtrenuo, vigilantique paſtore viduata, nihil magis habuit in votis, quam ut viro forti ſolaretur, qui defuncti veſtigiis inhæreret; nec diu inter nobiles Canonicos deliberatum eſt; tanta enim JOANNEM à DALBERG, antiquiſſimo CAMERARIORUM de WORMATIA ortum ſtemmate, majorem tunc Præpoſi- ANN. 1482.

tum commendabant undique virtutum merita, cum omnigena eruditione conjuncta, sic ut a natura factus videretur ad munus hoc condigne obeundum, resque insigni cum utilitatis, ac gloriæ fructu gerendas.

Decreta itaque ad SIXTUM IV. Pontificem Legatio, quæ Electi confirmationem, ac simul veniam Legis illius impetraret, qua per ætatem Episcopus fieri vetabatur, necdum enim annum XL. attigerat. Cumque postulatis benigne annuisset Pontifex per duplicem bullam, datam die VII. idus Octobris, Anni MCCCCLXXXII. currentis, reliquum erat ut Joannes, more majorum, inauguraretur; verum multus ac splendidus ille cæremoniarum apparatus, quo urbem ingredi disponebat, in nihilum recidit, eò quod Cives sacramentum, juxta formulam ipsis a Præsule præscriptam, dicere nollent.

Res igitur dilata, ac protracta longius, sensim in litem versa est, sed quam demum, de communi partium assensu, per compromissum terminare placuit.
ANN. 1483. Arbitros sumpsit Episcopus: ITELIUM a SICKINGEN, Equitem, & JOANNEM STOLL Præpositum; dum Wormatienses, PETRUM SCHOTT, & ARNOLDUM HOLTZHAUSEN, illum Argentinensis, hunc Francofurtensis, Civitatum, Consules, delegêre; quod si in judicando diffideant, aut æqualibus suffragiis in partes abeant, LUDOVICUS ab HELMSTAT, Spirensium Episcopus, tanquam causæ supremus arbiter, sententiam ferat. Hi quinque, postquam temporis, quod controversiæ noscitandæ satis visum est, dedêre, sequens
Prob. 217. hoc, unanimi voto, protulerunt decretum, videlicet: Quod intra spatium IV. Hebdomadarum, Senatus, populusque Wormatiensis, die per Episcopum ipsis constituta, eidem, post solemnem ingressum, sacramentum dicant in Aula Palatii, in hæc verba:

„ Nos CONSULES, & SENATUS URBIS WORMATIENSIS, Reverendo
„ in Christo Patri, Domino nostro, Domino JOANNI, EPISCOPO WORMA-
„ TIENSI, hìc præsenti, fidem & obsequium nostrum perpetuo addicimus,
„ ac corporali juramento etiam firmamus; Ita nos Deus adjuvet, & omnes
„ sancti ejus.

Quo rite exsoluto, partes in mutuam redeant concordiam.

Verum, ex hoc compromisso concepta pacis spes, brevi aborta est; nam Senatus satis sibi conscius fore ut corrueret, præsidia sibi aliunde jam quæsiverat, quibus, acceptam arbitrorum judicio plagam, sarcire valeret; novis itaque insidiosi juris laqueis, & machinis, Episcopi prærogativas, alias ex aliis oppugnare cœpit, dum Populus, Dominum suum jure ac possessione urbis exclusisse parum ratus, longius progredi non erubuit, & vanam libertatem, sæpius frustra tentatam, nunc demum revocare per turbas molitus est. Stete-
Mich. Gassen rant, soli ex omnibus, pro Episcopo Monetarii, antiqua Ecclesiæ Ministeria-
Chron. lium propago, sed hos, ut in juribus suis multimode jam debilitatos, sic opibus
Worm. M. S. tunc penè exhaustos, facile fuit opprimere, ac unà cum uxoribus & liberis urbe etiam ejicere.

Fervebat interea Lis in Camerali Judicio inter partes agitata, jamque proppe in exitu esse videbatur, quando Wormatienses, juri suo ite-
ANN. 1489. rum diffisi, ut Joannem calumniis saltem subruerent, multa quæ concitati semel animi in pejus exaggerare solent, adversus eundem criminando detulerunt ad FRIDERICUM hujus nominis III. Imperatorem, effeceruntque
Prob. 273. occultis artibus, ut is Civitatem liberam pronuntiarit, & quidquid Episcopi inde hactenus exegissent, velut injusta spolia repetierit, cum tamen ignorare non

non poterat, eosdem Episcopos jura illa a multis retro sæculis possessa, inter prima dignitatis suæ Regalia numerasse, quin eas, quas, licet coacti, inierant cum Civibus conventiones, ipsosmet Cæsares plerumque habuisse ratas; unde cum hæc nimis essent in aperto; visum est Senatui subreptitium illud Friderici diploma adhuc aliquamdiu occultare, & fraudem in novæ fraudis reservare partum. Nec multum abinde temporis effluxit, cum oportuna se se ad hoc obtulit occasio.

Equidem; postea quam, multis licet nominibus, invisum sibi, Joannem nostrum, Cives coacti fuerant in urbem admittere, eique debitos exhibere honores, nova fere quotidie inter partes emersit contentionis materia, quæ dum simul Clerum involvit, versa est in generale dissidium. Hinc ubi primùm MAXIMILIANUS Rex, qui interea Friderico Patri in Imperio successerat, Wormatiam Anno MCCCCXCIV. delatus est, iter suum prosecuturus in Belgium, tanta se se mox utrimque prodidit querelarum copia, ut iis tunc, ob temporis penuriam, mature discutiendis aut etiam dijudicandis plane impar sibi videretur; Quapropter, causæ totius cognitionem usque in reditum suum differri placuit, partibus interea silentium observare jussis. Verum, huic Decreto haud adeo acquievit turbulenta Civium Factio, quin CONRADUM STURZELIUM, Regis Cancellarium, cujus benevolum affectum, ac animum, sibi prævie jam comparaverat, in alteram secum pertraxerit audaciam, effeceritque clam Episcopo, ut Friderici Cæsaris privilegium injuste, ac obreptitie quondam usurpatum, iisdem plane artibus, nunc demùm etiam fuerit confirmatum; si tamen confirmatum dici debet, quod ex se nullum erat.

ANN. 1494.

Prob. 274.

Non potuit hoc facinus tam tectè haberi, quin in aliqualem ejusdem notitiam Joannes non penetraverit; Quare, proficiscentem Regem, qui Moguntiam usque jam jam pervenerat, è vestigio assecutus, Litteras ab ipso retulit, quibus se se, simul cum Ecclesia sua, tutum satis adversus imminentia pericula credidit; Ast, ubi supramemoratum fatale instrumentum illud, dolo malo quæsitum, ad Wormatiensium manus pervenit, omnia momento susque deque versa fuère. Nam spretis pactis antiquissimis, violatis juribus, abrogatis Cleri privilegiis, nec non simul Episcopi autoritate proculcata, rerum novatores supremum in urbe dominium, summamque tum in causis decidendis, tum in puniendis delictis, potestatem sibi arrogarunt.

Episcopus, subita hac mutatione, cujus orignem necdum satis habebat perspectam, haud parum turbatus; quò facilius factiosos in ordinem redigeret, Regis, qui tunc forte Mechliniæ morabatur, auxilium simul & justitiam imploravit; nec frustra; siquidem Maximilianus ferias ad Senatum Wormatiensem litteras dedit, quibus turpem rei peractæ scenam intexens, hæc insuper mandata adjunxit, ut, turbis ac ulterioribus attentatis omissis, Episcopum, nec non Clerum, cunctis suis juribus ac libertatibus uti, frui, finerent; verum, quominus Regio huic Edicto factum fuerit satis, Cives ipsimet impedire conati sunt, dum omnia pro arbitrio suo agere, jam prope assueti, ipsum quoque exautorarunt Magistratum, eidemque alium propria autoritate substituerunt, prout id ex sequenti hac coævi Scriptoris observatione discimus.

Prob. 275.

Mich. Gassen Chron. Worm. M. S.

„Anno MCCCCXCIIII. die III. Octobris, Cives adunati sub pulsu campanæ,

„ *Wolfsklock*, convenerunt in Foro pellium, ante monetam novam, & præter
„ fas, absque scitu Episcopi, novum ordinaverunt Magistratum, Scultetum, Sca-
„ binos, &c. Sustulerunt etiam Judicium sæculare de loco consueto, quo
„ prius fuerat in Foro contiguum Curiæ Episcopi, & Consistorii, ad insolitum
„ locum, super *antiquam-monetam*.

Hac nova injuria provocatus Joannes, denuò ad Maximilianum recurrit, gravem Civitati, de violata jurisdictione, nec non supremi dominatus jure usurpato, actionem intendens; frequentibus itaque Episcopi desuper querelis, tum & propriæ autoritatis contemptu, Rex haud leviter commotus, partes ad se Antverpiam evocavit, ex æquo bonoque, aut Legum rigore, intestinum hoc, quod inter eas vigebat, dissidium compositurus. Adfuit tempore præfinito Præsul noster, dum ex adverso illuc loci etiam convenére quos Senatus pro civitatis jure, ac communi libertate niti jusserat. Causa coram Rege ipsomet, nec non plurimis, qui ei tunc aderant, utriusque Ordinis Principibus, ac Imperii Optimatibus, in medium prolata, diutius, & quidem magna utrimque animorum contentione actitata fuit; donec tandem plene cognita, nec non mature discussa, talem, communi omnium judicio, exitum habuit, videlicet: ut Senatus, Populusque Wormatiensis, Episcopum suum in eum reduceret statum unde excidisset; quandoquidem jus creandi Magistratum, insuper Rerum tam Civilium, quam & Criminalium cognitionem, supremum Tribunal, universam denique legum, atque judiciorum potestatem, ipsi soli antiquitus deberi, ac competere, certum esset; quod si idem ille Procerûm Conventus, detectis Wormatiensium artibus, auditisque Episcopi justissimis exceptionibus, iniquos actores etiam in temere captæ litis pœnam, ac simul expensas non condemnavit (cum, præter nocivam priscorum aliquot Antistitum indulgentiam, aut recti, tenacisque consilii inopiam, quibus factum est, ut hi aliquid de jure suo remiserint, nihil quidquam quod honori, ac tot retrò sæculis confirmatæ Præsulum jurisdictioni vel in minimo derogaret, allegare potuerint) visum fuerit hauddubie ad pœnam satis, dum, qui Regis nomine, pro Tribunali sedens BERTHOLDUS, Elector Moguntinus, sententiam de scripto protulerat, Wormatienses graviter ac seriò commonuit ne quid novæ rei imposterum capessere, aut contra Episcopum animo iniquo concipere præsumerent, nevè irritarent justitiam.

Prob. 276.

Verum surdis erat narrare fabulam; vix enim è Belgio reversus Maximilianus, convocatis Wormatiam Imperii Optimatibus, ibidem sub Anni MCCCCXCV. initium Comitia instituerat, cum tempus hoc suo oportunum proposito rati Wormatienses, conquisitis variis coloribus, multisque obreptitiis excusationibus moram ac tarditatem in explendis iis, quæ per nuperam sententiam jussi fuerant, ita palliarunt, ut Rex de concordia inter ipsos, & Episcopum, restituenda agere cœperit. Hinc variis altercationibus locus datus est, quæ nec Francofurti, nec Lindavii, nec Constantiæ, nec denique iterum Wormatiæ, quo Comitia de anno in annum successive prorogata fuêre, finem præconceptum receperunt, cum ipse etiam supradictus Archipræsul Moguntinus, cui Rex specialiter in mandatis dederat, omnem ut navaret operam, quò utraque pars dissentiens, pacis vinculo renodetur, mentes ita semper alienatas deprehendisset, ut malo mederi vix non desperaret.

ANN 1495.

Indicto igitur Friburgum Anno MCCCCXCVIII. generali Procerum Conventu, placuit Wormatiense negotium, incredibili impensarum magnitudine hucusque protractum, ante omnia sub examen denuò revocare, & pertinaci

naci contentioni modum aliquem imponere. Allatâ ad causæ cognitionem matura deliberatione, itum est unanimi voto in sententiam, jam aliàs desuper latam Antwerpiæ, significatumque Wormatiensibus, ut juxta ejusdem contenta, Episcopo pristina Jura ac Jurisdictionem omnem, insuper Clero veterem Exemptionem quantocyus restituant, ni velint communibus Imperii Legibus, seu armis ad id adigi; præterea innovatio Magistratûs, & quæ ejusmodi alia attentare præsumpsissent, ipsis sub pœna centum marcarum auri fuêre inhibita. Prob. 280. & 281.

Hæc proxime exceperunt Regis declaratio amplissima, tum & ejusdem Litteræ Encyclicæ ad Electores, nec non reliquos Imperii Principes in causa eadem; denique post monitoria diversa, etiam mandatum Severissimis ac minacibus conceptum verbis, in quo priora Wormatiensibus injuncta reïterabantur, additâ CC. marcarum auri pœna, ni prompte ac indilate obedirent. At illi hæsêre obstinati in proposito, quin & si qua vis major ingrueret, ad ultimum etiam casum se se compararunt, ea fronte, eaque libertate cuncta peragentes, ac si nullius dominio subjecti essent. Prob. 282. 283. & 284. ANN. 1499.

Tantam pervicaciam non tulit Episcopus, sed universum cum populo Magistratum Excommunicationis fulmine percussit, jubens insuper Clerum urbe rebelli excedere, & templis orisque relictis, oppida petere finitima; cumque nihil quidquam sic profecisset, potentissimum ipsiusmet Regis brachium implorare non hæsitavit, rogans siquidem sibi vires non essent tantæ, ut judicatum obtinere possit, suos conjungeret, nec in despectu se, & Imperium esse sineret. Maximilianus, qui, seu tædio diuturni dissidii, seu corrupti proprii ministerii persuasione, lentam hactenus in Wormatienses iram exercuerat; nam prioribus semper inhærens sententiis non nisi mandare & emandare noverat, ubi demum ex ampla relatione perspectum habuit jussa sua contemni, ac dolose eludi, graves rursum dedit Litteras, quibus eorum præcipue, quos pro Magistratu se gerere dicit, exaggeratâ inobedientiâ, tandem ad extrema venturum minatur, nisi suo, simulque Principum decreto quantocyus facerent satis. Verum illi, tot licet judiciis confossi, pristinam retinuere pertinaciam, eamque novæ audaciæ conjungentes, Litteras emisêre expostulatorias, quibus vim sibi fieri, & privilegia sua violari commemorabant, quin & in hunc modum a Cæsare ad singula Comitia provocare non destiterunt. Sic ut spretis juxta cœlestibus ac humanis minis, ea dumtaxat ipsis deesse videretur, ut si vel ima summis confunderent, non possent a quoquam in ordinem redigi. Prob. 285. ANN. 1501.

Cum ecce demum Anno MDI. feralis prodiit Sententia, qua Rei declarati, solemni ritu proscribuntur; at, quominus effectum suum incessanter obtinuerit, quorundam præpotentum Imperii Civitatum effecit intercessio; hæ enim sociæ urbi timentes, imminentem jamjam tempestatem, saltem ad sex menses ab eadem averterunt. Prob. 286.

Consternatis interea Wormatiæ seditiosis, cœperunt obstinati eorum animi aliquantum mitescere. Initis itaque, de ratione servandæ urbis consiliis; siquidem tempus præfinitum jam prope in exitu erat, placuit Norimbergam mittere nonnullos, qui omnium nomine Maximiliano supplices facti, rogarent simul veniam & pacem, nec non Episcopi se se voluntati in omnibus jam accommodasse asserent. Hæc autem non nisi in speciem ab ipsis gesta fuisse testantur Regis ejusdem Litteræ, quibus in male sana capita pro facinoris magnitudine invehitur, eisque indignabundus, dolos, fraudes, & mendacia aperte ex- Prob. 287.

probrat, quæ in rem suam ausi fuerant producere. Quapropter rigidæ in ipsos latæ jam sententiæ inhærendo, ultimum comminatur exitium, ni subito resipiscant. Hac irati Principis denuntiatione Cives ad incitas redacti, ut præsentissimo periculo se subducerent, tandem inflexam eatenus cervicem flectere didicerunt, & ne funditus interirent, Episcopo suo supplices àc obedientes facti sunt, eumque, prout jussum a Rege fuerat, omnibus honorum & observantiæ argumentis exceptum, simul cum Clero, in urbem introduxêre.

Hac triumphali scena in eum modum peracta, Joannes pristinum Wormatiæ suæ dominium reassumens, tumultuario Magistratu disjecto, alium ex integro rursus constituit, eumque debito fidelitatis & obsequii sacramento obstringendum in verba sua adegit. Dein, reliquis juribus suis undequaque, pari forma, instaurandis ac stabiliendis, nec non simul universæ Diœcesis, superiori dissidio quassatæ ruinis farciendis intentus, dum pacem ac tranquillitatem sperat, gravioribus quam antea turbis involvitur. Nam Cives metu liberati, ac rerum suarum nunc securi, quod laxata crederent vincula quibus adstricti
Ann. 1502. erant, beneficium mox in novam rebellionem convertêre, & ad pristinum reversi ingenium, Episcopo palam denuntiarunt, quidquid facere visi fuissent, id omne se se protestando fecisse; proinde magnis clamoribus, ac minis, jura, vanamque suam libertatem repetere non destiterunt. Sensit injuriæ atrocitatem Joannes, tulitque tanto impatientius, quod ad eandem condigne ulciscendam vires sibi deessent; hinc recta ad Regem denuò recurrens, postulat, ut juxta proscriptionis formulam adversus obstinaces nunc demum quam rigidissime procedatur, siquidem pro absolutis haberi nec possint, nec debeant, quamdiu ipsis imperata, eà qua parest fide, ac submissione, non adimplevissent; præsertim cum fraus nemini patrocinari debeat.

Certè; eò res denuò jam deducta erat, ut videretur proxime tota in caput ac perniciem sontium recasura, quando Præsulem strenuissimum mors im-
Ann. 1503. matura intercepit Heidelbergæ, Anno MDIII. die vero XXVIII. Julii, ac simul omne ejus propositum evertit.

Fuit in rumoribus Joanni aliquid accidisse tristius, ceu morte non sua defunctus esset. Sed invidia calumniam peperit, & famæ levitatem satis aliunde destruunt, tum anteacta optimi Præsulis vita, tum ipsa monumenti sepulchralis Inscriptio, quæ in choro summi Templi Wormatiæ, talis olim exstitisse fertur.

In Pace Domini hic quiescit Joannes a Dalburg, Wormatiensis Antistes, qui bene vivendi normam Posteris feliciter, felix ipse, præbuit. Obiit Anno MDIII.

Comendant insuper Præsulis nostri vigilantiam instituta Anno MCCCCXCVI. universæ Diœcesis suæ Lustratio. Doctrinam singularem, nec non linguarum orientalium peritiam, testantur innumera illustrium sui temporis Virorum Encomia. Pietatem denique cum munificentia conjunctam, ipsum loquitur peristilium majoris Basilicæ lateri circumpositum, cum annexo Oratorio, sequentem hanc præ se ferente Epigraphen:

Divæ Mariæ Dei Genitrici
Venerandisque ejus Progenitoribus
Joannes Camerarius a Dalberg,
Episcopus, erexit, cujus ductu hæc
Porticus, atque circuitus, coepta
Ann. MCCCCLXXXVIII.

REIN-

REINHARDUS II.
A RIPPUR.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
LI.

Qui, Dalbergio fatis functo, concussam rursus Episcopalis autoritatis molem sustineret, nec non labefactata jura simul valide instauraret, Vir adsciscendus fuerat animi imperterriti, multorumque annorum quæsitâ prudentiâ gravis; hunc dum, exulantes adhuc, Wormatienses Canonici, in Reinhardo â Rippur, Majoris Ædis Cantore, se se reperisse autumant, eique concordibus votis die IV. Kalend. Septembris, Anni MDIII. currentis, Ann. 1503. novam Dignitatem deferunt ac simul gratulantur; ipse multo aliter de se sentiens, non nisi invitus, & reluctans, eandem admisit; præsagiebat enim jam tunc animus, quantis non, quamque multiplicibus periculis, curarumque molestiis, futurus esset obnoxius.

Tempore igitur, quantum ad maturam deliberationem Electo satis visum est, jam effluxo, petita tandem fuit a Julio II. Pont. ejusdem confirmatio, quâ sub finem mensis Februarii, Anni MDIV. impetratâ, Reinhardus, Ann. 1504. mox aditi regiminis sui initio, graviter lapsus est, quod â Prædecessoris sui scopo longe quantum aberrans, obtentam aliàs, tot annorum labore, nec non sumptibus immensis, adversus Cives proscriptionis sententiam, in effectum redigere neglexerit & dissidium totum, controversiamque omnem, summo perpetuoque Cameræ Imperialis judicio submiserit.

Hinc lite rursum contestatâ, magnis concertationibus tam jura Episcopi, quam & Civium exceptiones, discutiuntur, dumque pro Victoria acriter utrimque decertatur, ortum est in vicinia fatale illud bellum, quod universam penè Germaniam in arma concitavit. Agebatur de opima hæreditate Georgii Bavariæ Ducis, quam Gener ejus Rupertus, Philippi Electoris Palatini filius, sibi totam ex lege testamenti appropriaverat, excluso inde Bavariæ Duce Alberto. Factum ægre inprimis ferebat Maximilianus Imperator, proinde minatus est, omnem se se Palatini eversurum potentiam, ni Albertus idem, cui Sororem suam matrimonio junxerat, in partem prædictæ hæreditariæ successionis admitteretur; cumque, adhibitis etiam mandatis, nihil quidquam profecisset; tandem, pronuntiatâ in Filium, æquè ac Patrem proscriptionis sententiâ, totam Eorundem Regionem, ferro, flammaque depopulatus est.

Tristem hunc, ac perplexum rerum statum Wormatienses in propria commoda, prout non semel jam fecerant, vertere satagerunt; Quapropter turbida miscentes turbidis, Antistitem suum perfidiæ apud Maximilianum insimulare non puduit, quasi Palatino adhæreret, eique intimo fœdere conjunctus esset, eo quod is Ladeburgum oppidum, nec non arcem Stein, duas Wormatiensis ditionis tunc munitiones, militari præsidio occupasset. Neque pluribus difficile fuit eam Cæsari suspicionem ingerere, quod ignoraret Loca illa Domui Palatinæ jam dudum pignori stetisse opposita, consequenter huic in eisdem com-

competere jus armorum ac præsidii. Reus itaque Majestatis incusatus Reinhardus, quanquam prævie non citatus, nec auditus, eodem quo Palatinus, fulmine percutitur, hostisque Imperii palam denuntiatur. Hoc facinore Cives necdum contenti, exacerbatum Maximiliani animum, in novas iras stimulare, invidiamque adhuc majorem conflare cœperunt; donec tandem universa jura illa, quæ Episcopo in Civitate hactenus competierant, sibi in perpetuum addici obtinuerunt; quamquam irati Principis donum, ea, ad quæ proscriptionis formula non pertinebat, haudquaquam poterat afficere.

Prob. 288.

Interea tamen hisce dolis circumventus Episcopus, & inutile membrum Imperii factus; cum se contra omnia jura, tam humana, quam Divina ita habitum, nec ullius criminis convictum puniri videret, causam suam coram ipso Cæsare agere instituit; at, ubi ejus abs se animum penitus aversum sensit, consignatis, quâ par erat in eundem reverentiâ, exceptionibus, de denegata justitia conquestus est, & ad judicium ordinarium provocare, ut sibi liceret, rogavit.

Cæsar malevolorum dicteriis, ac calumniis præoccupatus, æquissimas illas Reinhardi querelas, tanquam nova criminatio esset, non modo impatienter tulit, sed & simul Camerali suo judicio inhibuit, ne eas admitterent, nevè in Lite, quam Wormatiensibus pridem intentaverat, quidquam statuerent aut pronuntiarent. Nec adhuc irarum satis; quandoquidem Anno MDV. mox insequente, in Comitiis Coloniæ celebratis, pacem cum Palatino iniens, noluit in eadem comprehendi Præsulem nostrum, quin potius motam huic a Fisco actionem, rigide jussit prosequi, nullum licet admissi criminis hactenus exstitisset indicium. Quapropter, qui Anno MDVII. publicum Conventum agebant Imperii Proceres, cognitâ ac probe perspectâ Præsulis innocentiâ, Decretum Cæsaris, tanquam fraudulenter extortum, antiquari, denegatamque, eatenus Regalium Investituram, ritu quo aliàs solemni ipsi tribui curarunt.

Ann. 1507.

Cunctis itaque Juribus suis, cum superioritate Territoriali in hunc modum recuperatis, Reinhardus, Wormatiam redire festinavit, dumque stabiliendi honoris causâ suum in urbem ingressum jam adornat, producuntur ex adverso Maximiliani Litteræ ad Senatum, Populumque Wormatiensem directæ, per quas idem Cæsar publice innotescit, se se Reinhardo nostro solemnia Episcopalis suæ dignitatis jura tribuisse quidem, ast id ipsis præjudicio neutiquam verti debere; quasi vero, necdum satis tunc abolita ac extincta fuissent, quæ in eorundem favorem, hujusque præjudicium eatenus præstiterat, cum vel ex se nulla dici poterant.

Prob. 289.

Hinc rejectus vice jam altera Reinhardus, ad Camerale judicium, ut rei poscebat indignitas, questum ivit, sed frustra; quod ita jussisset Cæsar, qui odio in ipsum ductus implacabili, omnes non modo favoris ac gratiæ, sed & justitiæ aditus eidem præclusit, dum Wormatiensibus eos incessanter patere voluit; Equidem constanti illo Maximiliani patrocinio, ad quodlibet audendum facinus Cives multimode abusi, præter advenæ, Hebreæque Gentis potestatem, ædilitii muneris rationem, nec non plenam vectigalium, Teloneorumque omnium perceptionem, Jura & Leges à novo statuendi, Magistratum creandi, quin & capitales causas executiendi, puniendique sontes, sibi solis jam arrogaverant arbitrium, quando, quod reliquum erat

Ann. 1508.

erat, se, suamque Urbem in immediatum Imperii statum extulêre; ne autem pristinæ subjectionis aliquod superesset vestigium, ruptis ac confractis, (quæ majorum suorum, ex singulari concessione ornamenta fuerant) sigillis, alia sibi confingere ausi sunt, quibus deinceps ad causas & negotia uterentur. vid. supra Part. II. cap. III. circa finem.

Stabat hæc inter firmus in adversis Reinhardus noster, & fortitudine Episcopo digna, Cæsaris iram, civiumque odia, ac calumnias sustinebat innocens, quando tristem ejus, tum & Cleri vices miserti Pontifex summus, nec non ex Germaniæ Optimatibus ferè omnes, visum est rem totam arbitrorum judicio terminandam committere: sed cum inter partes tam difficulter de illis, quam de lite ipsa conveniebat, tandem BERNARDINI Cardinalis Legati Apostolici ope, ac simul industria effectum est, ut Anno MDIX. saltem Clerus, ad desertas aras, sacraque, postliminio reversus, pacem cum Civibus inierit, Episcopo juris integri recuperationem in aliud tempus, si forte oportunius aliquod occurreret, differente; quanquam utrumque fieri tunc poterat, ni impotenti odio indulgere diutius maluissent Cives. ANN. 1509.

Selecti igitur, utriusque partis assensu, nec non simul caussæ cognoscendæ judices designati JACOBUS Trevirorum Antistes, & FRIDERICUS Saxoniæ Dux, parato animo in medium consuluêre, quæ ad tollendum grave dissidium necessaria videbantur. Quare, excussis ac in unum collectis, quæ quidem in præsenti occurrebant, gravioribus difficultatum momentis, res tandem ad pactionem devenit, qua sancitum fuit inter alia, ne Cives ulla re libertatem Ecclesiasticam premerent, Clero evehendi, invehendique vina, frumentumve, prout olim, potestatem relinquerent, ac immunitates servarent illæsas; iis in suspenso relictis, quæ jurisdictionem in Clericos, ac eorundem Familias concernebant, quod ea Episcopus in compromissum venire noluisset. Verum hæc transactio, licet utrimque sacramentis, & sigillis firmata, desiderio tranquillitatis publicæ præcipitantius conscripta visa est, quam par erat pro rei exigentia: eam siquidem quisque pro libitu suo in omnem trahebat partem. Hinc novam cavillandi ansam captabant nunc Cives, nunc Clerici, factumque, ut eorundem Arbitrorum judicio, quæ dubia essent, plus semel deinceps non sine magnis sumptuum impensis elucidare oportuerit, ne assiduis quorundam machinationibus totum aliquando corrueret negotium. Prob. 290. Prob. 291. & 292.

Interea omni dominio temporali privatus Reinhardus, extorris a sede sua errabat per Germaniam; cumque aliquando URIELIS Moguntini Archipræsulis solemni inaugurationi adstitisset invitatus, grato quoque hujus hospitio fruitus est, donec indicta a Cæsare Augustam-Vindelicorum Comitia, spem recuperandæ dignitatis pristinæ reaccenderunt. Etenim numerosissimum totius Imperii consessum ingressus Præsul noster, tum viva voce, tum per litteras apologeticas singulis Optimatibus ibidem præsentibus exhibitas, in ipsa se se insinuans causæ viscera, prolixe quidem, sed ingenue, & diserte, Civium suorum dolos ac insidias, suamque simul exposuit innocentiam, sic ut nemo esset (si Maximilianum Cæsarem excipias) qui iis vel obiter perlectis, injuriam optimo Præsuli factam non agnosceret, atque adeo ab objectis æmulorum criminationibus non absolveret, quin & simul inauditam Wormatiensium audaciam detestaretur; accessit, quod sub ipsum tempus, WILHELMUS Hassiæ Landgravius, qui arcem cum Oppido Stein, socialis quondam belli adversus ANN. 1510 Prob. 294. Prob. 295.

Palatinum initi præmium: jam ab Anno MDV. suo adjecerat dominio, hæc loca, velut injuste ablatum spolium, per testamenti Tabulas jusserit Wormatiensi Ecclesiæ restitui. Hinc amplius commoti Principes, eò tandem induxêre Cæsarem, ut afflicto Præsuli liberum justitiæ aditum statuerit.

Prob. 296. Verum; quod in litteris die XXIX. Aprilis, desuper, ex Conventu illo Augustano, ad ADOLFUM NASSOVIUM Imperialis Cameræ supremum tunc judicem directis, Wormatienses haud alio, quam sub simplici PARTIS ADVERSÆ nomine seu appellatione comprehensi fuissent; illi, qualitatem hanc declinare, eamque Cæsari tribuere non erubuerunt, quod dicerent: jura illa Episcopo contestata, se se ab ejus accepisse munificentia, proinde in iisdem per ipsum esse manutenendos. Nec defuit artificio suus successus, quandoquidem Maximilianus die III. mensis Maji insequentis eidem Prob. 297. supremo Cameræ suæ Judici rescripsit: huc priora sua mandata tendere, videlicet: ut Episcopus actionem, si quam haberet, Fisco Regio, non Wormatiensibus, intentaret. Verum oculatus ille judex, postremo huic Cæsaris Edicto, quod æquitati omnino contrarium, atque adeo surreptitium esset, haud obsequens, Wormatienses tanquam debite citatos absque ulteriore mora comparere voluit. Quid enim? cur subterfugia quærebant, nisi diffidentiâ propriæ causæ, si legitimo subjiceretur judicio. Certe, rem ita se se habuisse mox docuit eventus. Nam Cæsar urgenti eorum in hoc necessitati benigne, ut aliàs, subveniens, Episcopo silentium imposuit, eumque unà cum ipsis sibi adesse jussit Treviris, si forte exacerbati utrimque animi ad concordiam illic revocari possent.

Contulit hùc se se ad præstitutum tempus Reinhardus, ac mox inter Antistites cooptatus est, qui RICHARDO loci Archiepiscopo jus sacrorum impertirent; quâ cæremonia ingenti cum totius populi lætitia peractâ, Comitiis initium fecit Wormatiense negotium, quod dum variis hinc inde disceptationibus extractum, difficiles habere videretur exitus, exspectanda rursum fuêre alia comitia, quæ tandem Anno MDXII. Coloniam indicta, pertinaci ac inveteratæ controversiæ vix non finem imposuerunt; in iis siquidem decretum fuit: quatenus partes Camerali judicio se se sisterent, diffinitivam ab eodem indilate percepturi sententiam. Verum, cum id Wormatiensium intentioni ac proposito quàm maxime repugnaret, imploratus rursum ab ipsis Maximilianus, oportunam necessario subterfugio viam aperuit, dum litis decisionem usque in Conventum Wormatiæ in proximo celebrandum protraxit.

Brower. Annal. Trevir. Tom. II. pag. 329.

ANN. 1512.

Prob. 298.

Instabat interea temporis Episcopus Spirensis, tanquam novus dissidii hujus arbiter constitutus, ut querelæ & accusationes ederentur, quas utervis, & Præsul & Populus Wormatiensis, alter adversus alterum persequi vellet, dumque operam suam in hoc consumit inutiliter, quod Cives priori metu liberati, factum compromissum abnuerent, confluxêre ex condicto ad supramemorata Comitia Proceres magno numero, quibus, de more, in consilium adunatis, caussa Wormatiensis præ cæteris Imperii negotiis in medium revocata fuit, jamque discussis factionum extremis, spes certior Victoriæ affulgere cœperat, tota in Episcopi partes propensa, quando Cæsar aliò inclinans, huic autor fuit, ut oblatam pro juribus pecuniam acceptaret. At, Reinhardus, ut erat animo supra sortem excelso, intrepide testatus est, ne si vel auri, argentique integros acervos Civitas offerat, effecturam unquam, ut in æternum nominis sui opprobrium, avita illa ac sacrata Ecclesiæ suæ jura redimi patiatur. Hoc medio ita rejecto, proposuit Cæsar ulterius, ut saltem se in controversiarum arbitrum assumeret. At vero Reinhardus, quam-

quamvis causa optima uteretur, minus tamen tutum putabat irato judici eam committere, atque adeo Cæsarem, seu Principem summum de re summa Civitatis pronuntiare, quin potius eundem prece supplici rogavit, quatenus intentatam dudum Wormatiensibus litem, sibi in Camerali judicio ad finem usque liceret prosequi; sed in hoc Præsul vicissim repulsam passus est.

Hinc pace, simul & justitiâ frustratus Reinhardus, spem utriusque nihilominus retinuit. Hoc interea maxime infelix, quod nudum Principis nomen gereret, quando rerum dominium erat penes subditos. Quam male autem ipsis hoc suum Reipublicæ regimen cesserit, notum est ex Historia. Equidem orta sub annum MDXIII. inter Cives & Magistratum, de re levi, ANN. 1513.
discordia, illi cum facile prævaluissent, usque eo prolapsi sunt, ut facto tumultu, Senatores simul cum amicis ac fautoribus urbe pulsos, proscriptione bonorum damnarint; alium deinde Senatum, alias sibi leges statuerint, plura, imò ultima ausuri, ni effrænes cohibuisset Cæsaris autoritas, is enim, anno proxime sequenti, per JACOBUM de MOERSBERG, suum in Alsatiæ partibus præfectum, facta diligenti inquisitione, totius mali incentores partim exilio mulctavit, partim variis affecit suppliciis. Has turbas mox exceperunt graviores aliæ, quas FRANCISCUS a SICKINGEN Civitati, cum qua dudum collisus erat, nunc & ipse movit: collecta siquidem numerosa ANN. 1515.
militum manu, omnia in ejus perniciem, quin & ultimum excidium tentare aggressus est, cumque rei cœptæ eventus non pro voto respondisset, obsidere itinera, incolas, seu callide extra mœnia allectos, seu ubicumque nactos, incessere, in vincula rapere, argento emungere, plaustra mercibus onusta abigere, aliasque plures ejusmodi vexationes instituere, deinceps pro ludo fuit, quem & fortis bellator tanto continuabat securius, quo minus Episcopo videbatur displicere.

Auxerunt communem Civium ex tot adversitatibus conceptum dolorem litteræ Cæsareæ, Welsio, Austriæ Oppido, sub data XX. Decembris Anni MDXVIII. emanatæ, per quas indebite hactenus usurpata novi Magistratus ANN. 1518.
creatio ipsis fuit inhibita; fortasse quod Maximiliano, tunc ex morbo decumbenti, oportune in mentem venerat afflictus Ecclesiæ Wormatiensis status, quem procul a malevolorum consiliis & susurronum dicteriis, serio pro rei gravitate perpendens, hauddubie in pristinum integre fuerat restituturus, ni mors superveniens salutare hoc simul abrupisset propositum.

Certe; Maximiliano Cæsare paulo post e vivis sublato, stabilita olim ANN. 1519.
sub ipsius patrocinio, per tot lites ac jurgia Wormatiensium libertas, momento concidit, eâque perpetuùm fruendi spes insuper evanuit. Nec enim durat nisi bonis artibus quæsita felicitas! remissius itaque agere cœperunt, qui prius se se efferre insolentius, ac quasi jam imperitare videbantur; quanquam veteri nihilominus odio in Episcopum flagrarent. Hinc illud ut tandem ponerent, mutuamque in concordiam redirent, laboravit omni studiorum contentione LUDOVICUS Elector Palatinus, qui Throno vacante, gloriosum Vicarii munus tunc gerebat per Imperium. Nec res in vanum cessit, quandoquidem Reinhardus eo adduci se passus est, ut facto in ipsummet Prob. 299.
Principem compromisso, pacem benignioribus, quam oportuerat, conditionibus Civitati donarit. Quid enim repetitæ plus nimium per omnes fere transactionis articulos, hæ clausulæ: *ex mera Episcopi gratia, favore, indulgentia* &c. tum & *pro bono pacis*, nec non *tranquillitatis publicæ*, quin & per ipsius supremi arbitri *interventum*, ejusque *intuitu*.

 Ecquid,

Ecquid, inquam, aliud innuunt? nisi quod toties antiquis Ecclesiæ Wormatiensis juribus, ac prærogativis, fuerit derogatum. Cæterum; fatali illa pace, novæ fuerunt leges conditæ, juxta quas tum Magistratûs ordo universus, ex nobilibus & plebejis aggregandus, tum sigillatim Prætor Urbanus unà cum Scabinis, ac Ministris suis deinceps crearentur ac instituerentur ab Episcopo; qua occasione simul actum de suprema hujus tam Civili, quam & criminali jurisdictione; sublatæ præterea, quæ circa Teloneorum ac vectigalium perceptionem, eidem debitam subortæ hactenus fuerant, difficultates, dein asserta ipsi similiter in Clerum nec non ecclesiasticarum personarum familias, jurisdictio, ac tandem jus intradæ, seu solemnis ejus in Urbem ingressus, additâ sacramenti tunc præstandi formulâ, a novo ordinatus fuit.

Verum hæc omnia, cum reliquis in eadem illa transactione contentis, sancte ac ultronée jurata a Civibus, & in publicas Tabulas relata, postquam
Ann. 1521. Prob. 300. & 301. CAROLUS V. Imp. Anno MDXXI, quo & Reinhardum nostrum de regalibus, more solemni, investivit, sua quoque autoritate confirmasset, vix non aliquando in totum conciderunt, ac abolita fuêre. Nam Magistratus, jugum Episcopi sui ferre velut desuetus, quàquà datâ occasione illud denuò excutere cogitavit; primùm itaque tacitis machinationibus plebem adversus Clerum, adeoque Episcopum ipsum accendere aggressus est; nec difficile fuit novi alicujus dissidii causas vel ex pacti Anno MDIX. conventi formulis arcessere, has enim dum minus servari quererentur Cives, ægreque ferrent Cleri libertatem & privilegia, jam toties, licet semper jure optimo, asserta; insanis clamoribus & minis cuncta adimplent, jamque res proxime ad seditionem spectare videbatur, quando RICHARDUS Trevirensis Archiepiscopus, nec non FRIDERICUS Saxoniæ Dux, qui tunc forte cum reliquis Imperii Principibus publicum Wormatiæ Conventum celebrabant, (cui & noster inter præcipuos adsuit) medios se se interposuerunt, & de commu-
Prob. 302. ni omnium salute soliciti, habitis ultro, citroque colloquiis, nec non editis eum in finem certis quibusdam decretis, partes ad concordiam revocarunt.

Hoc successu læti cum Magistratu Cives, crevêre animis, & jam pacem alteram Anno MDXIX. recenter initam, pari modo infirmare, quin & simul subvertere tentarûnt. Quapropter, luculento scripto emisso, conati sunt per falsa narrata demonstrare, se se invitos, imo metu compulsos, pacis hujus subscripsisse conditionibus; proinde, ne quid sibi, & posteris præjudicii amplius inde obveniat, apud se firmiter decretum esse, jus suum adversus Episcopum & Clerum latius persequi, tum & hujus acta Tractatûs rescindere. Hac denuntiatione Reinhardus noster haud parum perculsus, monet Senatum ne quid ejusmodi novitatum obtrudere velit, quin potius operam det, ut recens stabilita inter ipsos concordia firmiter servetur; sed, ut non desunt his casibus incentores, Senatus perstans in proposito prætensorum jurium suorum restitutionem ursit acrius.

Accessit ad malorum cumulum exorta sub idem tempus gravis in Religione Catholica dissensio, quam dum MARTINUS LUTHERUS in nuperis comitiis Wormatiæ celebratis, a Cæsare, & Imperii ordinibus, publice damnatus licet, ac proscriptus, sua fovere doctrina non desinit, negotiis etiam operosioribus Præsulem nostrum implicuit; siquidem adversus novatorum licentiam, nec non Civium suorum ausus, ipsi deinceps quasi continuo dimicandum fuit. Hinc, ut erat devecta jam ætate Reinhardus, & corpore fati-

fatigato, illis ultra sustinendis se se imparem sentiens, convocato Nobilium Canonicorum suorum Collegio, in eorum manus Episcopatum certis conditionibus resignavit; quod si suum in deligendo successore judicium sequi velint, PHILIPPUM a FLERSHEIM, dignum ostendit. At sæva & infelicia simul tempora aliud mox suggesserunt consilium; & è Ducibus Palatinis HENRICUM, Elwangensis Ecclesiæ tunc Præpositum, Reinhardo ad partem curarum, nec non sociam in jure dicundo potestatem, administrationis titulo, & cum spe certa succedendi, jungere placuit, eo potissimum fine, ut Princeps hic, fretus potentissimæ Gentis suæ viribus, convulsam & pene attritam Wormatiensem Ecclesiam erigeret, & contra tot undique ingruentium malorum tempestates, valide deinceps protegeret, ac tutaretur. ANN. 1523.

Explorato igitur CLEMENTIS VII. Pontificis maximi judicio, ejusque simul impetrato consensu, Henricus, administratoris quidem titulum multis annis retinuit, at Wormatiensem Ecclesiam plena semper cum potestate rexit, quod hujus sui muneris satur, se se etiam ultrò eo abdicasse videretur Reinhardus, quandoquidem assignato sibi ex Monasterio Ramséensi, aliisque fundis honesto subsidio tranquille fruens, reliquum vitæ tempus, quoad per rusticorum furias licuit, in otio, ac pietatis operibus traduxit: ad meliorem vitam evocatus Anno MDXXXIII. die XIX. Aprilis; ætatis suæ LXXV. Cadaver Wormatiam translatum, illic in medio chori majoris Basilicæ sepulturam accepit.

HENRICUS IV.

EX COMITIBUS PALATINI RHENI, BAVARIÆ DUCIBUS &c.

EPISCOPUS WORMATIENSIS.

LII.

PHILIPPO Electori Palatino natus erat inter cæteros liberos ex MARGARETA, LUDOVICI Bavariæ Ducis Filia, Anno MCCCCLXXXVI. Filius HENRICUS, qui dum ab ipsis fere incunabulis Deo dicatus fuisset, per ætatis gradus ad varias in Ecclesia dignitates, quales fuère præter Argentinensem, & Aquisgranensem, Elwangensis Præpositura, facilem sibi aditum fecit; ad altiora deinceps promotus: quo fere tempore Wormatiam administratorio nomine regendam susceperat, eodem & Ultrajectinus Episcopus renuntiatus est; quanquam sydere utrobique sat infelici. ANN. 1523.

Equidem; Cives Wormatienses hac nova rerum mutatione, seu ordine, nihilo facti submissiores, perrexêre in cœpto, & proculcata Episcopali autoritate, Senatum, uno etiam auctum membro, ex sua propria constituunt, quin & ad imminuendam Cleri libertatem, vetant ne frumentum, vinum, cæteraque ejusmodi cibaria, ac mercimonia à tributo imposterum libera essent; adhæc alia super alia ipsi onera & vectigalia imponunt; in his Prob. 302. autem omnibus parum sibi visi sunt fecisse, ni per administratoris absentiam, qui tunc Ultrajecti moras trahebat, majus aliquod auderent facinus. Quam ob

ob rem icto cùm proprio Magistratu in omne periculum fœdere, factoque derepentè in Decanum, nec non reliquos summæ Ædis Prælatos, & Canonicos, impetu, quasi jam non libertas, sed etiam vita singulorum periclitarentur, postulant sibi extradi initæ Anno MDXIX. supramemoratæ pacis Tabulas autographas, quas dum ab invitis extorsissent, rectà pergunt ad Episcopale Palatium, forte fortuna habitatore vacuum; illic Senatus ære
Prob. 303. campano signum dare jubet, ac Tribubus, seu artificum, opificumque collegiis, in unum adunatis, conscenso editiore loco, coram universa multitudine ipsum pacis instrumentum discerpit, ac fœde dilacerat; nec ad contumeliam satis; sed avulsis inde, quæ a jam dictis Tribubus in eodem appensa fuerant, sigillis, suum cuique ibidem præsenti restituit.

Ann. 1524. Provocati hisce injuriis tam Episcopus, quam & Clerus, Imperatorem simul adeunt, eique libello supplici porrecto, causam motæ seditionis fusè exponunt. Quo accepto, graves Cæsar ad Senatum, populumque Wormatiensem litteras transmisit, quibus commissos excessus severe perstringit,
Prob. 304. malam fidem damnat ac improbat, auri libras XL. mulctæ nomine in ipsos, ac eorum quemlibet statuens, quoties libertatem Ecclesiasticam infringere, vectigalia ac Clero exigere, bona ejusdem invadere, & quæ his similia imposterum ausi fuissent tractare.

Senatus, seu propriæ causæ, seu viribus ad vim depellendam, si quæ ingrueret, diffisus, Cæsareas illas Caroli litteras Civibus, ad quos pariter directæ fuerant, non exhibuit: nam in communem defensionem necdum conspiraverant universi, quod plerisque non placeret fortunas & capita sua ambitioni ludum obiicere; proinde apud Ludovicum Electorem Palati-
Prob. 305. & 306. num, Administratoris Wormatiensis Fratrem germanum, multis precibus egit, ut imminentem pœnam, aliaque proxime forsan subsecutura mala reflecteret, Clerum sibi, quemadmodum jam aliàs fecerat, denuò conciliaret. Hac adulatoria fiducia captus, flexusque Elector, effecit ut apud Fratrem Episcopum clementia prævaluerit, & Civium quantumvis immeritorum, non modo aris ac focis parcitum, sed & simul commodis fuerit prospectum;
Ann. 1525. nam controversiarum omnium ipsemet ex compromisso supremus arbiter constitutus, non pauca in eorum favorem decrevit, quæ in Wormatiensis Ec-
Prob. 307. & 308. clesiæ præjudicium tendere nemo non videt; inprimis vero principalia jura, per ipsum jam aliàs ex simili Tractatu utplurimùm flexa ac imminuta novum hic rursus cepêre detrimentum; fortassis, quod cum debili ac impotente vi-
Ann. 1526. cino, sibi melius conveniebat: nisi infelicem hunc rerum successum velimus
Prob. 309. temporum potius iniquitati adscribere; ea enim tunc ob Religionem varie deformatam, nec non seditiosorum rusticorum tumultus, universæ Germaniæ erat facies, ut vix deterior esse potuerit.

Serpsit interea malum etiam longius; quandoquidem pravo Wormatiensium exemplo concitati Ultrajectenses (quo tempore Spiræ etiam in comitiis præsens fuit Henricus) nova quoque & ipsi moliri, quin ad defectionem præcipiti animo inclinare cœperunt, stimulos inprimis addente Carolo, Gueldriæ Duce; hinc in Regiones illas Henrico nostro quantocyus recurrendum fuit, ubi dum comprimendis factionibus, extinguendisque seditionum flammis diutius aliquantùm detinetur, quam alterius Ecclesiæ suæ pericula privatim ferebant, Ludovicum Fratrem constituit, qui
Prob. 310. durante absentia sua Wormatiensibus jura daret, & juxta nuperæ transactionis leges, Magistratum innovando, plebem in fide debita contineret. Verum, quod illi per turbida consuevissent procedere feli-

felicius, non obstitit Principis Electoris vigilantia, quominus multa in rem suam converterint, haud enim fine alio tria illa sacrarum Virginum Asceteria, tum intra, tum foris muros Civitatis posita, in suam recepêre tutelam, quàm ut eorundem fundum, seu territorium simul cum annexis bonis ac redditibus aliquando deglutirent; idem facturi proxime cum F. F. Franciscanorum, nec non Augustinorum domiciliis, quæ per hæresin afflicta ac desolata sibi ab superstitibus inibi aliquot apostatis acquirere facile fuit.

Hoc tristi rerum statu, Henricus, curas alias ex aliis emergere, difficilioribusque in dies negotiis se se implicari sentiens, sacri muneris sui ipsum utrobique tædere cœpit; quapropter, viris gravibus juxta ac prudentibus in consilium adhibitis, exploratoque eorum judicio, cupiit ardentissime oneris saltem partem in alium quempiam devolvere; cumque persisteret in proposito, Ultrajectinos vero omnium maxime aversaretur, solemnem Anno MDXXVIII. Tractatum iniit, quem & postmodum suo probavit calculo CLEMENS VII. Pontifex, vigore cujus, temporale dominium sibi, quà eorum Antistiti, in ipsos competens, cessit CAROLO V. Cæsari, dum jurisdictionem spiritualem simul cum Episcopatu transtulit in GUILLELMUM ab ENKEWORT, S. R. Ecclesiæ tunc Cardinalem. ANN. 1528. vid. Hedam & Lamb. Hortens. pe reb. Ultraject.

Inde Wormatiam iter suum Præsul instituit, ubi & majori, quàm unquam ante visum fuerat, pompæ spectaculo, a Clero simul & Magistratu exceptus est; deducente eum Principum, Comitum, aliorumque Procerum multitudine haud exigua. Tum clavo regiminis manum admovens, ea quæ boni Principis, nec non vigilantis Pastoris, a se exigere videbantur, sedulo imposterum adimplere studuit, hoc maxime solicitus, quomodo avitam, & ab Apostolorum discipulis hic plantatam Religionem, sartam, tectamque servaret: nam præceps ruitura erat, ni, cœlo adjuvante, strenua Henrici industria eam sustentasset, prout integram ac illæsam servarunt ejus posteri, usque in præsens. Quod reliquum fuit, Henricus Cleri mores, monasteriorumque statum ita ordinavit, ut simul plurima per Diœcesin seu vetustate, seu bello Rustico disrupta & afflicta templa, quin & Castrum Dirmstein, Episcoporum secessu ac habitatione clarum, quod tunc non-nisi nudas, easque ambustas insignium ædificiorum parietinas ostentabat, egregie instauraverit. Paræus Hist. Palatin. nov. edit. pag. 241

His operibus dum strenue, ac pro viribus insudat Henricus, multiplicatos sensit labores, ex eo quod PHILIPPO Fratri sub Frisingensis Ecclesiæ pondere jam prope fatiscenti, rogatus est commodare humeros, ac hujus quoque Episcopatus, cum spe certa in eodem succedendi, administrationem in se suscipere; novo itaque illo auctus munere interfuit Comitiis, quæ Cæsar Anno MDXLII. Spiram convocaverat, decretamque illic in Turcas expeditionem suis non modo probavit suffragiis, sed insuper tota Diœcesi edixit, ut quotidie hora meridiana, ad æris campani pulsum, preces quisque ad Deum funderet quatenus: *Ecclesia sancta, hostium sublata formidine, secura ipsi deinceps serviat libertate.* Hunc Principum Conventum excepit postmodum alius Wormatiæ Anno MDXLV. celebratus, in quo de pace Religionis per Concilium Tridentinum obtinenda actum fuit, dum interea pacis publicæ leges jam pridem, Anno videlicet MDXXI. hìc loci conditas, a novo confirmari placuit. ANN. 1540. ANN. 1542. Chron. Worm. M.S. ANN. 1545.

Solu-

Solutis & hisce Comitiis, Præsul noster Augustam-Vindelicorum se se
Ann. 1548. Anno MDXLVIII. conferre opus habuit, de restinguendo intestini belli dissidio unà cum reliquis Imperii Optimatibus deliberaturus, dumque capta illic pro communi omnium salute consilia, lente admodum effectus suos sortirentur, veterum simultatum Wormatienses inter & Episcopum flammæ, visæ sunt denuo erumpere; compressit quidem eas in ortu suo Henricus: at ne ab ipsorum impetitionibus per omnia expers videretur, quod rationis & æquitatis via non poterant, id artificio tentarunt; solebat Præsul, pro recepto stylo, seu more, quo Prædecessores ejus jam ante annos sexcentos passim usi fuerant, Wormatiam suam per verba: *nostræ Urbis*, *nostræ Civitatis* indigitare; Cives, Imperii Majestatem in hoc susque deque habitam conquesti, omni industria Carolum Cæsarem hortati sunt, injuriam ut vindicaret, probrum tolleret. Quasi vero, tot ante ipsum Reges seu Imperatores, adeo jurium suorum fuissent ignari, ut expressiones illæ, optime fundatæ, ac sub oculis omnium in publicas Tabulas plus millies jam relatæ, nunc demum, velut legibus repugnantes, eliminandæ forent.

Ad alias itaque molestationum species inquietis Civibus recurrendum fuit, quas dum æque frivole in effectum redigere parant, Henricus noster ad beatiorem vitam evocatus est, successori suo eas discutiendas relinquens. Obiit autem Princeps pacis, ut & disciplinæ Ecclesiasticæ amantissimus, La-
Ann. 1552. deburgi Anno MDLII. die III. Januarii circa horam XI. antemeridianam. Cadaver ingenti mœrore funeris Wormatiam translatum, communi Episcoporum conditorio depositum fuit die XI. mensis ejusdem.

THEODORICUS II.
A BETTENDORFF.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
LIII.

Postquam justis solemnibus Henrico parentatum est, primariæ Ædis Canonici, subrogando eidem successori solemnia, de more, Comitia
Ann. 1552. habuêre ad diem X. Martii Anni currentis MDLII. suffragiisque in unum Theodoricum a Bettendorff, majorem suum Decanum, collatis, eum salutarunt Episcopum, quo fere tempore Alberti Marchionis Brandenburgici Copiæ, haud procul Wormatia iter suum in hostem dirigentes, quod gravi commeatûs penuria premi se dicerent, ingentem pecuniæ summam ab hac urbe flagitarunt, quâ urgenti malo subvenirent. Excusare quidem se Cives, Clerus immunitatem obtendere; contra vero miles instare, & nisi quantocyus imperatam pecuniam numerent, extrema ipsis ferro flammaque minitari cœpit; collatis itaque invicem consiliis, Wormatienses, nolentes volentes, imminens excidium XXXII. millibus Florenorum redemerunt.

Ducebat autem Theodoricus noster maternum Genus suum, paterno haud certe inferius, ex Illustri Gemmingiorum prosapia, atque, ut

ut erat vir ingenio acer, nec non animo in cunctis obfirmato, ubi primùm Julio III. Pontifici probatus, etiam apud Carolum V. Cæsarem, misso ad hoc Joanne-Wilhelmo a Nolthafft, obsequium clientelare professus fuisset, quid novæ fraudis aut artificii adversum se molirentur Wormatienses parum solicitus, ipse primus Senatui litem movit; nam, prolatis Pontificum, Cæsarumque privilegiis, quibus de plena libertate Ecclesiæ suæ cautum fuerat, multa cœpit repetere, quæ Antecessor ejus per turbida tempora magis concordiæ tuendæ studio permisisse certum erat, quam quod ita jus & æquitas postulassent: inprimis vero protectorias Litteras illas, quas idem Senatus nonnullis locis sacris concedere præsumpserat, antiquari, jusque & autoritatem quam sibi exinde jam arrogaverat, in totum aboleri voluit; inhiabant enim tunc passim Ecclesiarum opibus quotquot ex Lutheri doctrina jus reformandi inducere ac promovere conabantur; *tunc demum* (ut cum hujus sectæ Viro Erudito loquar) *Monasteria reformata esse rati, si ejectis Religiosis bona Deo dedicata ad Fiscum raperent.* Heineccius antiq. Goslar. lib. VI. p. 445

Displicuit summoperè Wormatiensibus hæc in Episcopo suo agendi methodus, sesque Camerali Judicio, ad quod per ipsum evocati fuerant, ægrè admodum stiterunt; quin & decretis seu sententiis abinde successim emanantibus, tarde, pro more suo, obtemperantes, litem contestatam, quo corrueret, aut certe lentius procederet, insidiosi Juris laqueis undique irretire studuerunt, dum interea ex instituto hìc Loci Anno MDLVII., jussu Cæsaris, publico de Religionis controversiis colloquio, tum & ex Wildfangiatus jure, quod sub idem tempus movere cœpit Palatinus Elector, satis aliunde negotii Theodorico obventurum sperabant. Verum ubi his non obstantibus urgeri se sensissent Wormatienses, ut vicem quodammodo rependerent, jus quod eidem Præsuli in Hebræos hactenus competierat, auferre, ac tollere aggressi sunt, id licet in propriam suam vergeret perniciem; siquidem res in effectum haud quaquam redigi poterat, nisi infelici illa hominum colluvie totaliter urbe pulsa. Ann. 1557.

Cœpit itaque callide, ac inscio potissimum Episcopo, tractari hæc machinatio, quam ubi Ferdinandus I. Imp. suo probasset assensu, Judæi, per Edictum Anno MDLVIII. Praga emanatum, jussi sunt Wormatia excedere, biennio ipsis dumtaxat indulto, tum ad res convasandas, tum ad exigenda quæ sibi ex parte Civium debita restabant, & quæ ultra XV. millium Florenorum summam ascendere comperta sunt. Reclamavit quidem adversus subreptitium diploma Theodoricus, at, quod Cæsaris patrocinio tunc opus haberet ut sese simul a Palatini vexationibus eximeret, noluit ejus exacerbare animum; proin, actione Civibus a novo coram Cameræ judicio intentata, juribus suis sat prospectum credidit. Ann. 1558. Prob. 311.

Interea Cives, seu juri suo diffisi, conduplicatis precibus apud Ferdinandum egêre ut quod circa Judæorum emigrationem statuerat, id sua autoritate tandem vellet efficere; non defuit quidem supplicantium votis Cæsar, sed cum directe contra justitiam procedere nefas esset, in hoc potissimum intendit, ut saltem res in compromissum veniret, delegatis ad hoc prævie cum Daniele Moguntino, nec non Marquardo Spirensi, Episcopis, Philippo Hassiæ Landgravio & Christophoro Wirtembergensi Duce; verum hos omnes ut constantèr, sic prudenter recusavit Theodoricus noster, nec ad compromissum aut Transactionem aliquam ullis induci potuit rationibus: intelligebat enim, si quis alius, quantis non præjudiciis ejusmodi pacta ac compositiones, quas Antecessores ejus sæpe nimium jam inierant, locum dedissent. Ann. 1560. Prob. 312. 313. 314. 315.

Ann. 1564. Jure igitur deinceps experiundum fuit, alia siquidem Civibus via nulla patebat; hac autem dum improspere aliquamdiu processissent, ad pristinum reversi ingenium, Judæos, quod urbe excedere nollent, diversis molestiis ac injuriis afficiunt, simulque Virginum Asceteria duo, unum in monte S. Andreæ, alterum juxta portam, quæ Spiram ducit, posita, per vim occupant, dum pro illius Sæculi labe, idem tentarunt Palatini Duces, Fridericus, & Georgius, quorum ille Collegiatam S. Cyriaci Ecclesiam, nec non Sünsheimense, & Franckenthalense, Cœnobia; alter Hegenensem Parthenonem, armata manu invasit, ac suo quisque subjecit dominio.

Deplorandum illum Ecclesiæ Wormatiensis statum verbis ac modis, quibus potuit, efficacioribus Cæsari exposuit Theodoricus, simulque de illata
Prob. 317. utrobique atroci injuria conquestus est; hinc de restituendis ante omnia spo-
318. 319. liis non unum emanavit decretum, etiam in plenis Imperii Comitiis Anno
320. MDLXVI. Augustæ celebratis, iterato confirmatum. At, quemadmodum
Ann. 1566. pessumdata privilegia, sic & neglecta fuêre mandata, saltem ex parte Palatini,
Prob. 316. nam Cives in ordinem redigere facile fuit, quando interea ipsos non puduit
322. spargere in vulgus, ceu nullum aut calamitatis aut miseriæ genus existeret, quod ab Episcopo, & Clero hactenus perpessi non essent.

Prob. 323. Tam manifesta calumnia offensus Theodoricus eam gravissimis rationibus ac incorruptis testimoniis destruxit, tum vero cuncta omnis cum Civibus habitæ hactenus controversiæ capita in medium revocans, institit etiam apud Maximilianum II. Cæsarem, a quo Regalium Investituram, de more, susceperat, quatenus ea tandem aliquando per sententiam placeret diffiniri. Nec dubium quin optimus Præsul, qui Judæorum causam evicerat, voti sui etiam in reliquis compos factus fuisset, nisi temporum prævaluisset iniquitas; hanc igitur dum superare nequit, vi curarum & mœroris magnitudine, seu tabe quadam intima cordis permeante, intra paucos annos consumptus est.

Annum, & diem, qui Theodorico ultimi illuxerunt, exprimit ejus Epitaphium, quod Wormatiæ in Ædium Sacrarum maxima, è sinistro chori latere, legitur in hæc verba:

Anno donatæ salutis MDLXXX. Theodoricus a Bettendorff, Reverendissimus Vangionum Antistes, et illustris Imperii Princeps; sub Episcopatu Annos XXVIII. Ætatis suæ LXII. post ingentes curas, suæque Reipublicæ vigilias, Senio, et venerabili annorum Seriæ emaceratus, XXXI. die Januarii animam ad coelstes feliciter et religiose transmisit manes. Cujus Spiritus in requie futuram præstolatur Resurrectionem.

GEOR-

GEORGIUS
A SCHÖNEBURG.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
LIV.

Qui defuncto Theodorico in Episcopatu Wormatiensi substitueretur, cum omnium maxime idoneus visus fuisset Georgius a Schoneburg, ei nobiles Canonici vota sua, ac suffragia, ad diem XXII. Martii Anni currentis MDLXXX. detulêre ad unum omnes. Ortus is erat Joanne patre, matre vero Elisabetha Weyer de Nickenich, nobilibus conjugibus, Cleroque principi tam Moguntiæ, quam & Wormatiæ, adscriptus, ingenio & virtute summos utrimque honores retulerat, illic majoris Decani, hic Præpositi muneribus fungens, dum in illustrioribus aliis Germaniæ Collegiis, videlicet Treviris, ac Spiræ, locum simul obtinebat. Ann. 1580.

Hoc meritorum cumulo, cui Metropolis Moguntinæ Præpositura accessit, ornatus Georgius, nec non ex veteri majorum instituto inauguratus, commissæ sibi recenter Ecclesiæ regimen vix inchoaverat, quando jam cum Magistratu Urbico simultatibus implexus est. Orto enim ad Annum MDLXXXIII. in Ann. 1583. Parthenone, cui *Dives* cognomen est, fortuito incendio, Senatus ambustas parietinas & rudera armato milite mox insedit, dum interea sanctimonialibus, in custodiam abductis, persuadere conatur, universos ut sacri loci reditus ac proventus sibi cedant, vi in refractarias comminata. Tum facinus facinore accumulans, Canonicos ex propriis ædibus, quas urbis mœnibus partim contiguas, partim superstructas habebant, violenter deturbat, ausurus plura, ni temerariam manum cohibuisset, quod Spiræ in proximo tunc constitutum erat Cæsareum Tribunal; ad hoc siquidem recurrens cum Clero Episcopus sensit promptam opem, nec non Anno MDLXXXVII. etiam justitiam, duplici Prob. 324. suffultam sententia, quarum prior die XII. Junii, altera vero, die XXX. men- 325. sis Decembris insequentis, prodiit.

Supererat, ut quemadmodum Senatus prædictum illud Virginum Asceterium ex toto evacuare coactus fuerat, sic & alteri, quod in S. Andreæ monte positum ostendimus, ablata Archiva sua restitueret; Quamobrem, ut in hoc quoque obstinacem adversæ partis animum frangeret Georgius, imploranda fuit Rudolfi Cæsaris justitia, a qua etiam Anno MDLXXXIX. mandatum Prob. 327. desuper retulit, haud amplius deinceps contemnendum.

Hac controversias excepit alia, satius timenda; erat enim tam Georgio nostro, quam & Wolffgango Archipræsuli Moguntino, de quo adversus Prob. 326. Joannem-Casimirum, Electorem Palatinum quererentur, tum ob turbatum Catholicæ Religionis exercitium, tum ob male servatos limites in districtu oppidorum Nordheim & Wattenheim, jamque res ad arma prope spectare videbatur, quando saniora amplexi consilia, publicum congressum pacis & concordiæ firmandæ causa sibimet condixêre, ac Tractatu

ANN. 1590. amicabili Anno MDXC. die XV. Januarii inito, nascens inter ipsos grave dissidium abruperunt.

Innotuerant interea etiam Rudolfo II. Cæsari Præsulis nostri virtutum dotes eximiæ, cum singulari sapientia, morumque integritate conjunctæ, hinc
ANN. 1595. in publicis Comitiis Anno MDXCV. Spiram indictis, vices ejus obire jussus, dum suam in rebus Imperii gerendis industriam cunctis Optimatibus ibidem præsentibus comprobat, mors ex adverso imminens, virum de Republica amplius meriturum sustulit die XI. Augusti Anno ætatis suæ LXII. Cadaver magnifico funere Wormatiam relatum, illic in S. Georgii Oratorio, Basilicæ majori attiguo, quod propriis manibus haud ita pridem consecraverat, depositum fuit.

Luxerunt Georgium Ædis quoque Metropolitanæ Moguntinæ Canonici, suamque erga Principem in se beneficentissimum gratitudinem testati sunt, erecto in ejus honorem sumptuoso ex marmore monumento, quod sequentem Inscriptionem præ se fert.

GEORGIUS DEI GRATIA EPISCOPUS WORMATIENSIS, EX NOBILI FAMILIA DE SCHONENBURG ORIUNDUS, HUJUS METROPOLITANÆ ECCLESIÆ PRÆPOSITUS, ET ANTE HAC ANNIS XVIII. DECANUS. TANDEM VERO CÆSARIS RUDOLPHI VICES IN CONVENTU DEPUTATORUM NUPER GERENS, OBIIT SPIRÆ; SEPULTUS AUTEM WORMATIÆ IN ECCLESIA CATHEDRALI IN PACE QUIESCIT. PRINCEPS DE REPUBLICA CHRISTIANA, AC PRÆSERTIM ECCLESIA, CUI PRUDENTIA, SINGULARI STUDIO, ET LABORE INDEFESSO, LAUDEQUE EXIMIA PRÆFUIT, ATQUE PROFUIT, OPTIME MERITUS
ANNO MDLXXXXV. DIE XI. MENSIS AUGUSTI.

Servat Wormatiense Sacrarium, Struthionis ovum, auro gemmisque circumcinctum, ac in Ciborii formam adaptatum, cui hi sequentes versus inscripti leguntur

Hocce Palæstinæ, Strutio protrudit, in oris
Ovum, quod Schönberg sustulit ipse manu.

Hinc patet Præsulem nostrum, cujus illud donarium est, peregrinationem in Terram sanctam aliquando instituisse.

PHI-

PHILIPPUS I.
A RODENSTEIN,
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
LV.

Post Georgii obitum, congregatus, de more, Nobilium Canonicorum cœtus, die XVI. Septembris Anni MDXCV. initis, comparatisque suffragiis, Ann. 1595. Philippum, in majoris custodis officio tunc constitutum, consentiente voce deposcunt Antistitem.

Ducebat is stemmatis sui originem ex nobili claraque Rodensteiniorum prosapia; Patre Engelhardo, matre vero Barbara de Oberstein, natus; qui accepta Ecclesiæ Wormatiensis summa, rerumque simul potestate, nihil propiùs habere visus est, quam collapsam Cleri disciplinam erigere, nec non & ædium sacrarum tecta ac structuras, seu vetustate seu temporum injuria deformatas, instaurare; curam ac sumptus non minores adhibens, ut quæ per ditionem suam laceræ horrebant ruinis arces, in pristinam formam revocarentur.

Pergebat utrobique in cœptis feliciter Præsul noster, quando cum vicino sibi Electore Palatino graviter collisus est, quod hic Wildfangiatus jura sua etiam usque in agrum Wormatiensem extendere præsumpsisset, idque contra expressum tenorem præcepti a Ferdinando I. Cæsare jam aliàs, Anno videlicet MDLV. desuper emanati. Quapropter, ne res in majores turbas excederet, se se Philippus illico Pragam contulit, ubi coram Rudolfo, qui, hujus nominis jam alter, Imperii Sceptra tunc gerebat, expositis Ecclesiæ suæ necessitatibus, novum inde diploma retulit, prioris per omnia confirmatorium. Ann. 1597. Prob. 328.

Turbine in eum modum discusso, ac quiete recuperata, Philippus ad pacis opera denuo conversus est, Palatiumque Episcopale præclaris structuris ac ædificiis auxit; dum simul Principem-Basilicam insigni ara condecoravit; hinc postquam eadem quæ proximus ejus Decessor fata Spiræ expertus fuisset Anno MDCIV. die vero XXI. Martii, acceptorum beneficiorum haud immemores Canonici, defuncto Antistiti statuam cum monumento erigi curarunt, sequenti hac adjecta Epigraphe, seu funebri Elogio. Ann. 1604.

Reverendiss. Principi, & Domino,
Dom. Philippo, *ex pervetusta*
Nobilium de Rodenstein *Familia oriundo:*

Quem uti hujus Basilicæ Decanus & Capitulum Anno a Jesu homine MDXCV. mensis Septemb. XVI. ob præclaras animi dotes & virtutes, judicii acrimoniam, spectatam eruditionem, pietatem & humanitatem; tum denique miram in rebus gerendis prudentiam & dexteritatem, in Ecclesiæ Wormatiensis Episcopum & Antistitem unanimi omnium calculo designarunt, ita postquam ad ejusdem Ecclesiæ clavum ad XXI. usque mensis Martii Anni præsentis MDCIV.

summa cum laude sedisset, in Spiritualibus & temporalibus optime rexisset, non tam collapsa solicite instaurasset, quam subinde nova exstruxisset, vices etiam Sac. Cæs. Majestatis, per integram Deputationis Imperii Diætam, Spiræ nuper celebratam laudabiliter obiisset sine dubio, nisi immatura mors prævenisset, in posterum longe majora designaturo, nunc sub solita Episcoporum Crypta reposito, universæ carnis Resurrectionem præstolanti, hoc Saxum præsenti Scriptura incisum, a tergo præsentis monumenti, ab eodem Antistite Philippo jam antea, dum viveret, è propriis, Epitaphii loco, pie destinati, Fratris vero JOANNIS *in* RODENSTEIN *opera, ad hanc perfectionem maturati, adunitum; in perpetuæ gratitudinis, laudis & memoriæ testificationem sponte & ultro, jureque optimo posuêre, æternam animæ felicitatem comprecantes.*

PHILIPPUS II.
CRATZ A SCHARPFFENSTEIN.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
LVI.

ANN. 1604. PHILIPPO, ex humanis erepto, Successor in Episcopatu Wormatiensi ad diem IV. Maji Anni MDCIV. datus est ejusdem nominis alter, sed qui claro PHILIPPI cum ANNA natus conjugio, paternum Genus a CRATZIIS de SCHARPFFENSTEIN, maternum vero a SCHÖNEBURGIIS trahebat.

Commendaverant virum, præter insigniora, quibus hactenus egregie functus fuerat, honorum munera, eximiæ tum corporis tum animi dotes, quæ magnam proinde de ipso spem fecerant, ast immatura morte sublatus est, cum Hebdomadas vix X. in Regimine explevisset, sepulturam nactus Moguntiæ in Ædium Sacrarum maxima, ubi in Oratorio omnium Sanctorum sequens hoc ejus exstat Epitaphium:

PHILIPPUS CRATZ a SCHARPFFENSTEIN DEI GRATIA ANNO MDCIV. EPISCOPUS WORMATIENSIS ELECTUS, POSTQUAM PRIUS METROP. MOGUNT. NEC NON CATHEDRALIS PRÆDICTÆ, AC S. BARTHOLOMÆI IN FRANCOFURTO, ECCLESIARUM, PRÆPOSITURIS, ALIISQUE PRÆLATURIS IBIDEM CUM LAUDE PRÆFUISSET, VIX EPISCOPALEM DIGNITATEM CONSCENDENS, ANNO EODEM XIII. JULII IN CHRISTO, ET PACE HIC PIE REQUIESCIT.

WILHELMUS
AB EFFERN.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
LVII.

Die XVII. Augusti ad novum eligendum Antistitem præstituta, ubi actum de suffragiis, in eam omnes ivêre sententiam, ut interposito compromisso, paucorum staretur arbitrio; ab his itaque, rite designatis, expetitur WILHELMUS ab EFFERN, majoris Ædis Wormatiensis Canonicus, qui & postquam a PAULO V. Pont. per bullam dat. Romæ Anno MDCV. pridie Idus Septembris, nec non a RUDOLFO II. Imp. per diploma datum Pragæ Anno MDCVII. die XII. Septembris, solemnia ut utrimque inaugurationis munia retulisset, commissæ sibi Ecclesiæ Regimen tandem ex integro adiit. ANN. 1604.

Tranquillus interea fuerat Rerum status, nec videbatur tam cito turbandus, quando audax plebecula, & ad omne facinus proclivis, derepente ad arma convolat, & in præsulem, nihil tale opinantem, impetum facit; causa orti tumultus hæc refertur; patebat ex Episcopali Palatio ad juxta posita urbis mœnio aditus, hunc dum Cives sublatum vellent, improba ducti temeritate, ædem augustam circumsedent, summisque conatibus, ac iterato sæpius machinarum impulsu, fores anteriores ausi sunt perrumpere, ut posticas illas occluderent; nec hîc stetit tumultuantium insolentia, sed fractis, ac amotis, per summum nefas, ubique repagulis, annonam Principis, vinumque deprædati, effusi in Epulas, iram reliquam nocturnis commessationibus decoxerunt. ANN. 1608.

Illatam Episcopo atrocem injuriam, quàm indigne tulerit summus in Imperio Judex Rudolfus, ejus demonstravit decretum Anno MDCIX. die XXX. Septembris desuper emanatum, multa licet temperatum clementia, fortasse quod ad pœnam crederet esse satis, æternum turpis facti opprobrium. Unde & Wormatienses se se posthac intra modestiæ limites continuerunt ne iratum sibi Cæsarem ad ulteriorem vindictam provocarent.

Hac qualicumque quiete Wilhelmus noster oportune usus, ad Sacerdotalem honorem gradu facto, Spiræ, quò se eum in finem contulerat, insigni cæremoniarum adparatu consecratus est Episcopus Anno MDCXII. tum, quo afflictæ in his partibus Religioni Catholicæ potentius subveniret, Patres Societatis JESU Wormatiam adscivit, eorumque sustentationi benigne providit, concurrente cum ipso liberaliter in idem opus majori suo Capitulo, prout Litteræ Anno MDCXIII. mense Novembri confectæ hæc omnia fusius explanant. Hinc Cives in novas exarsi iras, ac ad pristina reversi, variis Clerum afficere molestiis non destiterunt, donec MATHIAS, Rudolfi in Imperio successor, Edicto vetuit ne quis contra quod prædecessores ejus RICHARDUS, & SIGISMUNDUS, Reges, circa ejus Cleri Exemptionem olim jam statuerant, quidquam imposterum audeat præsumere. ANN. 1612. ANN. 1613. Prob. 329. Prob. 330.

Nec

Nec successu feliciore Cives jura Episcopi sui infringere præsumpserunt: Ann. 1615. dum enim innovato sub Annum MDCXV. veteri litigio, Judæos urbe volunt excedere, nec obtinent; ducti impatientia, eos simul cum prole, ac supellectile violenter extrusos, quin navibus, cimbisque impositos ultra Rhenum trajecerunt ipsimet, quod nautæ Episcopi dominio subjecti, id facere recusassent. Verum implorata denuo Cæsaris justitia, iisdem Civibus die III. Martii Anno proxime insequente injunctum fuit quatenus infelicem Gentem, eo quo eam expulerant modo, reducerent, ac pristinis sedibus suis incunctanter restituerent.

Hæc inter gravi morbo Ladeburgi correptus Wilhelmus, cœpit in dies viribus deficere; quapropter cum se ad extrema urgeri sentiret, ad beatum discessum pie se composuit, ac tandem die VII. Augusti Anni MDCXVI. Ann. 1616. animam Creatori suo reddidit. Cadaver Wormatiam translatum illic in Oratorio Divi Martini Basilicæ Majoris depositum fuit, hoc Epitaphio superaddito

Reverendiss. et Illustrissimi Principis ac Domini
D. Wilhelmi ab Effern Episcopi Wormatiensis
Ossa hoc Sarcophago inclusa, diei
novissimi tubam præstolantur, anima
Deo vivat.

Excessit humanis Anno MDCXVI. VII. Augusti
Divo Martino hanc aram erexit.

GEORGIUS FRIDERICUS
A GREIFFENCLAW.
EPISCPOPUS WORMATIENSIS.
LVIII.

Mors ubi Wilhelmum eximiæ virtutis absumpsisset Antistitem, Canonici Wormatienses, celebratis de more Comitiis, Georgium a Greiffenclaw in Volratz, Virum consilio magnum & sapientia spectatum eidem Ann. 1616. substituerunt die XV. Septembris Anni MDXVI.

Erat is Moguntinæ, nec non Wormatiensis Ecclesiarum Præpositus, ex quibus dignitatibus priorem simul cum adepto recenter Episcopatu, sibi confirmari obtinuit a Paulo V. Pont. per Bullam datam Romæ pridie Calend. Augusti Anno MDCXVII. quam demum Anno MDCXXI. die III. Martii subsecuta est ex Ferdinandi II. Cæsaris indultu, Regalium investitura.

Honori-

Honoribus in eum modum ſtabilitis jura inde emanantia tueri mox neceſſum habuit Georgius; exorto enim ſub idem tempus bello Bohemico, FRIDERICUS Elector, qui illius incentor exſtiterat, ſua fretus potentia, multas circumvicinis ſibi ditionibus moleſtias ac vaſtitates intulit, cumque Wormatienſem Eccleſiam, jurato licet fidei obſequio eidem devinctus, præ cæteris appetere videretur, reſtitit Præſul pro viribus, & deſumptas ex Wild- ANN. 1621. fangiatus ancipiti jure, nec non Finium controverſia, inimicitiarum cauſas, a ſe amolitus eſt, dum plurima eaque gravia querelarum capita, in ipſum è contra rejecit adverſarium.

Siluerunt quidem inter arma leges aliquamdiu; aſt ubi Cæſaris prævaluit potentia & autoritas, exoptatam juſtitiam Præſul noſter ſimul conſecutus eſt, & avulſa pridem ab Eccleſiæ ſuæ dominio loca aliquot, unà cum ANN. 1626. eorum attinentiis, è Palatini manibus feliciter recuperavit, præſtiturus haud-dubie in commune bonum plura, ſi, quas Anno MDCXXVI. cum Wormatienſibus conjunxit, Moguntinas Infulas, mors ipſi biennio poſt non invidiſſet; fatalem Epocham, quemadmodum anteactæ vitæ reliquas, conſervat monumentum duplex, quo Moguntiæ in Baſilica maxima reſplendet Oratorium S. Michaelis Archangeli.

Inſcriptio aræ marmoreæ.

„ In honorem Dei ter optimi maximi. Deiparæ Mariæ Virg. & S. Mi-
„ chaelis Archangeli.
„ Eminentiſſ. Reverendiſſ. Principi ac Domino D. GEORGIO-FRI-
„ DERICO Sac. Sedis Moguntinæ Archiepiſcopo. S. R. Imperii per Germa-
„ niam Archicancellario, Principi Electori, nec non Epiſcopo Wormatienſi,
„ ex generoſa & antiquiſſima equeſtri proſapia Greiffenclaw a Volraths Anno
„ MDLXXIII. prognato. Anno MDLXXXVII. inter Metrop. hujus Eccle-
„ ſiæ Canonicos adſcripto. Anno MDCI. in ejusdem Scholaſticum. Anno
„ MDCIIII. in Præpoſitum. Anno MDCXVI. in Epiſcopum Wormatien-
„ ſem. Anno MDCXXVI. in Archiep. & Elect. Moguntinum. Denique
„ Anno MDCXXIX. VI Julii ingenti ſui deſiderio per totum Romanum
„ Imperium relicto, hìc in arce ſancti Martini vitam inculpatam piiſſime fi-
„ nienti, monumentum hoc, injuria temporis hucusque imperfectum, re-
„ floreſcente pace, perpetuæ memoriæ, debitæque obſervantiæ ergo, lugen-
„ ti & devoto animo æternam requiem apprecantes perfici curarunt ipſius ex
„ Fratre Nepotes, germani Fratres, FRIDERICUS, & GEORGIUS-PHILIP-
„ PUS GREIFFENCLAW a VOLRATHS, ille Ringawiæ Vice-Dominus, hic
„ Konigſtein Satrapiæ ſupremus Præfectus, uterque Conſiliarius intimus.
Anno MDCLXII.

Inſcriptio Lapidis ſepulchralis.

„ Hunc ſibi tumulum elegit,
„ Reverendiſſ. ac Illuſtriſſimus Dominus, Dom. GEORGIUS-FRIDERICUS,
„ Archiepiſcopus Moguntinus. S.R. Imperii per Germaniam Archicancella-
„ rius, Princeps Elector, ac Epiſcopus Wormatienſis, è vetuſta Nob. Eque-
„ ſtris Rhenanæ proſapia Greiffenclaw a Volraths, qui Anno MDLXXIII.
„ natus, poſtquam hujus Eccleſiæ priùs Anno MDCI. Scholaſticus; Anno

 MDCIIII.

„MDCIIII. Præpositus. Anno MDCXVI. Episcopus Wormatiensis. Dein „Anno MDCXXVI. XXI. Octob. concordibus totius Capituli suffragiis in „Archiep. Mogunt. electus. Anno MDCXXVII. die XV. Augusti Aschaffen- „burgi consecratus fuisset. Tandem eheu! anno Regiminis II. mense VIII. „die XVIII. ingenti sui relicto desiderio, VI. Julii Anno MDCXXIX. æta- „tis LVI. Moguntiæ vivere desiit. Princeps vere prudentia, eloquentia, „animique celsitudine insignis, integritate famæ, vitæque candore notissi- „mus, cui proinde Frater, postremæque voluntatis executores mœstissimi, „hoc monumentum posuerunt, animæ æternum bene precati.

GEORGIUS-ANTONIUS
A RODENSTEIN.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
LIX.

Ann. 1629. Armis cuncta late adhuc circumfremebant, quando mortuo ad annum MDCXXIX. Georgio-Friderico, dandus fuit in sede Wormatiensi Successor. Itum itaque, pro veteri recepto more, ad Comitia; sed diu in suffragiis hæsit electio, quod turbidis illis temporibus vacantem dignitatem cuncti refugerent; donec tandem rogatus magis, quam expetitus summæ Ædis Custos Georgius-Antonius a Rodenstein oblatum onus in se suscepit; factum probante Urbano VIII. Pont. per Bullam datam Romæ Anno MDCXXX. die Idus Septembris.

Vix Regimen suum auspicatus fuerat novus Præsul, cum adversus Friderici IV. Palatini Electoris impetitiones ipsi dimicandum fuit, quod is majorum vestigiis inhærendo, liberæ conditionis homines, qui in Wormatiensi ditione domicilium fixerant, in propriorum hominum censum referri, Palatinos vero sibi proprios, in eadem recipi ditione voluisset, dum excluso Episcopo quà territorii Domino, jura utrumque sua in ipsos exercere sibi soli fas esse contendebat. Duravit pertinax hæc concertatio aliquamdiu, Cæsarisque, ad quem interea delata fuerat, judicium exspectabat, quando gravius malum superveniens, Ecclesiam Wormatiensem velut una ruina involvit.

Equidem, qui Victor Imperium tunc peragrabat Gustavus, Sueciæ Rex, subactâ Franconiâ, Rhenanas Provincias pari fortuna aggressus est, cumque inter cæteras urbes in iisdem positas, etiam Wormatia imminens jugum proxime subitura esset, diffugit inde cum Episcopo Clerus, aris, fo-
Ann. 1631. cisque derelictis, si principem Basilicam excipias, quæ duobus Patribus Capucinis commissa fuit, nam & reliqui Religiosorum Ordinum cœtus, rebus convasatis, pariter dilapsi erant. Occupat interea Urbem Suecus, firmoque inducto præsidio, Philippum de Seidell in ea belli Ducem constituit. Hic, ut erat novæ sectæ addictissimus, nihil non egit ut veterem Religionem loco moveret ac exstirparet penitus; jamque in eo erat, ut Ædium sacra-
Ann. 1633. rum etiam maximam Luthero suo unice deinceps patere vellet, quando opor-

oportune adveniens cum Gallorum Regis Legato CHRISTOPHORUS-PHILIPPUS a SOETERN, Elector Trevirensis, propositum facinus autoritate sua avertit.

Insperato hoc recreati auxilio Capucini interdictum sibi pastorale munus alacriore animo resumpserunt, continuaruntque in annum usque MDCXXXV. ANN. 1635.
quo tandem armis Cæsareis recuperatâ Wormatiâ, reversus a quinquennali Exilio Episcopus jura quoque pristina sua recuperavit, Gregemque per semet regendum suscepit, dum impensæ huic a Patribus curæ haud immemor ipsos non modo stabili sede, donavit sed & speciali deinceps benignitate Prob. 331.
fovit.

Sævire post hæc non destiterunt tempora, & Georgius noster, variis licet interea tum Moguntiæ, tum Spiræ dignitatibus Ecclesiasticis auctus, eorum inclementiam fere continuo expertus est, donec tandem An. MDCLII. ærumnosam vitam cum meliore morte commutavit Moguntiæ, ubi & sepulturam invenit in Oratorio S. Bonifacii Ædis metropolis, brevi hac superaddita Epigraphe:

GEORGIUS-ANTONIUS DEI GRATIA EPISCOPUS WORMATIENSIS S.R.J. PRINCEPS. ELECTUS XX. AUGUSTI MDCXXIX. METROP. MOGUNT. CATHEDRALIS SPIRENSIS, ET COLLEGIATÆ S. ALBANI, ECCLESIARUM, PRÆPOSITUS, EX PRÆNOBILI FAMILIA DE RODENSTEIN. OBIIT PIE IN DOMINO. XXX. OCTOBRIS ANNO MDCLII.

HUGO-EBERHARDUS
EX COMITIBUS CRATZ DE SCHARPFFENSTEIN.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
LX.

Wormatiensis sedes per frequentes illos bellorum motus fœde succussa, quin & integro jam fere biennio ex GEORGII Antistitis obitu vacua, vix amplius consistebat, cum eidem invitus licet ac reluctans impositus tandem fuit HUGO-EBERHARDUS ad diem XVIII. Junii Anni MDCLIV. ANN. 1654.

Ducebat is genus suum ex eadem illa CRATZIORUM stirpe qua inter prædecessores ejus PHILIPPUS quondam inclaruerat, sed, quæ Comitis titulo deinceps aucta, corruscabat magis; fulgebant præterea in Electo nostro eximia virtutum decora cum variis dignitatibus conjuncta, quales fuêre Trevirensis, Francofurtensis, & Tubingensis Ecclesiarum, præpositurae, nec non in Metropoli Moguntina Custodis munus; sic ut maxima quoque commoda ac Emolumenta exinde speranda fuerant, ni temporum iniquitas perpetùum obstitisset; ea enim passim rerum in Germania tunc erat facies, ut vix deterior esse potuerit.

Regimen itaque auspicatus Hugo, nihil solicitius habuit quam Cleri mores in melius reformare, & desolata cœnobia pristino nitori restituere. Quapropter lustrata universa Diœcesi, splendidam Anno MDCLV. Wormatiæ ce- ANN. 1655.
lebravit Synodum, è qua multa prodiêre præcepta ad utriusque disciplinæ instaurationem summe necessaria. Tum ædibus sacris manum adjutricem porrigens, earum plurimas ceu bello dijectas, ceu vetustate collapsas erexit, Prob. 332.
per-

perrecturus in cœpto ulterius, si modo quietem nactus fuisset a vicino sibi Electore Palatino, qui jura prope innumera ex uno Wildfangiatus jure petita, per circumjectas sibi ditiones exercere, nec non ardentius etiam prosequi cœperat, quam majorum suorum quisquam alius.

Hinc Præsuli nostro in hoc unice deinceps incumbendum fuit, quomodo se se ab ejusmodi impetitionibus liberaret, ac simul subditorum saluti prospiceret, cumque delatæ hactenus ad Cæsarem desuper querelæ, quas &
Ann. 1658. in solemni ejusdem inauguratione Anno MDCLVIII. Francofurti celebrata, visum est denuo exponere, vix quidquam profecissent, per fœdera sibi consulere statuit Hugo, attractisque in suam sententiam ex potentioribus nonnullis, magni inter tot adversa animi signa dare cœpit, jamque in eo erat,
Ann. 1661. ut oppignoratum pridem Ladeburgum Oppidum simul cum arce Stein, è Palatini manibus recuperaret, quando Ratisbonam evocatus, illic publicis
Ann. 1663. Comitiis Anno MDCLXIII. habitis, Moguntini præ infirma valetudine absentis vice præsedit, dumque cuncta sedulo curat ac exequitur, ipsis negotiis immortuus est die XIII. Martii.

Cadaver, Wormatiam relatum, Clerus juxta ac Urbis Magistratus, funebri pompa honorifice excepit, ac pro defuncti voto in Collegiata S. Mariæ Ecclesia condidit, ut liquet ex Inscriptione quæ ibidem legitur in hæc verba:

Ante Aram hanc sanctissimæ Virginis Mariæ miraculosæ, quam sibi in vita pariter et morte clementissimam Patronam elegit, tumulari voluit Hugo-Eberhardus, quondam Episcopus Wormatiensis, & Præpositus Trevirensis, nunc Cinis et Esca Vermium. Viator adsta, lege, extremum hoc Te alloquor, æternum ut gaudeam Tu apprecare, et vale.

Exstat Moguntiæ in Oratorio S. Dionisii Martyris, Ædis Metropolis, aliud ejusdem Præsulis nostri monumentum, quod pariter hic subjicere visum est.

„ In honorem omnipotentis Dei, sanctissimæ ejusdem Matris, semper „Virginis Mariæ, nec non Sanctorum Thomæ Apostoli, & Dionisii Mar„tyris, hanc Aram erigi curavit Hugo-Eberhardus, Electus Episcopus „Wormatiensis, Metrop. Ecclesiarum Mogunt. & Trevirensis respective Præ„positus, & Custos &c. ac hic sui, & Nepotis dilectissimi Lotharii-Hu„gonis Comitis Cratz a Scharpffenstein, quondam Canonici Mo„guntini, Trevirensis & Spirensis, in Italia Anno MDCXXXI. pie defuncti, „memoriam exstare voluit, Anno salutis MDCLIIII.

JOANNES-PHILIPPUS
DE SCHOENBORN.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
LXI.

Ann. 1663. Præmaturus Hugonis-Eberhardi obitus Ecclesiam Wormatiensem in novas conjecit angustias, effecitque, ut de potenti aliquo successore ipsi substituendo curas suas intenderint Nobiles Canonici. Die igitur Comitiis

rite celebrandis præfinito, ad postulationem omnium inclinavit sententia, omniumque mox votis ac suffragiis expetitus est in Antistitem JOANNES-PHILIPPUS, illustri SCHOENBORNIORUM ortus propagine, qui tunc Moguntinus Princeps Elector, & quà Wirceburgensis simul Episcopus, etiam Franciæ Orientalis Dux audiebat, atque adeo vicinis suis quaquaversum merito suspiciendus.

Hic, ubi novæ sibi concreditæ ditionis afflictum statum probe perspexisset, intellexissetque Carolum-Ludovicum Electorem Palatinum, prætensa sua Wildfangiatus jura usque eo jam extendisse, ut, juxta ejusdem calculum, ex tot Wormatiensium subditorum millibus nonnisi XLVIII. in Episcopi remansuri essent potestate; non tulit injuriam Joannes-Philippus, sed, ut erat vir animo excelso, ac rei militaris apprime gnarus, inito cum circumvicinis Principibus ac Comitibus mutuo fœdere, accitisque in eandem armorum societatem Vasallis, vim vi propulsare conatus est, primoque congressu Ladeburgum Oppidum expugnavit, quanquam illud mox sequestrandum fuit, quod ita jussisset Cæsar. ANN. 1664.

Nec segnior interea Palatinus, jura sua, ut alias, tueri simulque urgere æquum reputavit, dumque alternis damnis ac cladibus res aliquamdiu peragitur, tandem Galliæ, nec non Sueciæ Reges pacis autores exstitêre, & dissidium totum ex compromisso, ad eorum arbitrium, de communi partium assensu, delatum, terminarunt Heilbronnæ per Legatos Anno MDCLXVII. mense Februario. ANN. 1667.

Pristina tranquillitate in hunc modum recuperata, eam Præsul noster continuò fovere, ac manutenere studuit, qua vel sola re magnam nomini suo gloriam peperit; vita functus Herbipoli Anno MDCLXXIII. die XII. Februarii. ANN. 1673.

LOTHARIUS-FRIDERICUS
A METTERNICH IN BORSCHEID.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
LXII.

Quandoquidem turbidis hisce temporibus a Moguntina Ecclesia salus ferè omnis Wormatiensi obvenerat, æquitas ac ratio postulare videbantur, ut hæc constanti illius uteretur patrocinio, se seque curæ ejusdem committeret; hinc ubi, defuncto JOANNE-PHILIPPO, LOTHARIUS-FRIDERICUS a METTERNICH priorem ex his Cathedram pleno nunc pede conscendit, ad alteram unanimi voto expetitus fuit, atque adeo utrasque simul cum Spirensi sua conjunxit. ANN. 1673.

Propensum certe ac beneficum in se Lotharii animum præ cæteris experta est Wormatia, dum is Oppidi Ladeburgi, nec non arcis Stein reluitionem strenue ursit, obtento etiam in eum finem decreto Cæsareo, vigore cujus locum utrumque a Palatini potestate absolutum recuperare jam certo sperabat, effecissetque ni mors immatura Præsulem optimum Anno MDCLXXV. die III. Junii a cœpto abstinere coëgisset. ANN. 1675.

Cadaver solemni funere in Choro primario summæ Ædis Moguntinæ conditum fuit sub sequenti hoc Epitaphio:

Sta viator, lege; quem hic Tumulus capit eminent. Et Rev. Archipræsulem ac Dominum D. Lotharium Fridericum, avita Baronum de Metternich in Borscheidt prosapia die xxix. Sept. Anni mdcxviii. Luci dedit. Spira in Antistitem et S.R.J. Principem extulit. Sancta sedes Moguntina, prævia in Coadjutorem electione, in Archipræsulem, ac S.R.J. Principem Electorem inauguravit. Depost in Episcopum apud Wangiones unanimiter postulatum ac confirmatum die xvi. mensis Aprilis Anni mdclxxiii.

Universæ Carnis viam ingressum luge.

DAMIANUS-HARTARDUS
von der LEYEN.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
LXIII.

Vacabat ex Lotharii-Friderici obitu sedes utraque, tam Moguntina, quam Wormatiensis, quando indictis, pro veteri more, hinc inde Comitiis, quem suo Nobiles Moguntini Canonici die III. Julii Anni
Ann. 1675. MDCLXXV. delegere suffragio Damianum Hartardum a Petra, vulgò von der Leyen, hunc die XII. ejusdem mensis sibi postularunt Antistitem unanimi sententia Wormatienses. Quod multa inprimis adpromitteret viri in rebus gerendis dexteritas, utpote quam Carolo-Casparo, Trevirensium Archipræsuli, ejus Fratri germano plus semel jam probaverat.

Verum præconceptam spem haud diu post mors novi Præsulis abrupit, vix dum enim jus sacrorum Anno MDCLXXVI. a Petro-Philippo, Bambergensi nec non Wirceburgensi Episcopo, jura vero Regalia Anno
Ann. 1678. MDCLXXVII. a Cæsare susceperat, cum anno mox insequente MDCLXXVIII. è vivis sublatus est Moguntiæ, die VI. Decembris sepulturam nactus in Oratorio S. Laurentii Ædis Metropolis, ubi juxta altare, in Martyris hujus honorem a se erectum, tale ipsius visitur monumentum.

D. O. M.

Hic requiescit Eminentiss. et Celsissimus Princeps, ac Dominus. D. Damianus Hartardus von der Leyen, Archiep. Elector Moguntinus nec non Episcopus Wormatiensis. Natus II. Martii Anno MDCXXIV. Electus III. Julii MDCLXXV. consecratus VIII. Septemb. MDCLXXVI. defunctus Moguntiæ MDCLXXVIII. VI Decembris.

In Carne Ista VIDebo saLVatoreM
qVæ Vna spes post fata sVperest.

CARO-

CAROLUS-HENRICUS
A METTERNICH IN BEILSTEIN.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
LXIV.

Jam tertium Moguntinum Electorem eundemque Wormatiensium Præsulem mors, intra breve tempus, non sine gravi utriusque Ecclesiæ jactura ac dispendio absumpserat, cum posita rursum ex insidiis, etiam quartum in CAROLO-HENRICO de METTERNICH adoritur, eumque anno Regiminis sui primo necdum expleto, vita simul cum dignitatibus suis exuit. ANN. 1679.

Triste fatum loquitur ipsa sepulchri inscriptio, quam in Oratorio divi Lamberti, Basilicæ majoris Moguntinæ, exstare voluit defuncti Præsulis Frater germanus, in hæc verba sequentia:

CAROLO HENRICO SEDIS MOGUNT. ARCHIEPISCOPO ANNO MDCLXXIX. DIE IX. JANUARII, EPISCOPO POSTULATO WORMATIENSI, EODEMQUE ANNO DIE XXVI. MENSIS SEPTEMB. ASCHAFFENBURGI PIE DEFUNCTO, ÆTATIS ANNO LVII. INGEMISCE VIATOR MORTI TUÆ.

DVro patrIæ fato spes Magnas In CaroLo eXtInXIt.

Carolus Henricus Patriæ spes magna sepulta est,
Urbs Cinerum hos Cineres (Principis ossa) dedit.
Stemmata si spectes, Concharum è sanguine crevit,
Arsit gemma solo, gemma micatque Polo.
Cygnus erat candore animi, virtutis amore,
In cœlo Phœnix nunc redivivus erit.

MOESTUS POSUIT FRATER.

PHILIPPUS EMERICUS S.R.I. COMES DE METTERNICH, WINNEBURG ET BEILSTEIN. DOMINUS IN KONIGSWARTH ET REINHARTSTEIN. S. CÆS. MAJ. GENERALIS VIGILIARUM PRÆFECTUS, BURGRAVIUS EGRENSIS.

FRAN-

FRANCISCUS - EMERICUS-CASPAR
DE WALTPOT IN BASSENHEIM.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
LXV.

Tot funeftis cafibus, velut invicem concatenatis, afflicta, ac vix non defolata Wormatienfis Ecclefia, fuas Infulas aliquando a Moguntinis fejungere oportunum duxit. Quapropter fingulorum in proprio gremio enutritorum Canonicorum ratione habita, eas, præ-reliquis, FRANCISCO-EMERICO de BASSENHEIM, qui Moguntiæ Cuftodis, Spiræ vero Scholaftici officio fimul tunc fungebatur, detulit Anno MDCLXXIX. die X. Novembris. ANN. 1679.

Elucebant in electo virtutes omnes, ita ut nemo Chriftiana probitate fpectatior, nemo generofis moribus ipfo videretur ornatior; hinc & in Epifcopum ritu folemni confecratus, commiffum fibi ovile, quantum per temporum calamitates licuit, pavit feliciter; at vero cœptum regimen, quemadmodum & prædecefforum fuorum, haud diuturnum fuit, fiquidem jam Anno MDCLXXXIII. die vero XI. Julii è vivis fublatus eft Spiræ, quò valetudinis caufa fecefferat. ANN. 1683.

Cadaver Wormatiam relatum, in communi Epifcoporum conditorio locum reperit.

JOANNES-CAROLUS
A FRANCKENSTEIN.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
LXVI.

Illuftri FRANCKENSTEINIORUM ortus ftemmate JOANNES-CAROLUS Anno MDCX; patrem habuit JOANNEM-EUSTACHIUM, matrem vero MARGARETAM BRENDEL de HOMBURG, a quibus pie fapienterque educatus, togatæ militiæ primùm, dein facræ nomen dedit, cooptatus in Princeps Wormatienfe Collegium Anno MDCLIV. quin & diverfis aliis auctus dignitatibus, tandem cum effet feptuagenario major, vacantes Anno MDCLXXXIII. ex FRANCISCI-EMERICI obitu, Wormatienfes Infulas, communi omnium applaufu obtinuit. ANN. 1683.

Hoc in munere poftquam demum Anno MDCLXXXVIII. ab INNOCENTIO XI. Pont. per Bullam datam Romæ XVI. Julii confirmatus fuit, etiam ex majorum inftituto Epifcopus inauguratus eft, ac confecrationis munus die V. Septembris anni ejusdem fufcepit, cooperantibus in id ipfum Moguntino, Trevirenfi, Wirceburgenfi, nec non Spirenfi, fuffraganeis. ANN. 1689. Lætam hanc folemnitatem Anno mox fequenti triftis omnino eventus excepit, merito

merito deplorandus; dum enim per infaustos illos bellorum motus, quibus tunc maxime jactabatur Germania, Galli, inter cæteras urbes, etiam Wormatiam occupassent, eam die XXXI. Maji, rapinis ac flammis adorti, in ultimum redigerunt exitum quin & Templum Cathedrale, quo nullum exstabat per viciniam augustius, splendiusque, unà cum circumpositis claustralibus ædificiis, contra fidem datam, eodem involverunt incendio.

Diffugit, velut ex altera Troja, Præsul noster, ac in arce Dirmstein sedem cum suis figens, se tam miserabili casu superstitem indoluit; cumque nec hic loci sat tutus sibi videretur, inde Francofurtum secessit, ubi è longinquo Ecclesiæ suæ necessitatibus, quoad potuit, prospexit, ejusque jura in cunctis, gravescente quantumvis senecta, ac corpore laboribus quassato, egregrie tuitus est, id quod testatur inprimis Transactio illa, quam Anno MDCXC. super directione Ann. 1690.
primaria Circuli Rhenani cum Joanne-Wilhelmo, Electore Palatino pepegit in Oppido Weinheim. Commendaverat insuper se se, ac Ovile suum Innocentio XII. pontifici dum simul eidem adeptam recenter dignitatem Ann. 1691.
gratulatus esset; at, quod morte præventus, Litteras, quas vicissim ab hoc Pontifice retulit, non vidit, nos hic subiicere duximus non incongruum:

Innocentius P. P. XII.

„ Venerabilis Frater; salutem & Apostolicam Benedictionem

„Præclare nimis de nostra imbecillitate sentit Fraternitas tua, dum ab eadem ingentia in Christianam Rempublicam, pastorali nostræ curæ commissam, derivatum iri commoda, in datis ad nos officiosissimis Literis Tibi polliceris; iis enim instructi viribus profecto non sumus, quibus oportunam prædictæ Reipublicæ malis medelam afferre possimus; studiosam itaque majorem in modum erga nos voluntatem tuam, ut ad validum unà cum Clero, cui multa laude prææs, è cœlo nobis parandum auxilium piè convertas, ex animo cupimus, propensæ vicissim erga Te, Clerumque ipsum, cujus calamitates & ærumnas summopere miseramur, benevolentiæ nostræ Testem Apostolicam benedictionem Fraternitati tuæ, eidemque peramanter impertientes.

„Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Anulo Piscatoris die XV. Septemb. MDCLXXXXI. Pontificatus nostri anno primo.

Obiit autem Joannes-Carolus die xxix. Sept. Anni supradicti MDCXCI. Ætatis suæ LXXXI. Princeps meliore sæculo dignus. Cadaver funebri pompa in Ædem S. Bartholomæo Ap. Sacram, quæ Francofurti primaria est, delatum, illic sepulturam accepit.

LUDOVICUS-ANTONIUS
EX COMITIBUS PALATINIS RHENI, BAVARIÆ DUCIBUS &c.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
LXVII.

VBi Wormatiam nuntiata est mors Joannis-Caroli; indicta, pro Ann. 1691.
veteri consuetudine fuêre Comitia, dieque, de novo eligendo Præsule,

præstituta, Nobiles Canonici simul convenientes, unanimi voto ac suffragio Ludovicum - Antonium, ex Comitibus Palatinis, Lineæ Neoburgicæ, sibi expetierunt Antistitem, quod in eo vigerent omnes illæ virtutum dotes, quæ in Ecclesiastico Principe, optimo ac sapientissimo, vel sperari possent, vel requiri; quodque amplitudine dignitatum præ reliquis jam tum emineret.

Equidem; locum in illustrioribus Germaniæ Collegiis, Moguntino videlicet, Spirensi, Spirensi, Argentinensi, Leodiensi, & Monasteriensi, cum ab infantia invenisset, per ætatis gradus ad majora conscendit, & supremus in Borussia Administrator, idemque Ordinis Teutonici magnus Magister renuntiatus, insuper Elwangensi Præpositura, nec non Fescampensi Abbatia ornatus, haud ita pridem Anno nimirum MDCXCI. die XIX. Aprilis Anselmo - Francisco Archipræsuli Moguntino in Coadjutorem datus fuerat. Tot autem, tantisque Titulis quo digniorem se se exhiberet, Jus Sacrorum exquisitissimo Cæremoniarum adparatu per manus supradicti Electoris
Ann. 1693. Mogunt. suscepit Aschaffenburgi Anno MDCXCIII. postquam eodem anno per bullam datam Romæ die VI. idus Junii a Sede Apostolica confirmatus fuisset.

Verum, dum fama integra, vita inculpata, omnia probi Præsulis nec non Principis optimi ac strenuissimi officia pervigil & indefessus obit, Wormatiæque suæ inprimis curam gerit, evocatus Leodium, ut hujus quoque Ecclesiæ, tunc Antistite suo viduatæ, delatum sibi regimen susciperet, illic mortem reperit, sublatus è vivis die IV. Maji Anni MDCXCIV. Ætatis suæ XXXIII.

Cadaver lugubri funere magna cum pompa Dusselam translatum, illic apud PP. Soc. Jesu terræ mandatum est.

FRANCISCUS - LUDOVICUS
EX COMITIBUS PALATINIS RHENI, BAVARIÆ DUCIBUS.
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
LXVIII.

Ann. 1694. Afflictæ, ex præmaturo Ludovici - Antonii obitu, Ecclesiæ Wormatiensi, nullum majus ac efficacius obvenire poterat solatium, quàm dum primarius Clerus, felici ductus genio, Franciscum - Ludovicum, defuncti Fratrem germanum, ad vacantem Cathedram evexit, postulavitque Antistitem, quo tempore is aliunde in supremum Ord. Teutonici Magistrum, nec non simul Elwangensis Ecclesiæ Præpositum, adlectus, novas illas dignitates cum priore suo Wratislaviensi Episcopatu recenter conjunxerat.

Certe; quid a tanto Principe sibi idem Clerus polliceri debebat, quantaque jam tunc fuerint ejus, in Wratislaviensem præsertim Ecclesiam, merita, vel sufficienter demonstrat Clementis XI. diploma, per quod ipsi Wormatiensis nostra confirmatur, ubi Pontifex his, inter alia, verbis utitur:

„ Ad

„ Ad Te, qui chariſſimæ in Chriſto Filiæ noſtræ, Eleonoræ-Margarethæ-Theresiæ, chariſſimi itidem in Chriſto Filii noſtri Leopoldi Rom. „ Regis, in Imperatorem electi, uxoris, frater germanus exiſtis, in Sacro Subdia- „ conatûs Ordine conſtitutum, & Adminiſtratorem Eccleſiæ Uratislavienſis, in „ cujus gubernio laudabiliter Te geſſiſti, ac pietate, verbo, & exemplo ita pro- „ feciſti, ut tempore tuæ Adminiſtrationis LXXX. circiter mille hæretici Ca- „ tholicam fidem amplexi ſint, bona ac jura Eccleſiæ tuæ Uratislavienſis præ- „ fatæ defendendo, cumque apud nos de ſplendore generis, vitæ munditia, ho- „ neſtate morum, Spiritualium providentia & Temporalium circumſpectione, „ aliisque multiplicum virtutum donis, fide digna teſtimonia perhibentur, di- „ reximus oculos mentis noſtræ &c.

Cui præclaro elogio alia prope innumera deinceps acceſſerunt; ut enim intra propoſitos limites me contineam, nihil a veritate alienum dixiſſe videbor, ſi quiquid boni, quidquid excellentis, ac magni, de Prædeceſſoribus ejus, Wormatienſibus ſcilicet Epiſcopis, hucusque retuli, hoc omne in ipſum Franciſcum Ludovicum confluxiſſe aſſeram; quippe langueſcentem, atque ut opibus, ſic viribus deſtitutam nactus Eccleſiam, non recreavit modo, ſed ſimul benigne fovit; Scripturiſticum illud continuo circa eandem generoſa mente volvens: *Paupercula! eo quod fuiſti miſera, & abjecta, ideo erigam Te* &c. Nec defuit tam vaſto beneficentiſſimi Principis propoſito optatus ſucceſſus; quandoquidem ſuo jam progreſſu lætam, utpote ære alieno liberam, fundis ac vectigalibus auctam, ærario divitem, quin & annona omnis generis per horrea, cellasque circumfluentem, ad exceſſum illum amplitudinis gradum provexit, quem merito ſuſpiciunt omnes; dum interea ſacris, æque ac profanis rebus, intentus, Fori tum Eccleſiaſtici, tum Civilis, ſtatum ordinavit, novas Vaſallis, quà Dominus directus, leges præſcripſit, quà vero Præſul religioſiſſimus, multa edidit præcepta, ad quorum tenorem Cleri ſui mores ac vitam deinceps componi voluit, promptam ac ſalutarem manum adhibendo ubi ratio, ſeu neceſſitas id videbantur exigere.

vid. ſupra Client. beneſ. §. V. Lunig. Spicileg. Eccleſ. cont. III. pag. 1318.

Quàm ſolerti autem cura ac induſtria juribus, ſibi a majoribus transmiſſis invigilaverit, teſtantur inter cætera initæ annis MDCCV. & MDCCVIII. cum proprio germano Fratre, Joanne-Wilhelmo Electore Palatino, transactiones; Quàm rigidus autem eorundem jurium ſuorum exactor fuerit, experti ſunt plus ſemel Magiſtratus, ac Cives Wormatienſes, quorum & temerarios auſus valide ſemper retudit, illatamque Anno MDCXCVII. publicam Clero injuriam condignis modis ultus eſt, ſeveriores a ſontibus pœnas ſumpturus, ni interceſſoriæ, ac ſimul deprecatoriæ litteræ plures, offenſi Principis animum ad clementiam provocaſſent.

Has inter quotidianas fere occupationes Præſul munificus, ac Reipublicæ bono natus, licet Anno MDCCXVI. etiam ad Archiepiſcopatum Trevirenſem promotus fuiſſet, ea non minus ſolicite curavit, quæ Urbi ſuæ Wormatienſi ornamento eſſe poterant; quapropter vetus Epiſcopale Palatium Anno MDCCXIX. aggreſſus, eo diruto, novum ſplendidiore opere a fundamentis excitavit, perfecitque; cumque ſacri muneris curæ poſcerent, ut pauperum quoque ſaluti proſpiceret, vicinum Neuhuſam vicum, Eccleſia Collegiata olim inſignem, quem Anno MDCCV. ex Palatini Electoris manibus recuperaverat, huic ſuo inſtituto aptum reperiens, vaſtum in eo exſtare voluit Orphanotrophium, quod, ut tot miſeris victum ac hoſpitium liberaliſſime aliquando præberet, fundis neceſſariis ac vectigalibus locupletavit.

Talibus pietatis operibus dum hic, quemadmodum alibi, per diversa Dioecesium suarum loca strenue insudat Princeps benemerentissimus, Moguntinum Archiepiscopatum, ex FRANCISICI - LOTHARII obitu vacantem, pleno nunc tandem pede adiit, quod huic in eadem illa dignitate jam ab Anno MDCCX. datus fuisset Coadjutor; inde vero Wratislaviam profectus, illic die XVIII. Aprilis Anni MDCCXXXII. ex humanis ad beatam æternitatem abiit, quo tempore Quinquagesimus ipse in ordine, loci Antistes annum Regiminis sui quinquagesimum, exquisitissimo cæremoniarum adparatu, proxime erat celebraturus.

Ann. 1729.

Ann. 1732.

Cadaver magnifico funere, summoque omnium mœrore, ac luctu, ad Basilicam maximam delatum, illic in Oratorio, quod optimus Princeps eleganti sumptuosoque opere pridem construxerat, Monumentum Sepulchrale reperit, humili hac, pro morientis voluntate, inscriptum Epigraphe:

HIC JACET PECCATOR
FRANCISCUS - LUDOVICUS
ORATE PRO EO.

Luxit quoque in Francisco-Ludovico Præsulem suum, imò alterum Fundatorem Wormatiensis Ecclesia, & quo par erat dolore, ac animi affectu, justa Principi desiderantissimo persolvit.

FRANCISCUS - GEORGIUS
EX COMITIBUS DE SCHÖNBORN,
EPISCOPUS WORMATIENSIS.
LXIX.

Ann. 1732.

Rerum in Orbe vicissitudo ferè quotidiana hæc esse solet, ut lætis tristia, tristibus vero rursum læta succedant; hinc, ubi ad diem XVII. Junii, Anni MDCCXXXII. FRANCISCUS - GEORGIUS, ex Comitibus de SCHÖNBORN, Trevirensium Archipræsul, unanimi Capitularium voto in Antistitem Wormatiensem postulatus est, juste conceptus, ex præmaturo nimis FRANCISCI LUDOVICI obitu, luctus ac mœror omnis, sensim evanescere cœpit, gaudiumque renasci visum est, quod ut diuturnum sit, faxint Superi!

INDEX.

INDEX

RERUM AC NOMINUM MEMORABILIUM.

hujus

Prote.

Re-

FINIS

TOMI PRIMI.